PHILOSOPHIA
SCHOLASTICA

EDITIO QUINQUAGESIMA NONA
RECOGNITA FUNDITUS ET AUCTA
A

D. BARBEDETTE
CUM PLURIBUS PHILOSOPHIÆ PROFESSORIBUS

TOMUS SECUNDUS

CRITICA — ONTOLOGIA — THEODICEA
ETHICA — INDICES

PARISIIS
APUD BERCHE ET PAGIS, EDITORES
69, VIA DICTA DE RENNES, 69
1934

Fr Innocentius Ofcll

PHILOSOPHIA

SCHOLASTICA

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS EXPOSITA

ET RECENTIORIBUS SCIENTIARUM INVENTIS APTATA

IMPRIMATUR :

Parisiis, die 16ª *Julii* 1934,

† Alfred BAUDRILLART,

Archiep. Melit.
Rector Inst. cath.
Vic. gen. Paris.

METAPHYSICA [1]

1. Quid sit, quid non sit et quotuplex sit Metaphysica ?

A. — **Quoad nomen**, Metaphysica (μετὰ τὰ φυσικά) est scientia eorum, quæ sunt *post* vel *trans* res physicas. Hoc titulo, primus, ut aiunt, Andronicus Rhodius inscripsit quatuordecim libros Aristotelis, in quibus, post tractationem rerum physicarum, philosophus agebat de ente in genere et de Deo. Quæ, quum revera sint suprasensibilia, non incongrue scientiam constituunt quæ dicitur Metaphysica.

Quoad rem, est *scientia philosophica entis realis et suprasensibilis* seu rei consideratæ in tertio gradu abstractionis sc. ab omni materia. — Est *philosophia entis realis*, cui opponitur Philosophia *formalis*, quæ in investigandis legibus operationum intellectus et voluntatis occupatur : Logica sc. et Ethica. — Est philosophia entis *suprasensibilis* et *abstracti* maxime sicque distinguitur a Philosophia *physica*, quæ tractat de ente reali, ut mobili et sensibili.

B. — **Non ita quidam** : *minus recte*, duce Wolf, plures scholastici docent Metaphysicam esse scientiam de causis ultimis entis, etiam materialis, quam ideo dividunt in generalem (Ontologiam) et specialem (Cosmologiam, Psychologiam et Theodiceam) (Præn., n. 8). — *Falso* Kant noumena tantum incognoscibilia, positivistæ cum Aug. Comte Absolutum menti impervium tribuunt Metaphysicæ (agnosticismus). — *Ridicule* tandem Voltaire, d'Alembert et quidam alii denominant Metaphysicam, v. g., « une science vide et contentieuse », le « roman de l'esprit [2] », etc.

C. — Jamvero Metaphysica in duplicem seu melius in **triplicem partem dividi** debet, quatenus respondet primæ quæstioni : an sit *reale* ens suprasensibile, inde *Critica* — et secundæ quæstioni : quid sit in universum, idque sive contingens, inde *Ontologia*, — sive necessarium seu Deus, inde *Theodicea*.

1. Cf. **Wébert**, O. P., *Essai de métaphysique thomiste*, 1928 ; — **Balthasar**, *L'être et les principes métaphysiques*, Louvain, 1914. — 2. *Diction. philos.*, art. *Métaphysique.*

I

CRITICA[1]

Logica (n. 13), quæ est scientia ad verum directiva, operationes intellectus primum consideravit in ordine ad seipsas, Psychologia quoad earum naturam et originem, nunc vero Critica in ordine ad certam possessionem veritatis seu *rei extramentalis*, sicque rationem induit Metaphysicæ [2].

2. Quid sit CRITICA quoad nomen et quoad rem ?

A. — **Quoad nomen**, critica (græce, κριτική) a verbo κρίνω, *judico*, oritur. Hoc nomine decoratur, sive quia instituit *crisim*, id est, examen operationum mentis in genere, sive quia loquitur in specie de criteriis seu mediis quibus veritatem adipiscimur. Ideo vocatur etiam *Criteriologia*, i. e., scientia de criteriis certitudinis ; ab ipso Kant *Analytica transcendentalis* dicitur, quatenus conditiones essentiales scientiæ inquirit *analysi* quam fecit in *Critica Rationis puræ* ; recentius autem *Epistemologia* (ἐπιστήμη, savoir) dicta est, i. e., scientia de valore elementorum scientificorum.

B. — **Quoad rem** igitur, Critica est *pars Metaphysicæ* quæ *disserit de legitimitate seu certitudine cognitionis humanæ et ideo de criteriis veritatis*. — Cujus quidem objectum materiale est operatio cognitionis humanæ, proprie intellectualis et improprie sensibilis, — *objectum formale quod* est veritas cognita criteriis, — objectum *formale quo* est lumen rationis reflexæ in tertio præsertim gradu abstractionis.

3. Hinc elucescit Criticæ MOMENTUM. — A. — **Excellens** enim scientia est, quæ de ipsa facultate sciendi tractat, conceptus supremos non esse figmenta mentis patefacit et possibilem esse adæquationem inter cognitionem et realitatem declarat : sic enim fundamentum cujuslibet scientiæ tuendo, *prima* inter scientias et omnium *Apologetica* habetur.

1. **Mercier**, *Critériologie générale*, 3e éd., 1902 ; — **Farges**, *La crise de la certitude*, 1907 ; — **Gredt**, *Op. cit.*, II, n. 562-599 ; — **Noël**, *Notes d'épistémologie thomiste*, 1925 ; — **Maréchal**, *Le point de départ de la métaphysique*, 1926 ; — **Gény**, *Critica*, 1926 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, 1927, p. 227-245 ; — **De Tonquédec**, *La critique de la connaissance*, 1929; — **Roland-Gosselin**, *Essai d'une étude critique de la connaissance*, 1932. — 2. Hinc de certitudine tractat *Aristoteles* in *IV Metaph.*

B. — Quapropter **utilis est** — a) *aliis philosophiæ partibus*, nam exponendo conditiones et limites certitudinis in ordine logico, physico, metaphysico et ethico, philosophum a gravi morbo subjectivismi et agnosticismi præservat aut liberat ; — b) *scientiis inferioribus*, sive mathematicis quibus certiorem facit realitatem numerorum et dimensionum, sive empiricis quæ nituntur in veracitate experientiæ, hæc vero ipsa in Critica monstratur ; — c) *Theologiæ* tandem supernaturali, quæ legitima supponit criteria certitudinis et motiva credibilitatis et propterea impetitur modernismo, qui ex effrenata cogitandi licentia et ex falsa cognitionis humanæ theoria ducit originem.

4. Utrum jam TRACTATA et quomodo TRACTANDA sit Critica ?

A. — **In præterito**, hanc crisim cognitionis humanæ nunquam omnino neglexit philosophia, nec *antiqua* passim, v. g., philosophia Socratis contra sophistas aut aliorum contra Pyrrhonicos ; nec *patristica* Doctorum [1] qui firmam in veracitatem facultatum ostendunt fiduciam ; nec *scholastica* quæ Ævo Medio contra nominalistas realismum propugnat ; nec, occasione data, moderna philosophia christiana. Diu tamen non ex professo tractata est, quia dubitatio sceptica fere nulla fuit aut apparuit vana. Nunc autem, a tempore Cartesii, Berkeley et Hume, post criticismum imprimis kantianum, ob necessitatem temporum, specialem, sed suo loco positam, ad limina Metaphysicæ, habet Neo-scholastica Criticam.

B. — Hujus tamen Criticæ **adversarii** sunt duplicis generis : *imprimis* sceptici cujusvis temporis et recentes anti-intellectualistæ, qui putant veritatem objectivam attingi non posse ; *ex adverso* rationalistæ, qui volunt in veritatis acquisitione rationem esse independentem a realitate (subjectivismus), ab omni auctoritate (individualismus), etiam a Deo (naturalismus). — Inter utrosque incedet dogmatismus moderatus noster a quo in directione mentis ad verum duo palmaria sunt perpendenda, nempe finis generalis prosequendus et media seu fontes speciales veritatis. Finis quidem est certitudo, media autem sunt criteria : unde duplex erit inquisitio, una de *certitudine*, altera de variis *certitudinibus*, et ideo **duplex liber** : Ius, Critica *generalis* seu *Theoria certitudinis* ; — IIus, Critica *specialis* seu *Criteriologia* ; prior quæ *certitudinem* in genere, posterior quæ *certitudines* diversas stabilire conatur [2].

1. **Boyer**, *L'idée de vérité dans la philos. de S. Augustin*, 1921, p. 12 et seq. — 2. Ita etiam **Mercier**, *Critér. génér.*, n. 9.

5. Ecce brevis totius Criticæ SYNOPSIS.

CRITICA	I Generalis seu Theoria certitudinis	I° De natura	1. De veritate. 2. De errore. 3. De incertitudinibus. 4. De certitudine.
		II° De existentia	1. De dogmatismo. 2. De scepticismo. Corollarium.
		III° De motivo certitudinis	1. De natura motivi. 2. De evidentia. Corollaria.
	II Specialis seu Criteriologia	I° De criteriis intrinsecis	1. Sensuum externorum. 2. Sensuum internorum. 3. Intelligentiæ. 4. Rationis.
		II° De criteriis extrinsecis	1. De auctoritate in genere. 2. De auctoritate humana. 3. De auctoritate divina.
		III° De reductione criteriorum	1. Extrinsecorum. 2. Intrinsecorum. 3. Mediatorum.

LIBER PRIMUS CRITICÆ

CRITICA GENERALIS SEU THEORIA CERTITUDINIS [1]

Tria quæruntur de certitudine in universum : *quid sit, an sit, cur et unde sit.* — Sint ergo tria capita : I[um] de *Natura* ; — II[um] de *Existentia* ; — III[um] de *Motivo* certitudinis.

CAPUT PRIMUM

DE NATURA CERTITUDINIS

Certitudo, qualis hic philosophice sumitur, est mentis *status* erga *veritatem specialis.* — Unde certitudinis ratio tota manifesta fiet in quadruplici articulo : 1[us] de *Veritate* [2] ; — 2[us] de *Errore* qui veritati opponitur ; — 3[us] de variis mentis *Statibus* erga veritatem ; — 4[us] speciatim de *Certitudine.*

1. Cf. **Farges, Mercier, de Tonquédec** et alii, *Op. cit.* ; — **Picard**, *Le problème critique fondamental*, in *Archives de phil.*, 1923, t. I, cah. II. — 2. *De veritate*, q. 1, a. 9 ; — **Mercier**, *Critér. génér.*, n. 15-16 ; — cf. **J. de Tonquédec**, *La notion de la vérité dans la philosophie nouvelle*, 1908 ; — *La critique...*, *supra cit.*, p. 219-247.

ARTICULUS I

De Veritate logica.

6. Quid, qualis et quotuplex sit VERITAS logica ?

A. — **Veritas logica** seu *cognitionis,* si *concrete* sumatur, est ipsa *cognitio* quatenus est *conformis* objecto seu rei quam *repræsentat* [1]. — *Abstracte* sumpta, definitur : *adæquatio seu conformitas intellectus cum re cognita.* Et sane verum scire aliquis dicitur, cum res ipsa est sicut eam esse pronuntiat.

Differt a veritate *loquelæ* et *transcendentali.* Nam veritas loquelæ seu moralis est tantum concordia sermonis cum ipso conceptu ; veritas autem transcendentalis seu metaphysica est ipsa res quatenus est intellectui divino conformis seu adæquatio rei cum intellectu creante (cf. Ontol., n. 54).

B. — Quamobrem **realis** est veritas logica ac differt a veritate *mere ideali* seu *mere logica,* quæ, juxta Kantistas, consistit in concordia idearum nostrarum inter se (n. 8) : nullo enim modo veritati sufficit mera conformitas mentis cum seipsa (n. 57). — Quin etiam hoc in sensu veritas logica, sicut realis, est etiam una, universalis, immutabilis et æterna : ita contra evolutionismi et relativismi fautores (Ont., n. 58).

C. — Veritatis logicæ **divisio ex duplici parte** sumitur.

1° Ex parte *objecti,* totuplex erit quotuplex est ipsa res. Res autem est — *necessaria* vel *contingens,* — *realis* vel *idealis,* — *metaphysica, physica* vel *moralis* : sic etiam veritas logica materialiter dividitur ratione diversitatis objectorum, quibus mens conformis esse potest.

2° Ex parte *subjecti,* veritas est : — *a*) *intuitiva et immediata* vel *deducta et mediata,* prout statim et sine discursu intelligitur vel successive et ope ratiocinii acquiritur. — *b*) Est *perfecta* vel *imperfecta,* ratione perfectionis actuum quibus in gradu majori vel minori eam assequimur, ut modo dicendum.

7. Utrum veritas sit in APPREHENSIONE vel in JUDICIO ?

A. — Est quidem **in apprehensione.** — Nam ubi datur cognitio objecto suo conformis, ibi adest veritas logica ; sed hoc in sensu veritas a simplici apprehensione *nunquam abest* : non enim dantur ideæ falsæ, ut dictum est ubi de ideis (Log., n. 26) ; ergo in ea est veritas, saltem *imperfecte.* — Imo veritas adhuc invenitur in *sensuum perceptione,* quæ *implicite* continet judicium, quod res ita est sicuti sentitur, sed imperfectius, quia « sensus dicitur verus quando per formam suam conformatur rei extra animam existenti, sed non potest cognoscere habitudinem *conformitatis* suæ ad rem [2] ».

1. **Gény**, *Comment présenter la notion de vérité*, in *Revue de phil.*, fév. 1913 ; — *Op. cit.*, p. 12-59. — 2. **S. Thomas**, *In I Periherm.*, lect. 3.

B. — Ast **in intellectu** componente et dividente, id est judicante [1], *proprie* loquendo, veritas aut error est.

Prob. — Nam veritas logica est conformitas cognitionis cum veritate objectiva : atqui hæc conformitas non habetur nisi in judicio, *pronuntiante adæquationem vel inadæquationem* inter duas res, sc. inter rem et conceptum de ea formatum ; ergo veritas non est nisi in judicio, — *directo* quidem, nam judicium, verum aut falsum, anterius est reflexione super ipsum, — *reflexo* etiam et perfecte si mens non tantum rei sit conformis, sed rationem suæ conformitatis cum ipsa re agnoscat per reflexionem super actus suos [2].

Confirmatur *exemplo*. — Nam sicut imago, v. g., Cæsaris, vera non dicitur, nisi quando ad suum exemplar comparatur et revera esse Cæsaris imago apparet ; sic idea, v. g., albedinis, apprehensa de papyro, vera non dicitur nisi mentaliter referatur ad papyrum et dici possit : iste papyrus est albus. Hoc autem proprie non fit nisi per judicium, in quo mens reflexione, suum actum et seipsam adæquatam objecto, cognoscit. Ergo in eo veritas.

8. Hinc FALSA, non recta est NOTIO veritatis apud subjectivistas.

A. — **Kant et subjectivistæ** cujusvis nominis, quia primo rejecerunt perceptionem realitatis immediatam per sensus, profiteri non possunt veritatem esse conformitatem cognitionis cum realitate, siquidem hæc conformitas cum realitate jam inaccessibili verificari nunquam poterit. Quapropter alii definitionem veritatis thomisticam (n. 6) absolute negant, alii vero eamdem, honoris causa, ore retinent, sed revera ejus sensum depravant, quippe qui in definitione prælaudata « rem » dicunt esse idem ac « substitutum mentale », ita ut, si ipsis fides, veritas *formalis* nihil aliud sit quam concordia idearum nostrarum inter se [3] : « La vérité ne consiste que dans l'accord de nos idées entre elles [4]. »

Jamvero hæc theoria *logice ducit ad ruinam totius scientiæ* seu *metaphysicæ objectivæ*. Nam quid refert habere notiones et principia, quæ mundo *ideali* applicari quidem possunt, sed quæ realitatibus hujusce mundi, utrum conveniant annon, scire non possumus ? Porro in hoc vitium impingat necesse est doctrina omnis quæ negat intuitionem realitatis, ut fatetur ipse Bergson : « Les doctrines qui ont un fond d'intuition échappent à la critique kantienne dans la mesure où elles

1. **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 2. — 2. *De Veritate*, q. I, a. 9 ; — cf. *Revue des sciences phil. et théol.*, an. 1921, p. 222 : note sur la théorie thomiste de la vérité ; — **Suarez**, *Disp. Metaph.*, III, sect. 3. — 3. Cf. **Sentroul**, *La vérité et le progrès du savoir*, in *Revue néo-scolastique*, mai et août 1911. — 4. **Kant**, *Critique de la raison pure*, p. 2, sect. II, § 8.

sont intuitives [1]. » Hinc est cur ab hoc errore recedere satis non videatur quorumdam neo-dogmatismus [2].

B. — **Non ita dogmatistæ**, pro quibus veritas logica in tantum dicitur *formalis* in quantum intellectum informat, informando perficit, perficiendo ducit ad quietem, quæ juxta vim definitionis supralaudatæ veritatis, in adæquatione cum rebus consistit.

Quod Critica munus habet præstandi *dupliciter* : *imprimis*, semel posito hominem ad veritatem pervenire certo posse, exponendo motivum, illudque objectivum et non subjectivum, propter quod in judicio potest certo pronuntiari attributum convenire subjecto [3] ; *secundario* homines ab erroribus liberando, sc. « tradendo modum docte ignorandi veritatem, docte dubitandi, docte opinandi [4] ». — Sunt enim circa veritatem plures animi status, de quibus fusius dicendum erit, sed in antecessum sit sermo de errore, in quo mens se habet *contrarie* ad veritatem.

ARTICULUS II
De Errore.

9. Quid et undenam sit ERROR [5] ?

A. — Error recte **definitur** : *defectus conformitatis judicii cum re judicata* ; talis est assertio : homo est æternus. Hinc :

1° Error *est in judicio*, sicut et veritas, proindeque sensuum et simplicis apprehensionis non est error, sed illusio et occasio errandi, ut plenius in Psychologia (n. 20-35) et supra (n. 7) dictum est.

2° Error objectivus *non est veritas incompleta*, ut voluit Cousin, sed potius privatio veritatis. « Homo est rationalis », en veritatem incompletam, quæ non exhaurit totam cognitionem hominis. « Homo non est rationalis », en errorem, qui, formaliter saltem, nullo modo veritatem participat.

B. — **Undenam sit** ? Lues illa erroris, quæ ubique grassatur, ex defectu *rationis* et *voluntatis* dimanat, sed aliter et aliter, nempe ex parte rationis quia subjectum, ex parte voluntatis quia causa est erroris : sunt judicia *erronea*, *non* tamen *sine aliqua motione voluntatis*.

1. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, 1912, p. 426. — 2. **Du Rousseaux**, *Le néo-dogmatisme*, in *Revue néo-scol.*, 1911-1912 ; — **Belmond**, in *Etudes franciscaines*, 1914, p. 113 ; — **Mercier**, *Critér.*, p. 23-35 et n. 144, *Appendice II*. — 3. **Mercier**, *Log.*, c. 4. — 4. **Lepidi**, *Logica*, 1875, p. 98. — 5. **Mercier**, *Log.*, n. 176-179.

Revera intellectus ex se natus est a veritate moveri tantum, unde sic : in casu erroris, intellectus vel ex necessitate intrinseca vel sub motione extrinseca voluntatis adhæret falsitati. Porro, non primum ; alioquin darentur evidentiæ illusoriæ nullumque refugium esset contra errores, ad quos sua natura mens ordinaretur. Ergo restat secundum, nempe voluntas, propter labores inquisitionis et arduitatem ipsius veritatis, præsertim ob subjectivas exigentias, plus minusve libere, imponit intellectui assensum ante perfectum quæstionis examen, claramque veritatis perceptionem [1].

Inde *accidentalis error* (n. 38), qui semper in mala voluntate radicatur et potest esse culpabilis : « L'entendement, de soi, est fait pour entendre ; s'il juge mal, il n'a pas assez entendu. La cause... est l'inconsidération qu'on appelle autrement précipitation... Le plus grand dérèglement de l'esprit, c'est de croire les choses parce qu'on veut qu'elles soient, et non parce qu'on a vu qu'elles sont en effet [2]. »

10. Quinam sint erroris FONTES e quibus haurit voluntas ?

Baco judicia falsa, quæ vocat « *idola* » seu falsas apparentias e quatuor fontibus non incongrue repetit [3].

1. Sunt enim « **idola tribus** », quæ sc. oriuntur ex *omnium hominum naturali propensione.* Hæc vero multiplex est ; unde multiplex etiam apud omnes erroris causa vel occasio. Homo enim inclinatur ad judicandum secundum *sensum*, unde invisibilia negligit ; — secundum *cordis* affectum, unde aversatur ab eis quæ sibi contraria apparent ; — secundum dispositionem *intellectus*, ut est desiderium unitatis vel abstrahendi consuetudo, unde, v. g., vel nimis universalizat et in unum confundit omnia, vel entibus rationis tribuit realitatem [4].

2. Errores non pauci sunt « **idola specus** », quæ ortum habent *ex individuorum* conditione vel indole. Hic enim novitatis, ille vero antiquitatis amore nimio decipitur. — Unus universalitatis desiderio omnes scientias aggreditur ; alter vero, excluvismi vinculis irretitus, scientiæ peculiari studens, cæteras facile contemnit. — Prior deductionem in scientiis naturalibus, posterior inductionem adhibet in omnibus. — Multorum tandem animus corpore gravatur et turbatur passionibus : « nam delectationes corporales impediunt rationis usum ratione distractionis, ratione contrarietatis, ratione ligaminis... [1] ».

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 17, a. 6 ; II-II, q. 1, a. 4 ; *De malo*, q. 3, a. 7 ; — cf. **Roland-Gosselin**, *La théorie thomiste de l'erreur* dans *Mélanges thomistes*, 1923, p. 253-274 ; — **Henri**, *L'imputabilité de l'erreur d'après S. Thomas*, in *Rev. néo scol.*, 1925, p. 225. — 2. **Bossuet**, *De la connais. de Dieu*, I, ch. 16. — 3. Cf. **Baco**, *Novum organum*, L. I, 39 et seq. ; — **Barbedette**, *Hist. de la Phil.*, n. 372 ; — **Bréhier**, *Hist. de la phil.*, II, p. 32. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 33, a. 3.

Jam, ut patet, hi duo fontes sunt *internæ* errorum *causæ* ; quarum prior est omnibus communis, posterior quibusdam particularis. Duæ vero sequentes sunt *causæ externæ.*

3. Sunt nempe « **idola fori** » quæ originem sumunt ex *mutua hominum societate.* Hoc quidem dupliciter : primo sc. ex *verborum fallacia*, quorum alia nihil significant, ut casus, fortuna ; alia vero in pravum sensum detorqueri possunt, ut fraternitas, æqualitas [2], laicismus... — Secundo ex *vulgatissimis opinionibus aut præjudiciis*, quæ tali loco talive tempore vigent, et pro veris accipiuntur ; nam, quemadmodum in practicis auctoritas exempli, ita in speculativis auctoritas testimonii animos regit.

4. Alii tandem errores sunt « **idola theatri** », quæ ortum habent ex falsa scientia [3], seu ex falsis dogmatibus receptis tum apud doctos et philosophos, tum apud criticos et patronos falsæ religionis. Hi sc. opiniones omnino falsas, inconcussæ veritatis instar, publice docent, et vulgus ducunt ad fanatismum, ut videre est apud Paganos, Judæos, Mahumetanos, necnon hodie apud socialistas et communistas.

His omnibus addi debet *specialis fons errorum* apud philosophos recentes, nempe neglectus Logicæ et Metaphysicæ. Revera, utriusque studium in gymnasiis brevi absolvitur et omittitur ars argumentandi : unde philosophiæ difficultates enodari solent academico sermone, in quo « sæpe sub eloquentiæ lenociniis turpissima sophismata propinantur [4] ».

11. Quænam sint errorum generalia et specialia REMEDIA [5] ?

1. Inter **generalia** errorum remedia, quatuor assignari possunt : *amor veritatis*, sapiens et *moderata dubitatio*, *cordis puritas*, *elevatio mentis* ad Deum. — Qui enim amat veritatem, præjudiciis non indulget ; — qui dubitatione sapienti et moderata utitur, non judicat, nisi clare et evidenter percipiat veritatem ; — qui mundus est corde, ille solus Deum et veritates morales videre poterit ; — qui tandem oratione humili auxilium divinum sibi conciliat, affectuum et sensuum illecebris non obtemperabit, et ad cognitionem veritatis tutius et facilius perveniet, secundum ea Psalmistæ : « In lumine tuo videbimus lumen [6]. »

1. **Sum. theol.**, *ibid.* — 2. **Balmès**, *Art d'arriver au vrai*, c. XIV. — 3. **Duilhé de Saint-Projet**, *Apologie scientifique*, 1897, p. 47 ; — **Newman**, *Hist. de mes opinions religieuses*, 1865, p. 89. — 4. **Liberatore**, *Log.*, II, c. 1, a. 5 ; — cf. **Leo XIII**, Enc. *Æterni Patris.* — 5. **De Tonquédec**, *Op. cit.*, p. 210-219. — 6. **Ps. XXXV**, 10 ; — cf. **Sum. theol.**, I-II, q. 34, a. 1.

2. At *specialia* sunt remedia, nam « principiis obsta... », quumque vel ab interna inclinatione, vel ab extrinseco semine procedat omnis error, *singulis* causis, ut par est, aptiora appone remedia, imprimis vero studium Logicæ et Ontologiæ ; qui enim firma *Logicæ* et *Metaphysicæ* fundamenta jecit, veritates altissimas ope ratiocinii demonstrare et subtilissima sophismata, positis aliunde ponendis, confutare valet.

3. Nostro tandem judicio, *specialissimum* remedium erit studium philosophiæ *scholasticæ*, præsertim *metaphysicæ thomisticæ*, a qua nemo unquam recessit impune, ut historia cujusvis erroris [1] et recentioris modernismi constat, teste Pio X, qui solemniter declarat « Aquinatem deserere, præsertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse [2]. »

ARTICULUS III

De variis animi statibus erga veritatem.

12. Quotuplex sit animi STATUS respectu veritatis ?

Mens potest esse in **quadruplici statu circa veritatem.** Cum enim veritas sit proprie in judicio, debet primo apprehendere separatim subjectum et attributum, dein unum cum altero conferre, postea percipere et tandem pronuntiare utriusque convenientiam vel disconvenientiam. Ideo vel nullam adhuc habet ideam de utroque aut saltem de utriusque relatione, vel ejusdem ideam obscuram habens sed hæsitans nihil enuntiat, vel aliquantisper apprehendens enuntiat judicium probabile seu cum quadam errandi formidine, vel denique eamdem evidenter percipiens firmiter adhæret veritati sic cognitæ sine ulla errandi probabilitate. — Si primum in *ignorantia* ; si secundum, in *dubio* versatur ; si vero tertium, *opinari* ; si quartum, *certa* esse dicitur.

Unde quatuor sunt mentis status erga veritatem, *ignorantia, dubium, opinio* — ad quam accedit *suspicio* — et *certitudo.* De tribus primis pauca, quia sunt status *incertitudinis* [3] ; postea et fusius de *certitudine* (n. 16).

13. Quid et undenam sit IGNORANTIA ?

A. — **Ignorantia** est ille status in quo mens *nullam ideam habet de re judicanda et ita nullum judicium proferre potest,* sive intelligere, sive conferre subjectum et attributum non

1. **Barbedette,** *Op. cit.*, n. 529, 550, 599. — 2. Cf. **Pius X,** Encycl. *Pascendi*, 1907 et Motu proprio *Doctoris angelici*, 1914. — 3. **Mercier,** *Critér. génér.*, p. 36.

valuerit. — Porro vel est de veritate quæ cognosci debet, et vocatur *privativa* ; vel de veritate cujus notitia non requiritur, et dici solet mere *negativa* et est *nescientia* potiusquam ignorantia.

B. — **Ignorantiæ causæ** sunt ipsamet simplicis rerum apprehensionis impedimenta. Hæc autem tria sunt ; nam sicut scissio ligni deficere potest vel propter ipsius securis malam dispositionem, vel ob defectum applicationis ex parte artificis, vel ob naturam materiæ cui applicatur ; ita pariter ignorantia vel ex mentis indole, vel ex motione languida voluntatis, vel ex materia studiorum provenire potest.

Primo quidem *ex parte mentis* : cujus sc. *stupor et hebetudo, præoccupatio* vel *distractio* favent ignorantiæ.

Stupens enim præ altitudine insolita veritatis, « timet et in præsenti judicare et in futuro inquirere [1] ». — « *Hebetudo* acuitati opponitur... per quam mens ad intima, i. e., ad essentiam, penetrare non sufficit [2]. » — *Præoccupatus* autem alienis opinionibus, vel diversis *distractus* ideis, rei cognoscendæ non attendit, juxta illud : « Pluribus intentus minor est ad singula sensus. »

Secundo etiam *ex parte voluntatis*, a qua præsertim pendet mentis applicatio. Nam voluntas quæ vel amore veritatis destituitur vel passionibus, concupiscentia, irave agitatur vel horrore difficultatis torpescit, intellectum retardat et in ignorantia detinet, nedum illum supra res sensibiles ad intelligibilia elevare valeat.

Tertio tandem ex *parte materiæ* seu *methodi* studiorum, quibus mens incumbit. Alii enim scientias omnes non gradatim, sed simul et sine ordine, acquirere volunt, aut difficilioribus, quibus idoneum non est ingenium, indulgent.

14. Quid et undenam sit DUBIUM ?

A. — **Dubium est** ille status in quo intellectus veritatem non omnino ignorat, sed eam non clare percipit et idcirco *inter affirmationem et negationem fluctuat anceps.* In eo statu, vel habentur motiva sed æqualia affirmandi et negandi, vel nulla dantur *pro* aut *contra* : si prius, dubium est *positivum* ; si posterius, est *negativum.*

Alias vero *species dubitationis*, quas ad solutionem multarum quæstionum in Critica notare par est, in Logica jam tetigimus (n. 176), et infra (n. 26) de ipsis redibit sermo.

B. — **Undenam sit ?** In particulare, aut etiam in univer-

1. **Sum. theol.,** I-II, q. 41, a. 4, ad 5. — 2. **Sum. theol.,** II-II, q. 8, a. 6, ad 1.

sale dubium mens præsertim dejicitur, sive ob variationem scientiarum, quæ ut vera tenent ea quæ progressu temporum falsa comperiuntur; sive ob controversias doctorum, qui sæpius hinc et inde scinduntur; sive ob apparentem contradictionem nostrarum facultatum, quæ contraria testari videntur.

Nota. — **Suspicio** inter dubium et opinionem quasi media est: est enim, non judicium, sed quædam ad judicandum *propensio* in iis qui, ut « in unam partem declinent, tenentur aliquo signo levi [1] ».

15. Quid et quotuplex sit OPINIO [2] ?

A. — **Opinio est** status in quo mens judicium profert cum aliqua errandi formidine seu brevius: *adhæsio mentis uni cum formidine alterius.* — Est *adhæsio uni rei* seu propositioni quæ aliqua nititur ratione, et ideo aliquatenus *probari* potest seu *probabilis* est; — *cum formidine alterius* rei seu propositionis, quæ et ipsa fundatur alia ratione, proindeque fit etiam *probabilis*. Unde *opinio* seu *sententia probabilis* ea est in qua connexio inter prædicatum et subjectum tali motivo nititur, quod tamen oppositi probabilitatem non excludat.

B. — **Duplici modo dividi** potest sententia probabilis.

1° *Absolute* considerata, est *intrinsece* vel *extrinsece* probabilis, prout innititur motivis ex intrinseca natura, vel ex auctoritate tantum desumptis. Utraque autem est *probabilissima*, vel *solide* et unice, vel *tenuiter* probabilis, ex majori vel minori sua approximatione ad veritatem.

2° *Relative ad aliam* considerata, duplex est geminatio seu æqualitas vel inæqualitas; nam sententia est *probabilis* et *æque probabilis* vel *probabilior* et *minus probabilis*; si primum, motiva utriusque sententiæ sunt æqualia; si secundum, sunt ex una parte majora seu graviora quam ex altera parte.

Quapropter diversarum *opinionum* existentiam ex pondere motivorum totam pendere manifestum est [3], ut videsis in Theologia Morali.

ARTICULUS IV

De Certitudine [4].

16. Quid sit CERTITUDO ?

Lato sensu certitudo est quid mere subjectivum et dicitur:

1. **Sum. theol.**, II-II, q. 2, a. 1; — *De veritate*, q. XIV, a. 1. — 2. **De Tonquédec**, *Op. cit.*, p. 493-502. — 3. Cf. **Gardeil**, *La certitude probable*, in *Revue des sciences philos. et théol.*, an. 1911, p. 237; — *Autour du probabilisme*, in *Archives de phil.*, vol. II, cah. II. — 4. **Mercier**, *Critér. génér.*, n. 11-21; — **Gény**, *Crit.*, p. 59-154.

firma mentis adhæsio alicui propositioni, quæ ut vera putatur, etsi forsan non sit. Hoc in sensu moralistæ de conscientia certa et vincibiliter aut invincibiliter erronea tractare solent.

Stricto sensu est quid subjectivum simul et imprimis objectivum, et definitur: *firma mentis adhæsio veritati cognitæ*, i. e., adhæsio innixa motivo quod excludit omnem prudentem errandi probabilitatem.

1° Est *firma mentis adhæsio*: unde differt *tum a dubio*, *tum ab opinione*; mens scilicet omnem dubitationem penitus exuens, plenam assensionem præbet objecto sibi proposito: en elementum *subjectivum certitudinis.*

2° Est *adhæsio veritati*: en *objectum materiale* certitudinis, quo *ab errore* distinguitur. In certitudine enim, res est qualis cognoscitur; in errore vero, deficit conformitas judicii cum objecto; quare « certitudo est, quando cognitio existimat de re sicut est [1] » et propterea dicitur *objectiva.*

3° Veritati *cognitæ*, i. e., innixa motivo sufficienti ad excludendum omnem prudentem errandi probabilitatem: en objectum *formale* certitudinis. Unde tale motivum debet excludere — *a*) aut *possibilitatem* contradictoriæ; v. g., totum est majus sua parte; — *b*) aut ejus *probabilitatem* etiam minimam, v. g., existit urbs Roma; — *c*) aut ejus probabilitatem, saltem *prudentem*, ut sæpius accidit in certitudine historica, v. g., testes resurrectionis Christi sunt veraces (n. 37, 81).

Hinc *philosophice* certitudo *formalis*, sive scientiæ sit, sive fidei, a cæca persuasione, quantumvis sincera, sed insufficienti motivo innixa, secerni debet. — Posita vero hujusmodi firmitate intellectus, *consequens* est ut cesset in voluntate *formido* quæcumque errandi.

17. Quænam sint SPECIES certitudinis ?

Imprimis ratione **motivi supremi** adhæsionis, prout est testimonium testis extrinsecum vel evidentia rei intrinseca, habetur *certitudo fidei* et *certitudo scientiæ* (n. 35). Hæc autem subdividitur sic:

1° Ratione **fundamenti proximi** quo nititur evidens assensus, certitudo potest esse *metaphysica*, *physica*, aut *moralis*, prout connexio inter subjectum et attributum nititur in ipsa rerum essentia, v. g.: idem non potest esse simul et non esse (lex metaphysica); — vel in naturæ corporeæ legibus aut in

1. **S. Thomas**, *De veritate*, q. VI, a. 3; — cf. **Gratry**, *Logique*, L. I, c. II.

experientia ; ex. g. : mortui non resurgunt (lex physica) ; — vel in constantia naturæ et ideo morum hominum : ex. g. : matres sponte naturæ diligunt filios (lex moralis).

Jamvero ex illis tribus judiciis seu certitudinis speciebus, prima est *absoluta* ita ut ejus contradictoria sit absurda, sc. nec existit nec existere potest, etiam voluntate Dei ; secunda est simpliciter *hypothetica* et ejus contradictoria est tantum falsa, sc. non existit sed potest existere, saltem per miraculum ; tertia potest esse *stricta*, sed sæpe non est nisi maxima probabilitas (Log., n. 61), sc. ejus contradictoria est exceptionalis, ordinarie non existit sed aliquando potest existere ob interventum libertatis.

2° Ratione **conditionum subjectivarum** quibus obtinetur, certitudo est *mere intellectualis* vel *moralis* [1], *moralis* autem in sensu prorsus diverso ac supra. Prius habetur cum certitudo est fructus intellectus solius, ut certitudo primorum principiorum et mathesis. Posterius habetur, v. g., in certitudine veritatum, quæ important legem et officia, sc. quæ ut affulgeant menti, exigunt conditiones morales, quales sunt voluntatis rectitudo, nobilitas animi, puritas cordis, etc.

Sunt enim veritates, puta lex moralis, libertas, existentia Dei, vita futura, quæ passionibus obsistunt obviam, quæ ideo totis viribus, totaque anima quærendæ sunt, ut perbelle asseruit Plato : σὺν ὅλῃ τῇ ψυχῇ. Nam, v. g., amor veritatis et justitiæ — *a*) majorem provocat *attentionem* in inquisitione probationum existentiæ Dei, dum timor veritatis a veritate retrahit ; — *b*) simulque *notiones morales* præbet sine quibus justitia cæteraque attributa Dei essent fere inintelligibilia. In hoc sensu certitudo moralis meritoria dici potest, saltem *a parte ante*, i. e., in inquisitione veritatis, quam accipere, imo et videre homo libere potest vel non. — Cæterum *a parte post*, inventa veritate, dum ejus evidentia actu lucet, ei non adhærere non potest intellectus. Restat vero ut objectiones vanas et dubitationes imprudentes removeat ipsa voluntas ; cui tamen non licet — contra recentiores *dogmatismi moralis* patronos [2] — imperare assensum non proportionatum dignitati rationum quæ per prius innotuerunt intellectui.

Brevius, certitudo moralis, sicut omnis certitudo, est quidem assensus intellectus, sed elicitus sub influxu voluntatis, quæ intellectum et removet a consideratione motivorum imprudentium et inclinat ad motiva legitima consideranda.

1. **Ollé-Laprune**, *De la certitude morale*, 1880, p. 4, 10, 12, 17, 124, 346, 378, 413-414 ; *La philosophie et le temps présent*, 1890, ch. XII, XVI ; — cf. **Charaux**, *De la méthode morale*, 1866. — 2. *Contra* **Ollé-Laprune**, *La philosophie et le temps présent*, ch. XIII, p. 276, 1re éd. ; — cf. **Billot**, *De immutabilitate Traditionis*, 2a ed., 1907, c. v.

3° Ratione **perfectionis in cognitione motivorum**, certitudo est *vulgaris* aut *philosophica*. Certitudo *vulgaris*, quæ etiam dicitur *empirica*, *spontanea*, est firmus mentis assensus cum *implicita* tantum cognitione motivorum : ita puer aut indoctus de propria existentia sane non dubitat, cujus tamen rationes explicite ignorat. Certitudo *philosophica*, *scientifica*, *reflexa*, supponit *explicitam cognitionem* motivorum quibus impellimur ad rei perceptæ firmiter hærendum : hanc habet philosophus, qui cognitiones suas examini suddit (n. 40).

Hoc quidem examen plus minusve protrahi et exigi potest ; ideo distinguunt etiam, ratione *exigentiarum subjecti*, certitudinem *absolutam* et certitudinem *relativam seu respectivam*. Unde

18. Utrum et quonam sensu sint GRADUS in certitudine ?

Alii *affirmant* gradus inesse certitudini ; alii *negant*, ut Cartesiani, juxta quos certitudo est vel non, et consistit *in indivisibili* ; alii tandem **distinguunt**, contenduntque nullum esse gradum in certitudine, si spectetur ut *dubii exclusio* ; si spectetur autem ut *mentis adhæsio*, majorem aut minorem esse posse. In hoc ultimo sensu statuitur

THESIS

Dantur gradus in certitudine, quatenus est adhæsio mentis.

Prob. — Principia certitudinis sive *subjectiva*, sive *objectiva*, gradus habent : ergo pariter adhæsio, quam producunt.

Principia subjectiva tria sunt : *intuitio directa sensus*, *intuitio directa intellectus*, *rationis discursus*. Porro ex facultatibus intuitivis aliæ aliis sunt nobiliores ac proinde certiores : sic, v. g., « visio est certior auditu [1] » ; intellectus *in se* clarior est sensu, quamvis *in homine* perceptio sensibilium sit magis accommodata conditioni nostræ et ideo subjective certior seu vividior ; denique inter ratiocinationes aliæ aliis lumine præcellunt, v. g., geometria luciditate sua præstat historiæ. Ergo et certitudo.

Principia objectiva sunt etiam tria ; *objectum*, *motivum* et *evidentia*. Porro non quælibet *objecta* eumdem intelligibilitatis gradum habent, sive *in se*, sive *quoad nos* : v. g., mysteria fidei, quoad nos, sunt minus intelligibilia, eo quod intellectum nostrum transcendunt. — *Motiva* vero quibus

1. **Sum. theol.**, II-II, q. 4, a. 8, ad 2.

certitudo nititur, possunt esse plus minusve perfecta sive numero, sive qualitate. — Denique *evidentia* ipsa, tamquam lux solis, varios fulgoris gradus suscipere potest. Ergo et certitudo.

Confirmatur experientia; non enim eadem est convictio apud omnes, v. g., quod volvitur terra circa solem, sed minor in pueris et rudibus, major in doctis : item major fides in martyribus quam in catechumenis, etc. — Hinc *theologice* falsum est quod « certitudo evidentiæ non habet gradus [1] ».

19. Colliges quænam sint CERTIORA : — i. e., quænam firmiorem assensum *de facto* generent aut *ex se* generare valeant.

1° *Per se* ea quæ spectant ad fidem certiora sunt quacumque scientiarum conclusione : ea enim creduntur propter auctoritatem Dei revelantis, quo criterio nullum majus est. Inter certitudines autem naturales, certitudo metaphysica perfectior est quam physica, hæc vero perfectior est quam moralis.

2° *Quoad nos* autem, ea quæ sunt in se certissima possunt esse minus certa sive propter dispositiones morales, sive propter imbecillitatem intellectus nostri, « qui se habet ad manifestissima naturæ sicut oculus noctuæ ad lumen solis [2] », sive tandem ob defectum scientiæ. « Inde est quod fides est *simpliciter certior*, sed alia sunt certiora *secundum quid*, scilicet *quoad nos* [3]. »

CAPUT SECUNDUM

DE EXISTENTIA CERTITUDINIS [4]

20. Status quæstionis. — Nonnulli contendunt hominem ad veritatem pervenire non posse : et hi sunt *sceptici*, e verbo σκέπτομαι, spectare, quærere. Adversus eos *dogmatici* propugnant objectivum valorem operationum nostrarum, modo habeantur in statu normali Unde circa **existentiam certitudinis,** duplex est sententia : dogmatistarum et scepticorum.

Utrique admittunt existere spontaneas adhæsiones mentis relate ad varia objecta. Harum tamen adhæsionum plures per reflexionem apparent illegitimæ. Quæstio igitur est utrum omnes sint tales ? **Dogmatismus** contendit nos habere criterium validum, sc. evidentiam, ad discernendum, reflexionis ope, certitudines falsas a veris, atque asserit nostras facultates esse per se veraces, licet possint falli per accidens. **Scepticismus** autem negat nos habere tale criterium sufficiens ad

1. Cf. **Denz.-Banw.**, *Enchiridion*, n. 556. — 2. **Sum. theol.**, I, q 1, a. 5 ; — cf. **Suarez**, *De fide*, Disp. VI, sect. 5. — 3. **Sum. theol.**, II-II, q. 4, a. 8. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 17-27 ; — **Mercier**, *Ibid.*, n. 5-9 et 23-28.

discernendum adhæsiones veras a falsis, unde concludit omnes nostras cognitiones esse *reflexive* dubias, licet spontanee appareant certæ. — Hujus scepticismi *tria sunt* præcipua argumenta : 1um, sensus et ratio sæpe nos fallunt ; 2um, ratio forsan genio maligno deluditur ; 3um, criterium certitudinis ab alio criterio certificari debet, et istud ab altero et ita in infinitum. — Hæc, posito in tuto dogmatismo, haud ægre confutabimus (n. 29).

ARTICULUS I

De Dogmatismo.

21. Quænam sit DOGMATISMI doctrina [1] ?

Dogmatismus (δόγμα) est *doctrina eorum qui generatim contra scepticos objectivitatem cognitionis et certitudinis propugnant*, speciatim vero certas esse quasdam veritates, certaque dogmata in re philosophica contendunt. Ecce igitur, contra saltem tendentiam oppositam scepticorum, fundamentalis assertio hujusce omnino sani, nullatenus cæci, dogmatismi. Hæc assertio duplex sit, nam certitudo considerari potest in ordine spontaneo, deinde in ordine reflexivo. Unde

ASSERTUM I

Primo quidem in ordine **spontaneo**
certitudo, non dubitatio, est status mentis initialis [2].

Prob. — Nobis enim insunt quatuor, inferius exponenda, criteria seu media cognitionis, sc. *sensus externi*, *conscientia*, *intellectus* et *ratio*. Porro in singulis plura ante omnem inquisitionem revera ut certa *admittuntur*, *saltem implicite* : ita in ordine *reali* sensationis, existentia mundi et corporum externorum ; in ordine *subjectivo* conscientiæ, existentia subjecti cognoscentis ; in ordine *ideali*, v. g., principium : idem non potest esse simul et non esse ; in ordine *inferentiæ* capacitas mentis ad cognoscendum illationes sequentes : cogito, ergo habeo capacitatem cogitandi, ergo sum, et plures id genus. Hæc enim manifesta sunt omnibus in statu normali et ideo demonstratione non indigent, nec aliunde valent sine petitione principii demonstrari aut impugnari ; sed monstrari possunt, nam, experientia teste, clare inveniuntur in

1. Cf. **Mercier**, *Op. cit.*, L. II, c. II et III ; — *Etudes*, 20 janv. 1911. — 2. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 338-354 ; — ita etiam **Du Rousseaux**, *Le néo-dogmatisme*, in *Revue néo-scol.*, 1911-1912 ; — **Gény**, *Critica*, n. 100.

quolibet evidenti perceptionis actu et in omni assensu certo ; imo inter se uniuntur et ab invicem dependent.

Dixi : admittuntur **saltem implicite**, et quidem homo solus, non animal, imo nec sensus hominis se certitudinem habere scit *explicite*. Sed hæc reflexio primordialis est et spontanea : sicut enim homo, qui loquitur, ambulat, digerit cibos, certo se cognoscit capacem loquelæ, ambulationis, digestionis et non incapacem simul, ita qui cogitat, statim novit *implicita* et *spontanea* reflexione se existere, se cogitare, ergo posse cogitare, hæc omnia non posse non esse... et multa alia ejusdem generis et evidentiæ immediatæ.

22. Consequenter imprimis — *existit certitudo, ejusque existentia*

1º Est factum **perspicuum.** Videlicet sicut existentia solis demonstratione non indiget, sed aperienti oculos manifesta fit, ita paulisper attendenti, reflexione primo *spontanea*, dein *philosophica, luce clarius* apparet seipsum de multis rebus sive abstractis, sive concretis ; v. g., de primis principiis, de existentia suiipsius, habere certitudinem objectivam

2º Est factum **necessarium.** Non enim potest intellectus e statu certitudinis declinare, sed invincibiliter, velit nolit, ad verum asserendum inclinatur, non quidem cæca propensione, sed *fulgore veritatis* : « ut enim necesse est lancem in libra, ponderibus impositis, deprimi, sic animum perspicuis cedere [1] ».

3º Est factum **naturale** ac proinde legitimum. Quippe, sicut bonum est voluntatis, ita verum est intellectus *objectum* naturale et proprium. Gratis ergo asseritur mentem nostram vel natura sua, vel genio quodam perpetuo deludi, et ad falsitatem esse inclinatam ; natura enim numquam decipit animalia in necessariis inclinationibus, ut scientia constat.

En sane factum, quo nihil fortius est : « de sorte que toutes les raisons de ces philosophes (Académiciens) ne sont pas plus capables d'empêcher l'âme de se rendre à la vérité, lorsqu'elle en est fortement pénétrée, qu'elles ne sont capables d'empêcher les yeux de voir, lorsqu'étant ouverts, ils sont frappés *par la lumière du soleil* [2] ».

23. Consequenter etiam — 1º *existentia certitudinis nec ignorari, nec in dubium vocari,* **nec negari reflexe** *potest, sine evidenti contradictione.* Nam qui reflexe dicit : « ignoro an existat certitudo », vel : « dubito an existat », vel « nego quod

1. **Tullius**, *Acad.*, I, Lib. II, n. 12. — 2. *Logique de* **Port-Royal**, 1er *discours*, p. 6 ; — cf. **Picard**, *Le problème critique fondamental*, in *Archives de phil.*, 1923.

existat certitudo », certam esse suam ignorantiam, suam dubitationem suamve negationem implicite supponit. Jamvero scire simul et ignorare, certum esse et dubitare, affirmare et negare, evidentem implicant contradictionem.

2º **Nec etiam ratiocinio impugnari** *potest* ; nam per seipsam refelleretur argumentatio. Is enim a seipso refellitur, qui negat in conclusione syllogismi quod jam in præmissis pluries affirmavit ; porro qui in conclusione infert negationem certitudinis, jam asseruit certam esse majorem argumenti, pariterque minorem, necnon connexionem conclusionis cum præmissis ; ergo triplici saltem modo semetipsum refellit qui ratiocinando vult impugnare existentiam certitudinis.

24. Consequenter tandem — *certitudo primaria probari nequit*, sive generatim, sive speciatim sumatur.

1º **Non certitudo generatim,** nam petitione principii niteretur demonstratio. Is enim petit principium qui ut verum supponit quod est demonstrandum ; porro qui demonstrare vellet certitudinis existentiam, jam ut veram assumeret, sive majorem, sive minorem, sive consequentiam sui argumenti : ergo sophismate, quod dicitur petitio principii, laboraret demonstratio.

2º **Non primum philosophicum** [1]. — Hoc nomine veniunt *primariæ veritates* in quibus, velut in fundamento, nititur tota philosophia. Porro, ut patet, non omnia possunt demonstrari, *ἀνάγκη στῆναι*, sistere necessarium ; si enim major primi argumenti per aliud argumentum demonstraretur, et major novi argumenti per alterum, et sic deinceps, vinceret regressus in infinitum, nec ulla daretur demonstratio [2].

Quinimo, non una, sed multiplex est veritas indemonstrabilis : sunt enim permultæ veritates immediate evidentes, quæ non indigent demonstratione nec valent demonstrari ; — quæ tamen indirecte et ab absurdo per reductionem ad impossibile *monstrari* possunt : de quibus supra (n. 21).

ASSERTUM II

25. Secundo etiam in ordine **REFLEXIVO,**
certitudo, non dubium, est et potest esse initium Criticæ.

Contradicunt quidem Cartesiani, dubitationis methodicæ fautores, necnon neo-dogmatismi auctores : priores enim dubium

1. **Gény**, *Crit.*, p. 108-119. — 2. Cf. **Mercier**, *Critèr. génér.*, n. 47-51 ; n. 53-57 et p. 375 ; — *Revue néo-scol.*, janv. 1895.

universale *positivum*, posteriores vero, nempe Lovanienses [1] dubium universale *negativum* tanquam initium Criticæ propugnant. Sed contra :

I. — **Nec dubium universale positivum**, in sensu Cartesii, potest admitti ut initium methodi, sicut demonstravimus in Logica (n. 181) et propugnant ipsi Lovanienses.

II. — **Nec dubium universale negativum** seu ignorantia certitudinis ante criticam reflexionem [2], — *tum* quia non datur absoluta separatio inter certitudinem spontaneam et reflexivam, cum prior sine altera, etiam in pueris, diu esse nequeat et posterior primam supponat et continuet ; — *tum* quia philosophus qui crisim incipit, non potest nisi illusorie de omnibus etiam negative dubitare, quin hæc dubitatio universalis, si realis, logice vergat, sicut illa Cartesii, in scepticam, et, si fictitia, eo ipso non sit universalis (Log., n. 180-181) ; — *tum* denique quia certitudo spontanea apprehendit necessario ipsum objectum quod postea reflexiva, et ulterius philosophica, attingit, idque illud supponendo, non faciendo [3].

Quapropter, reflexione philosophica et critica, forsan *tentari* poterit dubium universale, sed frustra ; nam coram veritatibus spontanee et immediate evidentibus, statim istiusmodi dubium impossibile, luce clarius, apparebit. Quod fatetur ipse Mercier : « L'état initial de l'esprit dans le domaine de la réflexion, c'est donc la certitude [4] ».

Dicunt Aristotelem et S. Thomam in initio Metaphysicæ universalem dubitationem instituisse. — Resp. universalem, i. e., de veritatibus metaphysicis quæ sunt ordinis universalis, *conc.* ; universaliter dubitando, etiam de ipsamet potestate judicandi, *nego* ; nam, ut patet ex contextu, nec *positivum* nec *negativum* universale dubium in usu unquam habuerunt [5].

ARTICULUS II

De Scepticismo [6].

26. Quid et quotuplex sit SCEPTICISMUS ?

A. — **Scepticismus est** *systema eorum qui negant intellectum humanum veritatem cognoscere posse.*

1. **Mercier**, *Critér. génér.*, n. 38-42, ejusque discipuli, Mgr **Sentroul** et **P. Jeannière**; — cf. **De Tonquédec**, *Op. cit.*, p. 436 ; — cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 68. — 2. Cf. **Gény**, *Op. cit.*, p. 108 ; — **Gilson**, *Le réalisme méthodique*, 1930. — 3. **De Tonquédec**, *Op. cit.*, c. I ; — **Roland-Gosselin**, in *Rev. des sciences phil. et théol.*, 1931, p. 676, 679. — 4. **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 61. — 5. **De Tonquédec**, *Ibid.*, c. XI. — 6. Cf. **Boyer**, *Op. cit.*, 1921, p. 12-47 ; — **Gény**, *Critica*, 1927, p. 57-129.

Dicitur *systema*, nempe philosophorum, qui certitudines nostras dicunt esse mere practicas, in se vero et, relate ad res ut sunt in seipsis, illusorias : unde, juxta eos, dubium est lex seu conditio normalis rationis humanæ. — Hinc dubitatio scepticorum differt : *a*) a dubio prudentum qui propter ignorantiam aliudve motivum, veritatem quamdam in dubium revocant ; *b*) a dubio methodico quod est aut potest esse fictitium, non reale, nec finis est sed medium quo utimur ad veritatem inveniendam (Log., n. 176).

B. — Scepticismus vel generatim *omnia* certitudinis *media* vel *unum* tantum aut *alterum* rejicit : unde **duplex est, universalis et particularis.** Si prius, *nihil* certo cognosci potest ; si posterius, de *quibusdam* veritatibus solummodo dubitandum est.

1º Scepticismus universalis est duplex, videlicet *absolutus* seu *pyrrhonicus*, et *mitigatus* qui dicitur etiam *academicus.*

Juxta scepticismum *absolutum*, quidquid *percipi* et *cognosci* videtur *in se* est neque verum neque falsum, neque pulchrum neque turpe, neque justum neque injustum. Patroni hujus systematis sunt præsertim Gorgias et Protagoras, Pyrrho apud veteres : Bayle et Hume, sæculis proxime elapsis [1].

Juxta scepticismum *mitigatum*, mens humana veram certitudinem assequi non valet, sed ad quamdam probabilitatem tantum assurgere potest circa multa, eorumque probabilitas sufficit ut « sapientis vita [2] » regatur. Viguit olim in Academia nova et tertia (Tullius) necnon apud recentiores Montaigne, Pascal et alios [3].

2º Sceptici particulares veri sunt *agnostici* et improprie sceptici, quia non negant sed limitant certitudinem, variisque nominibus designari solent, ratione criterii quod rejiciunt.

Ita viguit et viget adhuc apud nos scepticismus *subjectivus* seu *objectivus*, quo realitas objectiva conceptuum nostrorum impugnatur ; *empirismus* qui perceptioni rationis, aut *idealismus* qui perceptioni sensuum adversatur ; sed etiam et magis improprie *rationalismus*, qui auctoritatem revelationis, vel *fideismus*, qui vim rationis non admittit ; scepticismus tandem *historicus*, quo testimonii hominum veracitas in dubium revocatur (n. 42-112).

Quorum quidem omnium origo fuit aut propugnaculum manet **subjectivismus,** qui est forma præstantior scepticismi particularis et ubique grassatur apud hodiernos.

Ideo de utroque sc. de universali *scepticismo* et de particulari *subjectivismo* dicendum nobis est.

1. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 36, 81, 408, 431. — 2. **Tullius**, *De natura deorum*, L. I, n. X. — 3. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 94, 356, 410.

§ I. — *De Scepticismo universali.*

27. Utrum et quatenus scepticismus UNIVERSALIS sit falsus ?
Si aliquis scepticus etiam de *apparentiis* dubitare vellet, his verbis argui solummodo posset quæ Platoni tribuuntur : « Vel tu scis quod dicis ; vel illud nescis. Si tu scis quod dicis, ergo homo aliquid scire potest : si nescis quod dicis, ergo tacere debes, ne insanus ab omnibus habearis ». Sed dubitatur utrum exstiterit unquam talis scepticus.

Contra scepticismum sive pyrrhonicum sive academicum sit

THESIS I

Scepticismus universalis non directe sed indirecte confutari potest.

I. — **Non directe.** — Nam omnis disputatio logica incipere debet a principiis, quæ ut certa et indubia tenentur ab adversario ; atqui scepticus absolutus de omnibus dubitat et nihil concedit certum ; unde superfluum est cum eo directe disputare [1].

Nec dicas hoc ipso scepticismum dogmatismo superiorem esse, quia nullo argumento certo convinci potest. — Nam quid mirum ? Scepticus est hostis reusque rationis, imo hostis qui certamen recusat, reus qui coram judice sistere non vult. Hoc illi commune est cum ebriis, furiosis, amentibus, imo et cum belluis, arboribus et lapidibus, de quibus profecto nullam unquam victoriam reportabis : « ὅμοιος γὰρ φυτῷ, — similis enim stipiti. »

II. **Sed indirecte**, ad instar Aristotelis [2], S. Augustini [3] et S. Thomæ [4], sic : in tantum scepticus proprium systema commendare valet, in quantum præmissa certa aut certo probabili inniti posset : atqui hoc fieri nequit. Ideo ejus argumenta evertere satis erit (n. 29).

28. Non ergo scepticis, sed viris sanæ mentis proponitur altera

THESIS II

Scepticismus universalis, quicumque sit, est falsus.

Prob. — Illud est falsum quod naturæ adversatur, contradictiones implicat, evertitque moralitatem ; atqui

1° Scepticismus universalis *naturæ humanæ* adversatur, unde *naturaliter* seu **physice impossibilis est.** — Illud enim est physice impossibile, quod innato desiderio et invictæ propensioni adversatur. Porro scepticismus universalis adversatur innato sciendi desiderio et invictæ propensioni qua homines assensum præbent rebus « perspicuis [1] ». Ergo scepticismus universalis est physice impossibilis.

1. S. Thomas, *In XII Metaph.*, L. IV, lect. 3a. — 2. *Met.*, L. IV. — 3. Boyer, *Op. cit.*, p. 21. — 4. *In Met.*, L. III, lec. 3.

Quod ipse Pyrrho fatetur, nam, rabido cane occurrente, fugit dicens : « Quam difficile est naturam exuere [2]. » Unde Pascal : « L'homme doutera-t-il de tout ? Doutera-t-il s'il veille... ? Doutera-t-il s'il doute ? Doutera-t-il s'il est ? On n'en peut venir là ; et je mets en fait qu'il n'y a jamais eu de Pyrrhonien effectif et parfait. La *nature* soutient la raison impuissante et l'empêche d'extravaguer jusqu'à ce point [3]. »

2° Scepticismus universalis *contradictiones* implicat, et idcirco dicitur *speculative* seu **metaphysice impossibilis.** — Re quidem vera, aut falsum aut verum est principium quo nititur scepticus, nempe : *nihil certo cognosci potest.* Si prius, aliquid certo cognoscitur : nempe falsum est *nihil certo cognosci posse.* Si posterius, aliquid iterum certo cognoscitur, scilicet verum est *nihil certo cognosci posse.* — Nisi forsan dubitet an tale principium verum sit aut falsum : tunc autem ejus dubitatio, theoretice dubia, certa sit oportet, saltem practice et tanquam certa habetur ab ipso.

Hinc de facto qui dubitat, certo cognoscit quid sit dubium, quid certitudo, quid veritas, quid error [4], etc... et alia plura (n. 6-19) : ergo non existit scepticus universalis.

3° Scepticismus universalis *omnem* evertit *moralitatem*, unde **moraliter illicitus est.** — Revera scepticus a suo dubio non excludit ipsam Dei existentiam neque dictamen conscientiæ, quæ est regula proxima morum ; his vero duobus de medio sublatis, omnis corruit moralitas.

Dicitur : scepticismus universalis, **quicumque sit**, est falsus. Nam scepticismus academicus logice propellit ad scepticismum rigidum ; nam, si verum sit principium Carneadis : « nihil est certum sed tantummodo *probabile* », verum est quoque principium Pyrrhonis : « nihil *certo* cognosci potest ».

29. Hinc diluuntur memorata scepticorum ARGUMENTA [5].
Tria sunt ex dictis (n. 20) asserta scepticorum. Ea vero imprimis laborare petitione principii vel contradictione dici debent : ponunt enim præmissas certas. Attamen

Obj. 1a. — Non est credendum ei qui fallitur ; atqui RATIO HUMANA perpetuo fallitur ; ergo illi non est credendum. « Notre

1. Tullius, *Acad.*, 1, Lib. II, n. 12. — 2. Lucretius, IV, 475. — 3. *Pensées*, c. IV, § 25. — 4. Gény, *Critica*, 1927, n. 100. — 5. Farges, *Ibid.*, p. 69-78.

raison est une voie d'égarement... La raison n'est qu'une coureuse qui ne sait où s'arrêter ; nouvelle Pénélope, elle défait chaque jour ce qu'elle a fait la veille [1]. »

Resp. *Dist. maj.* : nunquam est credendum ei qui fallitur *perpetuo, conc.* : qui fallitur *aliquando, neg.* — *Contradist. min.* ; ratio humana fallitur *aliquando* aut etiam *sæpe, conc., semper, nego.* Porro præsto nobis est medium *discernendi* quando errat ratio et quando non errat, nempe reflexio super motivum objectivum nostræ adhæsionis (n. 33).

Obj. 2a. — Ratio forsan MALIGNO GENIO deluditur ; ergo per se ex natura sua semper errat (Cartesius).

Resp. *Nego ant.*, quod gratis asseritur, gratis negari potest. — Ratio vel in se vel in actibus suis perpenditur. Si prius, nequit a priori infitias iri : revera, quum omnibus insit innatum sciendi desiderium, fieri nequit ut ratio humana aut facultas quæcumque cognoscitiva, quamvis per se non infallibilis sicuti est solus Deus, sit per se et essentialiter errori obnoxia ; secus enim natura deficeret in necessariis. Si posterius — et melius, quia ex actibus suis tantum et non in se cognosci valet facultas, — ex recto usu rationis bene perpenso, inferetur ejus aptitudo ad verum cognoscendum.

Obj. 3a. — Argumentum *diallelis* ex duplici parte sumitur :

a) Ex parte *subjecti* sic : nihil admittendum est priusquam demonstretur ; atqui APTITUDO mentis ad attingendum verum nequit demonstrari sine circulo vitioso, ergo nec admitti.

Resp. *Dist. maj.* : si hoc indiget demonstratione quia non est evidens, *conc.* : secus, *neg.* : nam falsum est illud principium : omnia sunt demonstranda, cum et ipsum sine contradictione demonstrari non possit. — *Dist. min.* : hæc aptitudo nequit demonstrari discursive, *conc.*, nequit experiri, sc. intuitive percipi in ipso actu rationis *neg.* ; siquidem in ipso actu cognitionis intuitive percipit intellectus quod ipse sit aptus ad cognoscendum, nempe quod pro intellectu ab actu ad posse valet consecutio.

b) Ex parte *motivi* sic : ut verum a falso discernatur, requiritur CRITERIUM infallibile ; illud vero deficit ; ergo. — Minorem sic probat Montaigne : « Pour juger des apparences que nous recevons des objets, il nous faut un instrument judicatoire ; pour vérifier cet instrument, il nous y faut de la démonstration ; pour vérifier la démonstration, un instrument : nous voilà au rouet... Puisque les sens ne peuvent arrêter notre dispute, il faut que ce soit la raison : aucune raison ne s'établira sans une autre raison : nous voilà à reculons jusqu'à l'infini [2]. »

Resp. *Dist. maj.* : requiritur criterium intrinsecum veritati cognitæ, *conc.*, extrinsecum, *neg.* — *Contradist. min.* : deficit et non sufficit extrinsecum, *conc.*, intrinsecum, *nego*, nam hujusce criterii vices perfecte adimplet evidentia objectiva. — Rationem vero allatam sic impugnat *Port-Royal* in Logica : « Comme il ne faut point d'autres marques pour distinguer la lumière des ténèbres que la lumière même qui se fait sentir, ainsi il n'en faut point

1. Cf. **Bayle**, *Diction.*, art. *Pyrrhon.* — 2. Ita **Montaigne**, *Essais*, L. II, c. 12 : Apologie de Raymond de Sebonde, *circa fin.* ; — cf. **Jouffroy**, *Œuvres de* **Reid**, *Préface du trad.*, p. 187-192.

d'autres pour reconnaître la vérité que la clarté même qui l'environne et qui se soumet l'esprit et le persuade malgré qu'il en ait [1]. » Jamvero iste fulgor vocatur et est evidentia, quam esse supremum veritatis criterium infra probabitur (n. 35-40).

Obj. gen. — Omnes veritates pendent ab invicem, ac proinde cognitio unius veritatis supponit cognitionem omnium aliarum.

Resp. *Transeat ant.*, *nego cons.* in utroque ordine, ideali et reali. In ordine *ideali* veritas universalis non pendet a cognitione veritatis particularis, v. g., veritas principii contradictionis non pendet a cognitione omnium rerum in quibus verificatur. In ordine autem *reali* hoc non requiritur etiam ad cognitionem perfectam alicujus rei, a fortiori ad cognitionem veram licet inadæquatam : ortus, v. g., solis in Lutetia non pendet a pluvia quæ forsan cadit in Oceania. Ideo *antecedens* nimium dicit.

Inst. — Scepticismus est remedium contra dogmatismum, ergo saltem prudens et utilis est : ita Cousin post Cartesium [2].

Resp. *Dist. ant.* : dubium fictitium, methodicum et partiale, est remedium contra dogmatismum effrenatum, *conc.*, — dubium reale, scepticum et universale, *nego.* — Error enim curari nequit pessimo omnium errore, qualis est scepticismus, qui est negatio omnium veritatum, quarum loco nihil omnino ponit (Log., n. 181).

Hactenus de scepticismo *absoluto*, cujus existentia non constat : nunc de scepticismo *relativo* et historice indubio.

§ II. — *De Subjectivismo.*

30. QUID SIT SUBJECTIVISMUS de valore intellectus [3] ?

Quæstio versatur imprimis in ordine ideali. Sunt nempe judicia convenientiæ aut disconvenientiæ inter duas notiones ideales, v. g., inter causam et effectum..., inter totum et partes ejus. Quæritur autem utrum istiusmodi judicia realitate objectiva dictentur an e contra dispositione subjectiva et cæca imponantur omnibus. Jamvero **subjectivismum** propugnant Kant ejusque discipuli idealistæ.

A. — Supponit **auctor** *Criticæ Rationis puræ* facultates cognoscitivas hominis instrui formis innatis, — quæ ideo dicuntur a priori et transcendentales, — quibus mediantibus objecta percipiantur aliter ac sunt, subsequenti modo :

1. **Formæ.** Juxta Kant, tres sunt facultates cognoscitivæ :

a) *Sensibilitas*, cujus formæ nativæ sunt *spatium* et *tempus*. Res quidem in se non sunt extensæ nec temporales, sed ita apparent eo quod his formis vestiuntur : en *intuitiones* sensibiles.

b) *Intellectus*, cujus formæ nativæ sunt *duodecim categoriæ* in quatuor classes divisæ : 1° *Quantitas* (sc. unitas, pluralitas, tota-

1. Logique de **Port-Royal**, *Ier discours*, p. 6. — 2. **Cousin**, *Hist. de la phil.*, t. I, leç. V, p. 448. — 3. **D. Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 467 et suiv. ; — **Maréchal**, *Op. cit.*, cah. III ; — **Noël**, *Op. cit.*, p. 156-198 ; — **Boutroux**, *La phil. de Kant*, 1926.

litas) ; — 2° *Qualitas* (sc. realitas, negatio et limitatio) ; — 3° *Relatio* (sc. substantia et accidens, causa et effectus, actio mutua) ; — 4° *Modalitas* (sc. possibilitas et impossibilitas, existentia et non existentia, necessitas et contingentia) : en *conceptus*.

c) His facultatibus accedit *ratio*, cujus formæ nativæ sunt ideæ tres, quas et ipsa induit, colligendo sparsa et divisa elementa sensibilitatis et intellectus in triplicem unitatem, sc. *psychologicam* seu τὸ ἐγώ, *cosmologicam* seu mundum, *theologicam* seu Deum : inde *ideæ* omnes.

2. **Syntheses.** Consequenter ideæ rationis, sicut intuitiones sensibilitatis et conceptus intellectus, formantur sine ipsarum rerum intuitione : « Nos concepts de substance, de force, d'action, de réalité, etc...sont complètement indépendants de l'expérience [1] » : formantur a priori secundum naturalem structuram mentis deinde rebus applicantur, tanquam materiæ passivæ et indifferenti.

Hæc applicatio fit per *judicia synthetica a priori* : synthetica quia attributum non trahitur a subjecto ut in judiciis analyticis, a priori quia non trahitur ab ulla experientia ut in judiciis syntheticis a posteriori (Log., n. 53). Sicque tandem ideæ nostræ universales et necessariæ duplici constant elemento, uno materiali quod affert experientia, altero formali et subjectivo, quod e natura mentis humanæ procedit.

Brevius : « Nous ignorons complètement ce que peut être la chose en soi (noumène). Nous ne connaissons que notre manière de nous la représenter (phénomène). » « Notre science demeure... mais c'est *une science qui n'est pas sue* [2] ».

3. **Consectaria.** Quæ quum ita sint, res sensibiles solæ cognoscuntur : en *positivismus*, — sicut apparent : en *phænomenismus*, — non in se sicut sunt : en *agnosticismus*, — sed juxta formas mentis innatas : en *subjectivismus*, — qui, teste Kant, norma fit cogitandi et lex scientiæ : en *criticismus*.

B. — Magistrum subjectivismi plus minusve secuti sunt discipuli, Idealistæ generatim, etiam in Gallia, v. g. Lachelier, Renouvier, Hamelin et hodie Brunschvicg, juxta quem idea non est apprehensiva rei in seipsa (n. 57, 111), sed actio est mentis cum imaginibus et inter ipsas creativa relationum sine fine : « L'intelligence est une faculté d'invention perpétuelle par laquelle tout le contenu de nos idées se transforme à chaque instant [3] ».

Contra Kant igitur ejusque sectatores sit

THESIS

Subjectivismus kantianus falsus est et perniciosissimus.

I. — **Falsus est** ; si enim judicia nostra immediata essent judicia synthetica a priori, adhæsio intellectus esset cæca, invariabilis, necessaria [4]. Atqui in judiciis immediatis, v. g.

1. *Prolégomènes à toute métaphysique, Crit. de la raison pure*, I, p. 24. — 2. *Critique de la raison pure*, p. 1, sect. 2, § 8 ; — cf. **Cousin**, *Hist. de la phil.*, t. V ; — **Mercier**, *Crit. gén.*, L. III, c. I et II. — 3. *Introduction à la vie de l'esprit*, p. 30. — 4. **Mercier**, *Ibid.*, n. 104.

$2 + 2 = 4$, teste conscientia, adhæsio intellectus : — *a*) non est *cæca* et sub impulsu subjectivo effecta, sed post analysim subjecti et attributi tantum, nempe $1 + 1$ et $1 + 1 = 1 + 1 + 1 + 1$, cedit intellectus lumini evidentiæ objectivæ ; — *b*) non est *invariabilis*, nam si non apparet evidentia ut in plurimis judiciis, tunc adhæsio retardatur eaque dari posset contradictoriæ, neque unquam præstatur nisi quando objectiva affulget veritas ; — *c*) non est *necessaria* : sub quo respectu intellectus differt a sensu, qui sponte determinatur ad unam, etiam illusorie, sensationem, dum intellectus retractare et corrigere se potest.

Confirmatur ex analogia inter spontaneam et reflexivam adhæsionem [1]. Prior ex confesso scepticorum suspendi (ἐποχή) ad libitum potest ; atqui posterior eadem omnino est, licet sub lumine evidentiæ et influxu voluntatis clarius percepta ; ergo nec prior fit sine lumine evidentiæ directe perceptæ ; interventus enim voluntatis, quæ applicat intellectum ad actum, non mutat actus naturam intrinsecam (n. 21, 25).

II. — **Perniciosissimus** est, quia ex omni parte falsificat notionem, fundamentalem omnino, cognitionis [2]. Hæc enim, etiamsi hic et illic negatur existere, semper et ubique habita est ut assimilatio rebus, apprehensio rerum quales sunt. « Il n'y a pas de connaissance sans objet [3]. » Atqui, si fides subjectivismo, cognitio intellectiva jam non esset assimilatio seu apprehensio objecti cognitionis, sed ejusdem constructio : « Ce ne sont plus nos idées, qui se conforment aux choses, ce sont les choses, qui entrent dans le moule de nos idées. » — « L'idée est constructeur de l'expérience [4] ». Jamvero istiusmodi theoriam seu notionem contradictoriam cognitionis ansam præbere autonomismo absoluto, libertati effrenatæ cogitandi et ideo pessimis in ordine theoretico et practico consectariis, nemo non videt.

Nec aliunde mirum, nam consequentiæ fluunt ex principiis. Hæc Kant : « Jusqu'ici on admettait que toute notre connaissance devait se régler sur les objets... Que l'on essaie donc enfin de voir si nous ne serons pas plus heureux, dans les problèmes de la métaphysique, en supposant que les objets doivent se régler sur notre connaissance [5]. » Ex adverso S. Thomas : « Res naturales, ex quibus intellectus noster

1. **Mercier**, *Ibid.*, 2e argument, p. 205. — 2. **De Tonquédec**, *Op. cit.*, c. I. — 3. *Ibid.*, p. 17. — 4. *Critique de la raison pure*, p. 20. — 5. *Ibid.*, p. 22.

scientiam accipit, mensurant intellectum nostrum... Intellectus noster est mensuratus, non mensurans quidem res naturales [1]. » Ecce Angelicus, quem « deserere præsertim in re metaphysica, non sine magno detrimento [2] » fuisse, sæculo post Kant elapso, luculentius demonstratur.

31. Quid igitur et utrum sint judicia SYNTHETICA A PRIORI ? Juxta Kant [3], præter judicia analytica et synthetica, sunt alia judicia nec absolute analytica, nec absolute synthetica, sed *synthetica a priori*, ut sequentia : quidquid incipit habet causam : 7 + 5 = 12, etc. *Non sunt absolute analytica* : attributum enim in analysi subjecti, juxta Kant, non contineretur ; *non sunt absolute synthetica*, quia sunt necessaria et universalia. Ergo **sunt synthetica a priori** ; synthetica, quia prædicatum extra analysim subjecti esset : a priori, quia necessitate et universalitate, vi ipsius constitutionis mentis nostræ, fruuntur (Log., n. 53). Sed contra, distinctionem judicii analytici et synthetici retinet nostra

THESIS

Kantiana theoria de judiciis syntheticis a priori falsa est.

Prob. — 1° **De facto non existunt** : « Ces jugements *n'existent pas*, car ceux qu'il nous donne pour tels sont en réalité des jugements analytiques, attendu que le prédicat est contenu dans le concept véritable du sujet (*et de ses relations essentielles*) [4]. » Patet per singula consideranti, v. g. : 7 + 5 = 12 ; linea recta brevior est via de uno puncto ad aliud ; quod incipit causam habet, etc. (Ontol., n. 196) : quæ per analysim apparent vera et negari non possunt sine contradictione.

2° **Nec possunt existere**, nam in omni judicio vel attributum exprimit aliquid subjecto essentiale aut proprium vel non ; si prius, judicium est analyticum et a priori notum per analysim subjecti : si posterius, judicium est syntheticum et a posteriori seu experientia tantummodo manifestum. Non datur media hypothesis, ut infra patebit (n. 126).

3° Imo **sunt contradictoria** ; attributum enim universaliter et necessario nequit convenire subjecto, quin etiam ad naturam intrinsecam aut ad relationes necessarias ejusdem subjecti pertineat ; ergo statim ac deprehenditur esse *a priori*, analyticum etiam esse percipi debet.

Cæterum, ut infra probatur (n. 70), *non sufficit* constitutio aut habitudo etiam innata mentis ad evidentem necessita-

1. *De veritate*, q. 1, a. 2. — 2. **Pius X**, Encycl. *Pascendi*, III, p. 1. — 3. **Kant**, *op. cit.*, p. 50. — 4. **Gonzalez**, *Hist. de la phil.*, trad. par R. P. de Pascal, Paris, 1891, t. III, p. 464 ; — **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 39 ; — *La crise de la certitude*, p. 143-151 ; — **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 108-112.

tem judicii producendam, ut patet in quibusdam judiciis inveteratis, v. g., sol oritur, sol occidit, in quibus nulla necessitas percipitur.

32. Ecce subjectivismi palmaris OBJECTIO.

Ideo, juxta Kant, scientia est mere subjectiva, quia vel noumena non existunt, vel non possunt attingi, saltem cognitione universali per experientiam rerum sensibilium.

Obj. 1a. — RES sicut fumus evanescunt et sicut umbra prætereunt ; in hoc igitur phænomenorum fluxu perpetuo nulla cognitio immutabilis acquiri potest. Ita, post Kant, universalis mobilismi fautores (Cosm., n. 58).

Resp. 1° *Nego ant.* : nam, v. g., τὸ ἐγώ idem permanet, ut conscientia patet. 2° *Transeat ant.* ; *nego cons.* ; nam in ipsis phænomenis existit et percipitur essentia universalis et necessaria, quæ principiis necessariis regitur : item et in causis quæ latent sub phænomenorum apparentiis et ab eis revelantur.

Obj. 2a. — RELATIO esse debet inter objectum et subjectum ; sed relatio hujusmodi est impossibilis, siquidem « nulla res extra semetipsam egredi potest ». Ergo, quod est extra subjectum, cum certitudine cognosci nequit.

Resp. *Conc. maj.* ; *neg. min.* Nam relatio subjecti sentientis sive cum semetipso in perceptione conscientiæ, sive cum rebus externis, v. g., quando solis lumen percipio, est factum omnino evidens, quod proinde negari nequit, etiamsi ejus explicatio nos fugeret. — Aliunde actio transiens in Ontologia (n. 133) facile explicabitur, nam agens et patiens in contactu, quamvis sint impenetrabilia quoad materiam, vi seu actione mutua penetrantur, juxta axioma : *actio agentis est in passo.* Ergo actio externi agentis percipi potest a passo sensitivo et conscio.

Obj. 3a. — UNIVERSALE, quod est scientiæ objectum, est conceptus rationis : sed nihil certo cognosci potest de realitate conceptuum nostrorum ; ergo nihil etiam de scientiæ objecto.

Resp. *Dist. maj.* : universale est conceptus rationis cum fundamento in rebus singularibus, *conc.* ; est purus conceptus mentis *a priori* ad modum Kant, sine anteriori perceptione rerum sensibilium, *nego* (cf. n. 57, 65).

COROLLARIUM THEORETICUM

33. Falsum est FUNDAMENTUM cujuslibet scepticismi, — sc. mentem non posse justificare suas adhæsiones spontaneas, quæ ideo remanent subjectivæ.

Probatur. — Justificare adhæsionem suam est percipere causam requisitam et sufficientem ad provocandam hanc adhæsionem ; atqui per reflexionem in propriam operationem mens percipit explicite causam requisitam et sufficientem suæ adhæsionis, sc. evidentiam connexionis inter attributum et subjectum. Ergo justificatur satis adhæsio.

Constat *minor* : quod enim necessitat mentem ad adhærendum huic propositioni, v. g., *Petrus est homo, duo et duo sunt quatuor, cogito ergo possum cogitare*, non est aliquid intrinsecum naturæ mentis nec etiam aliquid extra-intellectuale, sed est ipsa natura *Petri*, analysis *numeri* 2 + 2, ratio *cogitationis* inclusa in subjecto propositionis, in quantum hæc natura, hæc analysis, hæc ratio movent ad judicandum : *Petrus est homo, duo et duo sunt quatuor* ; *cogito ergo sum cogitandi capax*. Ergo tandem aliquid objectivum et intellectuale, necessitat ad adhærendum ; in singulis enim his tribus judiciis intellectus fertur primario in ens, in id quod est.

Confirmatur 1. *Auctoritate* Angelici dicentis : « Cognoscitur veritas ab intellectu secundum quod intellectus reflectitur supra actum suum, non solum secundum quod cognoscit actum suum, sed secundum quod cognoscit proportionem ejus ad rem : quod quidem cognosci non potest, nisi cognita natura ipsius actus, quæ cognosci non potest, nisi cognoscatur natura principii activi, quod est ipse intellectus, in cujus natura est ut *rebus conformetur* [1]. »

2. *A contrario*, nam in casu erroris etiam per attentionem reflexivam compertum fit adhæsionem esse falsam, quia causatur non ab evidentia objectiva sed ab alio aliquo motivo extra-intellectuali aut subjectivo.

3. *A simili*, nam eodem semper criterio, non alio, justificantur judicia non tantum immediata, sed mediata, nec tantum ordinis idealis, sed etiam experimentalis. Quid ergo et quale sit tanti momenti criterium, quærendum manet [2].

CAPUT TERTIUM

DE SUPREMO CERTITUDINIS MOTIVO [3]

Certitudo causam habet seu *motivum* et quidem *supremum* ; nec dubium est illud esse *evidentiam*. Unde duplex articulus.

ARTICULUS I

De Natura supremi certitudinis motivi.

34. Quid sit certitudinis MOTIVUM, et SUPREMUM quale sit ?

A. — **Motivum certitudinis** *est quidquid cognitum, et quatenus cognitum, mentem movet ad firmiter adhærendum veritati.*

1. *De veritate*, q. 1, a. 9. — 2. **Mercier**, *Op. cit.*, n. 105. — 3. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 312, 329 ; — **Gény**, *Critica*, p. 85-98.

1° Est *quidquid cognitum* : nam rationes objectivæ rerum, quibus rapitur mentis assensus, plures esse possunt.

2° Est *quidquid, quatenus cognitum, mentem movet* ; nam duplex esse potest motio intellectus : una sub imperio voluntatis ab extrinseco procedit ; alia est per modum objecti, cujus impressio fit intrinseca determinatio intellectus : hæc autem ut patet, non illa, potest esse *per se* motivum certitudinis.

3° *Mentem movet ad firmiter adhærendum veritati* : unde motivum certitudinis dubium excludit, et cum veritate necessario debet *esse connexum*.

B. — Jamvero motivum certitudinis quod est simul primarium, universale et ultimum, **dicitur supremum.**

1. Quatenus *primarium, est per se notum* et omnibus cognitu facile ; motivum enim quod demonstrari deberet, aliud motivum prius se supponeret.

2. Quatenus *universale, ad omnes cognitiones extenditur* ; aliter non esset ultima ratio totius certitudinis ; unde certitudini tum vulgari, tum philosophicæ convenire debet.

3. Quatenus *ultimum*, est *ita necessarium*, ut ab illo vim habeant omnia motiva particularia, et, eo sublato, nullum supersit certitudinis medium, nullaque norma verum a falso distinguendi.

C. — Criterium autem hujusmodi supremum sit oportet **intrinsecum, objectivum** et **immediatum.** — 1. *Intrinsecum* objecto, quod ideo non sit auctoritas extrinseca : nam ratio, quæ ipsa non credit nisi videat esse credendum, non per actum fidei cæcum, sed per actum claræ visionis singulis veritatibus ordinis naturalis adhærere nata est.

2. *Objectivum*, quod ideo non sit dispositio affectiva subjecti cognoscentis : hæc enim per se etiam cæca est, neque homini, reflexionis capaci, sufficere potest.

3. *Immediatum*, quod ideo non petat inniti aliena veritate sicuti, v. g.., existentia Dei : hæc enim demonstrari deberet præmissis aliunde et *immediate* veris [1].

Hic quærendum restat utrum evidentia sit aliquid intrinsecum, objectivum et immediate cognitum et ideo, quia commune singulis et omnibus motivis secundariis, supremum motivum.

1. **Mercier**, *Op. cit.*, L. III, c. 1.

ARTICULUS II

De Evidentia.

35. Quid et quotuplex sit EVIDENTIA [1] ?

A. — **Evidentia est** *fulgor veritatis mentis assensum rapiens.*

1° Est *fulgor* seu lumen quo veritas percipi potest : lumen autem intellectuale est ipsa veritatis perspicuitas, vi cujus menti manifesta fieri potest ; et ideo est aliquid objectivum.

2° Additur : *mentis assensum rapiens,* statim ac manifesta fit menti nostræ, nam evidentia rei non concipitur absque relatione actuali aut saltem possibili cum ipso intellectu ; ideoque vocatur « manifestatio veritatis [2] », et hæc est conditio subjectiva.

Si integre igitur sumatur, evidentia dicit objecti cogniti cum subjecto cognoscente relationem, in qua tria distinguuntur : *veritas,* ipsa veritatis *evidentia* et ejus *manifestatio.* Sic et in ordine sensibili habetur objectum visus, solis lumen et visio oculi, cum eo discrimine quod in ordine intellectuali, evidentia ratione tantum distinguitur ab ipsa veritate.

Hinc evidentia *per se* est *qualitas objecti cognoscibilis.*

B. — **Multiplex distinguitur.** 1° Recentes evidentiam ordinarie dividunt in *objectivam* et *subjectivam,* prout veritas est visibilis *quoad se* aut visibilis *quoad nos.* « Ego autem, ait recte Zigliara, velim ut hac in re philosophi mordicus tenerent rigorosam vocum significationem, ut sc. nomine *certitudinis* designaremus quid *subjectivum*... et nomine *evidentiæ* quid exclusive *objectivum* [3] », aut saltem in recto et primario (n. 16, 35).

2° Similiter adducunt, præter hanc evidentiam veritatis *intrinsecam,* aliam et *extrinsecam* in rebus fidei sive divinæ sive humanæ. Si prius, perspicua est connexio inter attributum et subjectum et ideo ipsa veritas, cui mens adhæret ; si posterius, evidens est tantum testimonium, vi cujus veritas creditur, quin ipsa connexio attributi et subjecti polleat evidentia pro nobis. — Optime quidem, modo teneatur omnino *obscuram* nobis, non vero *evidentem,* ne mediate quidem, esse veritatem, v. g., SS. Trinitatem ad quam credendo recipiendam auctoritate etiam evidenti, libere adhuc movemur : tunc enim auctoritas testis est evidens potius quam testata veritas (n. 39), quæ proinde per se non rapit assensum.

3° Præterea evidentia intrinseca stricte dividitur — *a*) ex parte *modi* in *immediatam* et *mediatam* prout elucescit sine aut cum discursu, — *b*) ex parte *objecti* in *metaphysicam, physicam et moralem,* sicuti ipsa veritas cui inest (n. 6), —

1. Cf. **Picard,** *Op. cit.,* in *Arch. de phil.,* 1923.— 2. **Sum. theol.,** I, q. 106, a. 1 ;— q. 69, a. 1, o ; — *De veritate,* q. 9, a. 2, o ; — **Cont. Gent.,** III, c. 154 ; — **Barbedette,** *Hist. de la phil.,* n. 376. — 3. *Summa phil., Logica* I, L. II, c. II, a. 1, n. 2.

c) ex parte *perfectionis* in *scientificam* et *vulgarem* sicut certitudo quam gignit (n. 17 et 40).

36. Utrum evidentia SIT supremum certitudinis motivum [1] ?

THESIS

Supremum certitudinis motivum est veritatis manifestatio.

Prob. 1° Imprimis **testimonio conscientiæ.** Etenim, semper adhæremus veritati quia *evidenter fulget* intellectui nostro, et talia proferre consuevimus : *res patet* ; *hoc est evidens* — vel : *hoc clare video* ; *certus sum de mea existentia, de ornatu cœli, de primis principiis* eo quod veritas eorum est evidentissima [2].

2° Ex **natura certitudinis.** — Illud est supremum certitudinis motivum, quod *requiritur* et *sufficit,* ut mens veritati adhæreat sine ullo errandi metu. Sed nunquam mens adhæret veritati, nisi per evidentiam objectivam ipsius veritatis aut auctoritatis illius qui eam testatur : unde *requiritur* evidentia objectiva ; semper autem talis evidentia, si fulgeat et manifestatur, assensum rapit mentis bene dispositæ et excludit omne dubium : unde *sufficit* evidentiæ manifestatio.

3° Ex **dotibus evidentiæ.** — In evidentia enim *dotes* ultimi certitudinis motivi inveniuntur (n. 34) : ergo in ea ultimum motivum. — Revera est motivum *per se notum* ; nam « nihil clarius ἐνάργεια, ut Græci : perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus [3] ». — Est motivum *universale* : nam in omnibus aliis motivis includitur. — Est ita *necessarium,* ut sine eo nullum sit aliud motivum certitudinis ; per illud vero omnia alia motiva vigent et adhæsionem producere valent.

Hinc apparet tandem aliquando **error Kantii et subjectivistarum** qui somniaverunt hujusmodi adhæsionem ex interna constitutione mentis oriri, dum e contra vera ejus causa est ipsius objecti fulgor : intellectus enim ut « omnis sciens essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa [4] » et ideo, reflexione supra actum suum, clare percipit suam proportionem ad res et ultimo assensum suum prælaudato objecti fulgore raptum esse (n. 35).

Dicunt : evidens non est hoc principium : « Quod est evidens, verum est » : ergo nulla solutio.

Resp. Si intelligitur in hoc sensu : verum est, i. e., conforme

1. Cf. *L'usage de l'évidence,* in *Rev. thomiste,* nov. 1903 ; — **Noël,** *Op. cit.,* p. 78, 124, 150 ; — **Garrigou-Lagrange,** *Le sens commun,* p. 134 et seq. — 2. **Cornoldi,** *La filosofia scolastica,* trad. franç., 1878, p. 58-62. — 3. **Tullius,** *Acad.,* I, L. II n. 6. — 4. *De veritate,* q. 1, a. 9.

est alicui objecto extraneo, non est evidens, *transeat*; si in hoc sensu quod non adest identitas inter evidentiam objectivam et veritatem, *nego*: omnis enim et sola veritas habet evidentiam.

37. Hinc I° — OMNIS veritas pollet evidentia.
Ita contra quosdam, qui asserunt evidentiam competere solum quibusdam veritatibus, nempe iis quæ sine discursu percipiuntur.

Sed contra : fieri quidem potest ut veritas non sit evidens *relative ad nos*, aut fiat evidens tantum per discursum, sed *in se* veritas semper et necessario habet notam qua secerni potest a falso : est enim ipsa rei necessaria visibilitas quæ competit veritatibus *metaphysicis*, *physicis* et *moralibus*...

De duabus primis nulla est difficultas, sed de ultima, **sc.** an detur etiam **evidentia moralis** movetur quæstio.

Cui respondendum censemus non solum in moralibus (n. 17), sed in rebus practicis, historicis et aliis, v. g., in calculo probabilitatum, negari non posse existentiam talis evidentiæ, quando sc. solidissima dantur motiva quæ trahunt assensum, dum nulla remanet ratio solida aut prudens in contrarium : tunc enim fieri potest quod fulgor tantus sit ut prudenter recusari nequeat; v. g., quod Urbs Roma non existat, quod perplures et ingenui testes cujusdam mortui resurrectionis cuncti sint decepti et deceptores, quod ictu fortuito litterarum rursus Iliadis poema constituatur, hoc apparet evidenter absurdum, et mentis imbecillitate argueretur, qui in iis casibus anceps remaneret (n. 16). — *Tunc* enim, certitudo moralis per reflexionem fit *extrinsece metaphysica*, quia falsitas in casu esset aliquid sine ratione sufficienti [1].

38. Hinc II° — SOLA veritas pollet evidentia.
Ita contra alios, v. g. Rabier [2], qui putant adesse evidentias absolutas et tamen illusorias, saltem in perceptione sensuum, imo et intellectus : dantur enim, aiunt, certitudines seu adhæsiones firmæ, quæ sunt falsæ; sed hujusmodi adhæsiones firmæ nequeunt causari nisi ab evidentia.

Quod absolute negamus in perceptione *sensili* : siquidem evidentia, quæ apparet hallucinatis et somniantibus, non est de re externa aut interna et objectiva, sicut reapse fatentur et qui hallucinatione laborant, modo remaneant sui compotes, et qui somniantur, statim ac evigilant : utrisque enim sufficit simplex comparatio ut evidentia de re externa aut interna et reali, v. g., dolore, distinguatur ab evidentia mere subjectiva. — Quod de perceptione *intellectuali* a fortiori verum est : secus, induceremur nessessario in errorem ; quod fieri nequit, falsitas enim *ut sic*, est merum nihilum : « le

1. Garrigou-Lagrange, *De revelatione*, 1918, t. II, p. 66. — 2. Rabier, *Logique*, 2e éd., 1888, c. XIX ; — Farges, *Op. cit.*, p. 317.

vrai c'est ce qui est, le faux c'est ce qui n'est pas [1]. » Atqui nihilum nec manifestari, nec videri ab intelligentia valet. « On peut bien ne pas entendre ce qui est : mais jamais on ne peut entendre ce qui n'est pas [2]. »

Unde error, *in exemplis a Rabier allatis*, non provenit a perceptione evidentiæ absolutæ et tamen falsæ, nam nulla facultas cognoscitiva *in statu normali* nos fallere potest (n. 44) ; sed facile explicatur judiciis falsis a voluntate libera vel non libera imperatis, sub influxu consuetudinis, præcipitationis, pigritiæ, passionum aut præjudiciorum, quibus putamus percipere clare quod revera clare non percipimus (n. 9). — In judiciis præsertim non immediate evidentibus, firmitas adhæsionis potest causari a motivo quolibet extra-intellectuali, i. e., distincto ab evidentia ; per reflexionem autem poterit intellectus discernere utrum adhæsio sua sit legitima vel non, i. e., causata vel non ab evidentia. — In utroque casu datur criterium evidens ad discernendum evidentias veras a falsis : veræ sunt, quæ, si negentur, incideretur in negationem principii contradictionis.

39. Hinc III° — omnes veritates vera, sed NON EADEM, pollent evidentia. — Ita adversus rationalistas, juxta quos nonnullæ veritates, ut mysteria, nulla fruuntur evidentia, et ideo admitti non possunt. Ex quo pergit Cousin : « Par là tombent d'un seul coup toutes les autorités..., même les dominations religieuses..., à moins que ces autorités ne trouvent le secret de nous rendre évidente, et d'une évidence irrésistible, la vérité qu'elles nous apportent [3]. » — Sed contra :

1° Aliæ veritates gaudent evidentia *intrinseca*, — sive *immediata* : talia sunt prima principia, quæ « non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sunt per se vera [4] » ; — sive *mediata* tantum, ut, v. g., conclusiones scientificæ : nam certitudo scientiæ tota oritur ex certutidine principiorum, ex quibus in conclusiones derivatur.

2° Nonnullæ autem veritates, ut mysteria, nulla fruuntur *relative ad nos*, evidentia *intrinseca* ; id est, non cognoscimus *naturam* earum veritatum. Quarum tamen *existentiam*, ut certam et moraliter evidentem, ope revelationis, cognoscere possumus : quare *mysteria* in seipsis quidem evidentia, sunt veritates pro nobis obscuræ, extrinsece tantum evidentes, quæ sc. propter extrinsecum *evidens* testimonium admittuntur.

His positis colligere fas est homines non adhærere veritati nisi vel **auctoritatis evidentia**, vel **evidentiæ auctoritate**.

1. **Bossuet**, *Connaissance de Dieu et de soi-même*, c. I, § 17. — 2. **Bossuet**, *Ibid.* — 3. *Hist. gén. de la philos.*, 8e leç., *Philos. du XVIIe s.*, p. 359. — 4. **S. Thomas**, *De veritate*, q. XI : *de magistro*, a. 1 ; — **Sum. theol.**, II-II, q. 74, a. 7.

40. Utrum certitudo VULGARIS sit certitudo evidentiæ?

Sceptici cum sophistis negant vulgus veram habere certitudinem. Reid et positivistæ eamdem æquiparant cæcæ credulitati : vulgus, ut aiunt, veritatibus religionis, philosophiæ, scientiarum, fidem adhibet sine motivo rationali. Contra utrosque sit

THESIS

Certitudo empirica seu vulgaris, de veritatibus elementariis non est cæca credulitas, sed vera certitudo evidentiæ.

Prob. A. — **directe.** Certitudo vulgaris de veritatibus elementariis, *dotibus* iisdem ac certitudo philosophica stipatur ; ergo non est cæca credulitas.

Antecedens experientia constat ; nam in certitudine vulgari reperiuntur veritas evidenter agnita, firma mentis adhæsio, metum erroris excludens, et satis clara motivi perceptio.

« Interrogez l'enfant comme l'homme mûr, comme le vieillard, sur la certitude qu'ils ont de leur propre existence, de leurs actes internes et externes, sur l'existence de leurs parents, de leurs amis, du lieu où ils résident, vous ne verrez point une ombre d'hésitation. Enfants, vieillards, hommes faits, tous vous répondront de même ; et leur regard étonné vous dira leur pensée : un homme sérieux s'enquérir de choses *si claires* [1] ! »

B. — **Indirecte** *ex pessimis et necessariis consequentiis,* quæ statim defluerent, nisi vulgus certo cognosceret veritates maxime necessarias ad vitam sive physicam sive moralem, ut sunt existentia propria, existentia Dei, vita futura, discrimen inter bonum et malum (Crit., n. 90). Ergo *illas* certo cognoscit : — illas, inquam, non *alias* de quibus non habet reflexione evidentiam.

Obj. — Vulgus non potest veritatem demonstrare, nec vindicare ; ergo non habet certitudinem, sed credulitatem.

℟esp. *Dist. ant.* : vulgus non potest exponere modo *explicito* rationes et argumenta quibus veritas demonstratur, *conc.* : non intelligit *implicite* vim motivorum, quibus impellitur ad ipsi assentiendum, *nego.* « Les plus sublimes philosophes eux-mêmes sont invinciblement persuadés d'un grand nombre de vérités, quoiqu'ils ne puissent les développer clairement, ni réfuter les objections qui les embrouillent [2]. »

Pari ratione veritates revelatas, mysteriorum existentiam, et divinitatem religionis christianæ vulgus agnoscit quin cæca credulitate aut fanatismo pellatur ; hæc enim omnia ope testimonii certo cognoscere potest, quia « miracula... divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata [3] ».

1. **Balmès,** *Philos. fondam.*, L. 1, c. III. — 2. **Fénelon,** *Lettres sur divers sujets de métaphysique et de religion*, VI[a], 2. — 3. **Pius IX,** *Concil. Vatic.*, Ses. III, c. 3.

LIBER SECUNDUS CRITICÆ

CRITICA SPECIALIS SEU CRITERIOLOGIA

41. Quid et quotuplex sit CRITERIUM ?

A. — **Quoad nomen**, criterium, (*κριτήριον, κρίνω, judico, discerno*), designat instrumentum judicandi seu discernendi verum a falso. Dicitur etiam et est *fons* aut *medium* veritatis.

Nec una fuit apud auctores hujus vocis acceptio, unde innumeræ exortæ sunt controversiæ. Quibus dirimendis opus est distinguere triplex criterium. Cum enim in certitudine tria sint, sc., *motivum*, *subjectum* et *instrumentum* adhæsionis, tria sunt etiam criteria : criterium *propter quod* seu supremum motivum, i. e., evidentia, de qua jam tractavimus (n. 35) ; — criterium *quo* seu rationis lumen cum principio contradictionis *sine quo* nunquam eliceretur judicium certum (Log., n. 134 ; Crit., 111) ; — denique criterium *per quod* seu varia instrumenta quorum ope veritas multiplicis generis invenitur.

Quoad rem et in hoc ultimo sensu, criterium definiri potest : *instrumentum quo homo utitur ad distinguendum verum a falso.* Revera intellectus ipse aliæque facultates cognoscitivæ, si sumantur formaliter, non præcise ut sunt facultates, sed quatenus sunt rationes quibus nititur judiciorum nostrorum certitudo ; itemque Dei revelatio et hominum testimonium, habentur ut criteria, — de quibus hic tractandum habemus.

B. — Quapropter criteria alia sunt *intrinseca* subjecto cognoscenti ipsique propria, alia vero sunt illi *extrinseca*, ut aliorum testimonium ; quibus enumeratis, quærendum veniet utrum ad pauca *reduci* possint. Unde **triplex articulus** : I[us] de criteriis *Intrinsecis* ; II[us] de criteriis *Extrinsecis* ; III[us] de *Reductione* criteriorum.

CAPUT PRIMUM

DE CRITERIIS INTRINSECIS [1]

Duo sunt intrinseca homini instrumenta ad veritatem adipiscendam : sensus et intellectus. Sed sensus sunt *interni* vel *externi* : intellectus autem vel simpliciter *intelligit*, vel *ratio-*

1. Cf. **Farges,** *L'objectivité de la perception* ; — *La crise de la certitude*, p. 79-94.

cinatur. Unde quadruplex sit articulus : — 1us de criterio *Sensuum Externorum* ; — 2us de criterio *Sensuum Internorum* ; — 3us de criterio *Intellectus* ; — 4us de criterio *Rationis*.

Præmonemus autem in præsenti quæstione non iterari descriptionem harum facultatum : hæc enim ad Psychologiam pertinet. Ad Criticam tantum spectat investigare, utrum hujusmodi facultates veraces sint et cognitionum legitimi fontes.

ARTICULUS I

De Criterio Sensuum Externorum [1].

42. STATUS QUÆSTIONIS de criterio sensuum externorum.

A. — **Notio.** — Facultas sentiendi illa est *per quam anima unita corpori, res materiales, quatenus materiales sunt, percipit.* — Duplex est, *externa* et *interna* : prior res externas earumque proprietates, posterior corpus nostrum ad intra suasque affectiones percipit. De hac in articulo sequenti dicetur ; de illa vero nunc quæritur utrum sensus externi, sc. *visus, auditus, odoratus, gustus* et *tactus* sint criteria legitima, quæ *immediate* percipiant res materiales et ideo nobis conferant certitudinem de earum existentia et proprietatibus.

B. — **Sententiæ.** — Circa hanc quæstionem, quæ acerrime controvertitur inter philosophos, triplex est sententia.

Prima est *idealistarum* qui negant objectivitatem idearum, imo et sensationum et tunc sunt idealistæ empirici.

Hi generatim veracitatem sensuum externorum non admittunt. Porro nonnulli, fautores idealismi *objectivi*, Berkeley duce, contenderunt apparentias corporum a Deo in mente nostra directe procreari nec habere aliud *esse* ac *percipi* [2] : — quare Hume, *Pyrrhonis* dubium universale profitens, corporum realitatem omnino rejecit solasque sensationes *subjectivas* retinet : « Où suis-je ? que suis-je ? [3] » ; — dum aliqui, post Fichte, idealismum *subjectivum* excolentes, finxerunt imagines corporum ab ipsa mente nostra produci.

Secunda est *medialistarum recentium* qui corporum quidem existentiam admittunt, non tamen per immediatam perceptionem sensuum externorum, sed ope ratiocinii vel inferentiæ.

Ita omnes, sed *alii*, ope *syllogismi*, veracitatem sensuum circa

1. **Barbedette**, *Hist. de la philosophie*, n. 82, 432, 428, 469 ; — **Bréhier**, *Op. cit.*, t. II, p. 280, 340, 413 ; — **De Tonquédec**, *Op. cit.*, c. II et III ; — **Gény**, *Critica*, p. 191-235 ; — **Gredt**, *De cognitione sensuum externorum*, 1924 ; — **Garrigou-Lagrange**, in *Rev. de phil.*, 1931, p. 135. — 2. *Principes de la connaissance humaine*, I, n. 2, 3, 20, 29, 33. — 3. *Traité de la nature humaine*, trad. **David**, p. 324, 269, 285.

mundi corporumque existentiam deducendo, sicuti Cartesius ex *veracitate* divina [1], Malebranche ex auctoritate *revelationis* naturalis aut etiam supernaturalis [2], Reid autem ex *instinctu* naturæ necessario ; — alii vero sc. Cousin et Lovanienses, ex sensationibus subjectivis, *inductionis* ope, ad earum causam ascendendo : sic, v. g., objectum A quod intueor, revera non a me percipitur sed tantum infertur ex perceptione passionis aut imaginis α, quam ipsum A imprimit in oculis. — Uno verbo et generatim : « les corps mêmes ne sont pas proprement connus par les sens ou la faculté d'imaginer, mais par l'entendement [3] ».

Tertia est *peripateticorum* veterum et recentium qui admittunt circa *proprium objectum*, et *debitis conditionibus habitis, immediatam et evidentem sensuum perceptionem.*

Dicitur 1° : *circa proprium objectum*, nam triplex est objectum sensus externi, et ideo tria sunt sensilia : sensile *proprium*, sensile *commune* et sensile *per accidens* (Psych., n. 20).

Dicitur 2° : *debitis conditionibus habitis* ex triplici parte :

a) Ex parte ipsius *sensus*, requiritur ut *organum sit in statu normali* ; i. e., impediri non debet somno, morboque aut aliis obstaculis, ut sunt amentia, delirium, vestigia præcedentium sensationum.

b) Ex parte *objecti*, requiritur — *primo*, ut *objectum sit proprium* sensus, non autem proprium alterius facultatis v. g., visus sine tactu non directe judicat de trina dimensione, sed indirecte tantum, signorum interpretatione quæ est errori obnoxia ; — *secundo*, ut sit *proportionatum organo* ; nempe nec nimis parvum, nec subito transiens, nec extra limites sensus positum : sic, v. g., solis et lunæ superficies plana nobis apparet, eo quod longe ultra captum oculi sit posita.

c) Ex parte *medii* stantis inter objectum et organum, requiritur, ut *nihil obstet ne fiat perceptio* juxta leges consuetas ; secus, v. g., baculus in aqua partim immersus videtur fractus.

43. Utrum PERCEPTIO SENSUUM sit veritatis criterium [4].

Contra primam sententiam quam tenent Berkeley et Fichte sit

THESIS I

Perceptio sensuum a corpore externo, non a spiritu, causatur.

I. — **Causatur a corpore externo.** Constat ex *natura perceptionis*, cujus doctrina sic contrahitur : rerum externarum activæ proprietates, v. g., figura, color, sonus, etc...,

1. *Medit.* IIa, circa fin., IIIa, VIa. — 2. *Entretien sur la Métaph.*, VI, 3, 8. — 3. **Descartes**, *Med.* IIa, circa fin. — 4. **Sum. theol.**, I, q 16, a. 2 ; — *De veritate*, q. 1, a. 9 et 11.

agunt in organa sensilia, sicut agens agit per contactum in patiens, in eisque imprimunt suam speciem seu similitudinem, eodem fere modo ac figura imprimitur in cera. Cum autem *actio agentis sit in passo* (Ontol., n. 133), impossibile est patientem, si sensibilis et conscius supponitur, non recipere in seipso, præter suam passionem subjectivam, ipsammet actionem objectivam qua patitur, ac proinde aliquid objecti externi, sc. ejus resistentiam, figuram, colorem, sonum, etc.[1]. Tunc enim de facto, actio externa percipitur primo et ante passionem subjectivam ; sic, v. g., si tetigero acumen, illud externum percipio ante impressionem concavam in digito (Psych., n. 31-34), et quidem clare percipio.

II. — **Non a spiritu.** Nam si entia spiritualia essent causæ sensationum, causa hujusmodi vel esset solus Deus ut voluit Berkeley, vel anima sola ut voluit Fichte. Sed neutrum est :

1. — Sensationes a *Deo solo* produci non *indigent*, nec *debent* nec etiam *possunt*. — Non *indigent*, nisi cum Berkeley credatur materiam esse inertem et ideo corpora externa in sensoria agere non posse, quod falsum est (Cosmol., n. 11). — Nec *debent*, hoc enim repugnat *sapientiæ* ac *veracitati* divinæ ; *sapientiæ*, quia inutile est sensationes in mente nostra produci, nisi res materiales realiter existant ; *veracitati*, quia fallimur, si sensatio fit in organo, non a corporibus externis, sed ab alio agente ; putamus enim nos sentire « calorem ignis » aut « ignem esse calidum[2] ». — Nec *possunt* : implicat enim per sensum exteriorem sentiri, v. g., tangi quod non est præsens : perceptio paret invicte perceptio rei præsentis et sine re percepta esset quid contradictorium[3].

2. — *Anima sola* non potest esse causa sensationum nostrarum. Vel enim sensationes *libere*, vel *necessario* ex natura sua produceret ; porro utrumque falsum est. — I^um^ quidem, nam multa *inviti* percipimus, ut horrenda scelera ; multa e contrario percipere volumus, quæ nec audire, nec videre, nec tangere possumus. — II^um^ etiam, nam quæ sensus jam non percipit, ea præcise *nunquam* imaginatio reproducit necessitate naturæ, sicut *accidentaliter* nec cæcus colores, nec surdus musicæ sonos. Ergo neque libere neque necessario sensationes ab anima sola produci possunt.

1. **Farges**, *Théorie fondamentale*, p. 382-385 ; — *Revue thomiste*, 1919, t. 24, p. 296 et suiv. — 2. **S. Thomas**, *De potentia*, q. 3, a. 7. — 3. **Jo. a S. Thoma**, *Log.*, p. II, q. 23 : de notitiis, p. 143, ubi confutantur Suarezius et Conimbricenses.

Ergo tandem corpora sunt vera et sola causa sensationis.

Confirmatur ex eo quod inter causam et effectum proportio requiritur. Sed sensatio, v. g., caloris, est effectus seu *passio* materialis, ut experientia constat. Ergo necesse est ut causa sit *actio* materialis, et non spiritualis (Ont., n. 157, 166).

Dicunt : ideæ ab oculis, auribus... acceptæ non sunt creationes meæ voluntatis, ergo alienæ seu Dei[1].

Resp., sensationes sunt ab objectis externis productæ.

44. Contra SUBJECTIVISTAS et speciatim Locke et Hume, — qui contendunt sensationem attingere directe proprias affectiones sentientis et non ipsas res externas sensibiles, sit

THESIS II

Perceptio sensuum, debitis conditionibus habitis, confert certitudinem circa sensiles corporum proprietates.

Suadetur, quia « nulla potentia cognoscitiva deficit a cognitione sui objecti, nisi propter aliquem defectum[2] » accidentalem. Porro *organa* externa sensuum aptissime disponuntur ad recipiendas actiones rerum externarum. Ergo stat veracitas sensuum circa proprium objectum et negari nequit nisi prius rejiciatur in hac parte naturæ veritas (n. 21-25).

Prob. — 1° *Ex sensu intimo* Nemini enim dubia est lex « objectivationis », qua τὸ ἐγώ distinguitur a τῷ non ἐγώ, et actio quam passive recipit ab actione quam active producit ; quum enim, v. g., digitus acu transfigitur, dolor quidem non acui sed digito, acumen autem acui, non digito, tribuitur.

Sicque generatim τὸ ἐγώ conscium est, certitudine etiam reflexa, se oculis videre et tactu tangere non subjectivam impressionem sed rem externam, se impugnari ab agentibus extraneis proinque objectivis, quorum actio aliena absolute secernitur ab actione propria cujus est principium, et ideo sponte ad objecta exterius posita absque ullo ratiocinio remittitur et exteriorisatur. Nec unquam in homine sano ortum est dubium de existentia mundi corporearumque proprietatum ; imo, quoad nos, nihil est evidentius : hinc est cur testimonium sensuum in rebus dubiis invocare soleamus : « ego vidi oculis meis, ego tetigi manibus ».

2° *Ex natura sensationis*, quæ, ex dictis in Psych. (n. 34-35), est intuitio objecti externi, bene distincta ab impressione quæ

1. **Berkeley**, *Op. cit.*, n. 29, 33. — 2. **Cont. gent.**, L. III, c. 107, n. 8 ; — **Sum. theol.**, p. I, q. 78, a. 3, ad 2 ; — q. 17, a. 2 ; — **Farges**, *L'objectivité de la perception*, p. 80 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Le réalisme du principe de finalité*, 1932, II, c. 1, 2, 3.

præcedit, ab emotione quæ sequitur, estque actus communis sentientis et sensati, dissimilis ergo actui imaginativo aut hallucinatorio.

3° *Ex absurdis* sententiæ oppositæ, quibus ad veritatem conversus est ipse Reid. Negata enim perceptione et quidem immediata sensuum, non solum cunctæ scientiæ experimentales essent illusoriæ, sed oporteret mundi, parentum, amicorum... existentiam vel negare seu idealismum profiteri, quo nihil est absurdius — vel ratiocinio probare, quod est clarum per obscurum explicare. Ergo perceptio, formaliter objectiva, negari nequit.

Hinc est cur recentiores, v. g., Bergson [1], W. James [2] et alii, speciatim neo-realistæ [3] nostram thesim seu **perceptionem immediatam hodie profiteantur.**

Obj. 1a. — Perceptio sensibilis est conscia, atqui quod est conscium est internum, ergo perceptio sensibilis non potest attingere res externas, saltem immediate.

Resp. *Dist. maj.* perceptio cognoscitur conscientia, *conc.*, est actus conscientiæ, *neg.*; nam adest in sensatione externa duplex phænomenon, sc. video aliquid et conscius sum me videre aliquid.

Obj. 2a. — Omnis cognitio est immanens, sc. est tota intra subjectum, ergo nequit esse externa.

Resp. *Dist.* nihil producit extra subjectum, *conc.*; nihil attingit extra subjectum, *neg.*, cognitione enim subjectum fit alterum in quantum alterum.

45. Contra MEDIATISTAS secundæ sententiæ [4] — qui putant nos per ipsam sensationem non attingere directe existentiam et qualitates sensiles corporum, sed indigere ratiocinio (n. 42 B), sit

THESIS III

Perceptio sensuum est immediata.

Prob. — A. — **Directe ex jam dictis de modo quo fit.** Ideo

a) Nullo modo conscii sumus ratiocinii, vi cujus ex modificatione subjectiva concluderemus ad objectum externum quod illa causaret ; ergo hoc ratiocinium gratis asseritur.

b) Infantes et animalia non utuntur ratiocinio et tamen percipiunt corpora eorumque qualitates ; ergo percipiunt ea immediate per solam sensationem.

c) Si perceptio externa esset mediata, præsupponeret perceptionem internam, sed tunc non explicaretur cur chronologice introspectio sit posterior observatione externa.

1. *Matière et mémoire*, 1908, p. 203 ; — cf. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 426. — 2. *Précis de psychol.*, trad. **Baudin**, 1909, p. 19. — 3. Cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 577-580. — 4. **Noël**, *Op. cit.*, p. 78 ; — **Gény**, *Critica*, p. 210-235 ; — **Gredt**, *Op. cit.*, p. 108-125.

B. — **Indirecte, ex confutatione mediatistarum systematum.** Posita enim perceptione sensuum immediata, sponte erumpit hoc judicium : hoc corpus existit. Unde ratiocinium nec est necessarium, nec esset legitimum, nec revera sufficiens.

I. — *Non* est *necessarium*, nam ex duplici thesi præcedenti (n. 43-44) sufficit et amplius clara sensuum intuitio.

Hæc enim mundi existentia non indiget vere, nisi ut explicetur aut confirmetur, sequenti aut alio simili argumento : sensationum causa objectiva, vel Deus, vel natura, vel aliquis genius, vel mundus est. Sed non *Deus*, qui genus humanum in errorem universalem et ineluctabilem inducere nequit ; non *natura*, quæ, cum a Deo sit, fallax esse nequit ; non *genius* quilibet, qui, Deo renitente, nos illudere non valet. Ergo sit ipse mundus.

II. — *Nec* esset *legitimum*, saltem in ore dubitantium de sensuum veracitate, nam in argumentis suis jam implicite supponerent veracitatem sensuum. De quo *triplex error* :

1° Juxta *Cartesium*, fides in mundi existentiam verax est, quia Deum habet auctorem. — Sed e contrario existentia mundi via est ad Deum inveniendum, et sane magis obvia nobis, quam Ipsius existentia. Ad rem ipse Cousin : « Selon Descartes, l'homme ne croirait à l'existence du monde qu'à la suite d'un raisonnement et d'un raisonnement assez compliqué, dont la base serait la véracité de Dieu. En fait, il n'en est pas ainsi, et la croyance à l'existence du monde est infiniment plus voisine du point de départ de la pensée. Or, une fois l'existence du monde mise après celle de l'âme et celle de Dieu, on ne peut se le dissimuler, la porte est ouverte à l'idéalisme et on voit déjà venir Malebranche [1]. »

2° Juxta *Malebranche*, existentia corporum sensatione naturali quam Deus in animam infundit sed præsertim et rigorose S. Scripturæ testimonio, demonstratur. — Sed quomodo sine sensuum auxilio constare potest S. Scriptura ejusque testimonium ?

3° Juxta *Reid*, instinctus naturæ necessarius, vi cujus homines invincibiliter credunt res materiales existere, fallere nequit. — Sed unde cognovit Reid hominum existentiam nisi testimonio sensuum ?

Brevi, explicatio idealis est perversio cognitionis sensibilis.

III. — Nec revera *sufficiens est*, ideoque *theoria inferentiæ* mera manet opinio. Scilicet, juxta Cousin et scholam Lovaniensem [2], sensationes subjectivæ supponunt causam extraneam, ergo vi principii causalitatis mundus sit oportet.

Sed ipsi *quomodo* sine auxilio sensuum percipere possunt in hoc mundo effectus qui expostulant causas ? Nonne ex perceptione experimentali effectuum et causarum exsurgimus ad prin-

1. **Cousin**, *Hist. gén. de la phil.*, VIIIe leç. — 2. **Mercier**, *Psych.*, I, n. 73 ; *Traité élém.*, n. 45 ; *Critér.*, n. 140... A quo recenter discessit **D.D. Noël**, in *Rev. néo-scol.*, nov. 1932, p. 429-448, realismum hujusmodi mediatum abjiciendo.

cipium causalitatis ? Ergo non est prævium sensuum perceptioni. — *Etiamsi* daretur prævium, non sufficeret ad probandum hunc mundum talem esse qualem intuemur, v. g., extraneum, spatiosum, temporaneum, coloratum, etc. (Cosmol., n. 60) sicque vinceret agnosticismus. — *Tandem* conscientia non minus objectivitatem tactus et visus quam subjectivitatem doloris et gaudii testatur et utramque immediate. Ergo qui unum admittit, alterum rejicere non potest... Ergo ex omni parte « illationismus » rejiciatur oportet, qui viam pandit idealismo.

Ergo, quocumque te vertas, admittatur oportet objectivitas sensationum quibus homini, velit nolit, mundus tum externus apparet tum immediate percipitur.

46. En OBJECTIONES contra veracitatem sensuum externorum [1].

Dixi in thesi (n. 44) : *debitis conditionibus habitis* ex triplici parte. De facto enim, quando sensatio non est objectiva, hoc provenit ex defectu conditionum sive subjecti sive objecti sive medii [n. 42 B. 2° a) b) c)]. Cum aliunde illusio illa non deprehendatur nisi per aliam sensationem quæ ab omnibus tenetur ut objectiva ; — v. g., baculus refractus non cognoscitur rectus esse nisi per tactum de quo nemo dubitat in hoc casu, — seipsam refellit quælibet objectio hujusmodi.

Obj. 1a. — Corpus in animam agere non potest. Ergo perceptio corporum immediata est impossibilis.

Resp. *Dist. ant.* : res materiales non possunt agere in animam separatam a corpore, *conc.* ; in animam cum corpore substantialiter conjunctam seu in organa animata, *subd.* : deficientibus conditionibus requisitis, *conc.* ; sed habitis conditionibus requisitis, *nego*. Nam objectum sensibile se habet ad organum sensibile, tanquam agens ad patiens. Cum autem *actio agentis sit realiter in patiente*, ab eo percipi potest : sicque immediate percipiuntur, si non substantiæ corporum, saltem eorum qualitates activæ quibus sese manifestant [2] (Psych., n. 32).

Obj. 2a. — Experientia constat sensus nostros non semel decipi.

Resp. 1° *Retorqueo argumentum* : ratio per accidens decipitur ut experientia constat ; ergo et ipsa non est criterium certitudinis.

2° *Dist. ant.* : sensus decipiuntur per accidens, si una e conditionibus requisitis deficit, v. g., *a*) si sensus sunt in statu anormali ut in somno, morbo aut hallucinatione *conc.* ; secus, *nego* ; — *b*) aut etiam « circa sensibilia *per accidens* vel *communia*, sicut, v. g., decipitur visus si velit homo judicare per ipsum *quid* sit coloratum vel *ubi* sit [3], et per auditum *quid* est quod sonat », *conc.* ; circa sensibilia *propria*, *nego* ; — *c*) tandem si per medium sensatio modificatur, *conc.* secus *nego* (Psych., n. 24).

1. **Gredt**, *Op. cit.*, p. 125-158. — 2. **Farges**, *L'objectivité*, 1re partie ; — **Gény**, *Critique de la connaissance*, in *Revue de phil.*, juin 1912. — 3. *In II De anima*, lect. 13.

3° *Nego ant.* : non enim sensus, sed intellectus decipitur, inferendo falsas inductiones, occasione perceptionum, quæ circa sensibilia propria ipsæ sunt veræ. Si, v. g., video baculum in aqua refractum et judico esse fractum quoad substantiam et non solum quoad speciem seu radios lucis, falsum est dicere quod ego video ea quæ non sunt [1].

Obj. 3a. — Color, sonus... videntur qualitates objectivæ ; porro colores, sonos, esse sensationes mere subjectivas docet Physica : ergo decipiunt sensus.

Resp. *Conc. maj.* ; sed *nego min.* ; nunquam probavit Physica sensationes esse mere subjectivas [2], nam, quidquid sit de ratione formali coloris et soni (de qua jam in Cosmol., n. 56), certum est esse aliquid objectivum, et diversum pro diversa sensatione.

ARTICULUS II

De Criterio Sensuum Internorum [3].

47. Status quæstionis de criterio sensuum INTERNORUM.

Ope sensuum externorum, cognoscimus ea quæ sunt extra nos ; per sensus vero internos ea quæ sunt intra nos, præsertim operationes sensuum externorum. Has autem, vel simpliciter apprehendit et distinguit *sensus communis* seu *conscientia* sensibilis, vel conservat et componit *imaginatio*, vel ut noxias aut utiles agnoscit *æstimativa*, vel ut prius habitas recognoscit *memoria*. Unde **quatuor sunt sensus interni** : *sensus communis, imaginatio, æstimativa, memoria.*

Veraces autem esse sensus internos generatim constat ex ipsorum natura, uti sunt potentiæ, et quidem internæ. Nam — *quatenus potentiæ*, necessario quidem agentes, suum objectum, positis ponendis, per se infallibiliter attingere debent : alioquin natura per se ordinaretur ad errorem ; — quatenus vero *internæ* sunt et subjectivum quid percipiunt, a nemine rejiciuntur [4], nisi forsan a scepticis antiquis.

Hic tamen speciatim agemus de *Conscientia* et de *Memoria*, quia ad ordinem etiam intellectualem utraque pertinet.

§ I. — *De Criterio Conscientiæ.*

48. Status quæstionis de criterio seu vi CONSCIENTIÆ [5].

A. — **Natura.** — Conscientia, lato sensu, definiri potest : *vis cujus ope cognoscimus omnia phænomena nobis intime*

1. Cf. *II Sent.*, Dist. VIII, q. 1, a. 5. — 2. **Farges**, *Ibid.*, 3e partie. — 3. **Gardeil** *Ce qu'il y a de vrai dans le néo-scotisme*, in *Rev. thomiste*, 1901, p. 648. — **Gény**, *Critica*, 180-191. — 4. *Philosophie de* **Hamilton**, trad. **Cazeilles**, c. IX, v. g., p. 147-149. — 5. Cf. **Balmès**, *Phil. fond.*, L. I, n. 225 et suiv. ; — **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 95-100.

præsentia ; id est, non solum sentimus, videmus, intelligimus ; verum etiam, scimus ope conscientiæ, nos sentire, videre, intelligere. — Cum autem affectiones hujusmodi possint esse diversæ, sc. sensibiles aut intellectuales, conscientia convenienter dividitur in *sensitivam* qua percipiuntur affectiones sensibiles, et *intellectivam* qua percipiuntur affectiones rationales. — Præterea, duplex est conscientiæ objectum, directum et indirectum ; nam *affectiones* animæ nostræ primario conscientia attingit, secundario autem *existentiam* ipsius subjecti cogitantis, quod affectiones illas in se recepit.

B. — **Errores.** — Omnes philosophi, exceptis tantum scepticis universalibus, admittunt conscientiam esse criterium infallibile de objecto *directo* ; nonnulli vero rejiciunt, aut pravo sensu intelligunt conscientiæ testimonium de objecto *indirecto*. Hi quidem ad tres classes reduci possunt, nam

1° Juxta Kant, Fichte et quosdam alios [1], phænomena tantum animæ nostræ præsentia, minime vero ipsius *subjecti existentiam* percipimus, conscientiæ auxilio. — 2° Cartesius vero putare videtur subjectum non cognoscere existentiam suam, nisi *ope ratiocinii*. « Je pris garde que pendant que je voulais ainsi penser que tout était faux, il fallait nécessairement que moi qui pensais fusse quelque chose : je pense, donc je suis [2]. » — 3° Denique schola Scotica cum Reid docet vim conscientiæ esse « certitudinem recti sensus » seu infallibilem sed *cæcum instinctum* naturæ [3]. — Contra quos sit

THESIS

49. *Conscientia est criterium veritatis intuitivum.*

Prob. — Illud enim admitti debet tanquam medium certitudinis intuitivum quod adeo est *evidens*, ut nulla demonstratione egeat, imo nec demonstrari nec impugnari possit. Atqui tale est in statu *normali* testimonium conscientiæ :

1° Est ex se **perspicuum**, nam scio me intelligere, percipio clare phænomena cognoscitiva aut appetitiva necnon epiphænomena doloris et gaudii quæ sunt in me et hoc nulla demonstratione indiget, imo evidentior est omni demonstratione [4].

2° **Demonstrari non potest**, eo quod omnis demonstratio supponit conscientiæ testimonium ; demonstratio enim est intellectus operatio, qua mens ex uno judicio in aliud procedit ; sed talis operatio fieri nequit, nisi ratio « redeat » in

1. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 461, 380, 435. — 2. *Discours de la Méthode*, 4e part. — 3. *Essai sur les facultés intellect.*, Es. VII, c. v. — 4. **S. Thomas**, *De veritate*, q. 1, a. 9.

actus suos ope reflexionis ; ergo conscientiæ testimonium supponit.

3° **Impugnari non potest** ; nemo enim testimonium conscientiæ in dubium revocare debet, nisi certus sit de dubii existentia ; dubii autem existentiam cognoscere nequit, nisi testimonio conscientiæ ; quod proinde non impugnatur, quin simul affirmetur. — Ergo conscientia est criterium veritatis intuitivum.

50. Hinc conscientia SUBJECTUM cogitans etiam percipit [1].

Non directe quidem, sicut affectiones animæ, sed indirecte. Nam, eo quod aliquis percipit se sentire et intelligere et alia hujusmodi vitæ opera exercere, necesse est ut percipiat « se vivere et *esse* [2] ». Nemo quidem potest sentire in seipso suam operationem sine operante, suamve passionem sine patiente, aut varios suæ existentiæ modos, sine ipsamet existentia.

Dixi : *existentiam* animæ non vero **naturam**, nec **relationes** affectionum nostrarum : hæc enim omnia investigare et definire officium est rationis [3] (cf. Psych., n. 105) — et in statu *normali*, non in statu anormali in quo turbatur quandoque ejus exercitium (Psych., n. 39, 106, 223).

Hinc 1° — *contra Kant et phænomenistas*, anima non tantum percipit τὸ ἐγώ phænomenicum seu affectiones suas transitorias, sed etiam τὸ ἐγώ *noumenicum*, i. e., phænomenorum subjectum, saltem « ut factum » seu ut aliquid reale et existens : sunt enim hæc duo inseparabilia.

2° — *Contra* quosdam *Cartesianos*, subjectum ex analysi hujus facti : « cogito », non ratiocinio, sed immediate existentiam suam primario colligit, sicuti Cartesius ipse postea confessus est.

3° — Et, contra *Scoticos*, hæc intuitio non est cæca sed evidens.

§ II. — *De Criterio Memoriæ* [4].

51. Status quæstionis de criterio seu vi MEMORIÆ.

A. — **Memoria definiri** solet : *vis servandi species objectorum, earum ope revocandi cognitiones præteritas, et eas quatenus præteritas recognoscendi.*

Hinc a conscientia differt, in eo quod facta præterita revocat, dum conscientia facta tantum modo præsentia cognoscit. — Hæc etiam versatur circa mentis affectiones et cognitiones ordinis sive sensibilis, sive intellectualis ; unde duplex est,

1. *Ibid.*, q. 10, a. 8, c. ; — **Roland-Gosselin**, *Op. cit.*, c. v. — 2. **S. Thomas**, *Loc. cit.* — 3. **Farges**, *Le cerveau*, p. 382 et suiv. — 4. **Farges**, *La crise de la certitude* p. 100.

sensitiva scilicet et intellectiva, sicut et conscientia. — Item *directe* non percipit nisi mentis *cogitationes* : ope tamen cogitationum, *objectum* quod repræsentant primario attingit.

B. — **Sententiæ** vero de vi memoriæ eædem numerantur ac circa conscientiæ veritatem ; nec mirum, cum memoria sit quasi *conscientia continuata*. — Sit igitur

THESIS

52. *Memoria per se est veritatis criterium intuitivum.*

Constat *ope sensus intimi*. Nam, v. g., memoria percipimus nos heri talia vel talia voluisse, amavisse, fecisse, v. g. epistolam, preces, cursum, etc. ; porro in his et in multis hujusmodi vel evidentia non fallit, vel de omnibus est dubitandum.

Prob. — Ut memoria certitudinem eamque immediatam nobis conferat, duo sufficiunt : affectiones habitas servari in anima et easdem recognosci posse. Sed, ex una parte, anima servare debet quasdam affectiones et cogitationes præteritas ; omnis enim substantia, præsertim spiritualis, modificatione quadam affecta, hanc modificationem servat, nisi obstet impedimentum. Ex altera parte, nihil vetat quominus affectiones in anima servatæ iterum agnoscantur ; si enim anima cognoscere potest ea quæ prima vice sunt præsentia menti, quare non secunda et altera vice ? Ergo ea *per se* cognoscit.

Confirmatur consequentia, quæ esset ipsa scientiæ negatio : nam series cognitionum, qualis habetur in scientia, supponit memoriam. Unde Quintilianus : « Omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si quidquid audimus, præterfluat [1]. »

53. **Difficultates contra memoriam.**

Obj. 1a. — Memoria est fallax ; ergo non criterium certitudinis.

Resp. *Dist. ant.* : Memoria est fallax *per accidens*, conc. ; *ex se*, nego. Id est, aliquando recordari putamus ea quorum memoriam revera non habemus : hoc autem non ex natura memoriæ provenit, sed vel ex infirmitate casuali memoriæ, vel ex defectu reflexionis, sicut etiam error non ex vi, sed ex defectu evidentiæ.

Inst. — Atqui nullum est medium quo secerni possit, quando memoria sit per se verax ; ergo nulla distinctio.

Resp. *Nego subsumptum.* Illud enim medium est evidentia. Revera, sæpe sæpius memoria nobis evidentissime refert præteritum cum concretis circumstantiis, nec de illius testimonio dubitare possumus.

Obj. 2a. — Memoria ex se est labilis ; multa quidem referre non potest, et alia nonnisi confuse restaurat. Ergo.

Resp. 1° *Dist. ant.* : memoria est labilis, *quandoque*, conc. : *semper*, nego. Porro quidquid est imperfectum, in nonnullis deficere potest. — 2° *Nego conseq.* Nam sicut ignorantia non est error, ita nec defectus memoriæ ; aliud enim est nihil referre, aliud falsa ut vera recordari.

1. **Quintilianus**, *De institut orat.*, XI, 2.

ARTICULUS III

De Criterio Intelligentiæ [1].

Nomine intelligentiæ designatur *intellectus* quatenus ideas vel *directe* apprehendit, vel *reflexe* considerat, vel de eis *intuitive* judicat. Unde triplex erit paragraphus : — 1us de *Idearum valore objectivo* ; 2us de *Universalium objectivitate* ; — 3us de *Primorum judiciorum certitudine.*

§ I. — *De Valore idearum objectivo.*

54. **Status quæstionis de valore idearum objectivo.**

Ex dictis in Dialectica, ideæ sunt rerum similitudines, in mente intelligibiliter expressæ, essentias mere abstractas repræsentantes. De his nunc quæritur num conformes sint objectis quæ repræsentant [2]. Affirmant *realistæ* generatim existere objecta extra cogitantem.

Jamvero ideæ sunt triplicis ordinis, sc. *metaphysici*, *physici* vel *moralis* ; quas omnes vel plerasque si quis propugnat non esse conformes objectis suis, ad *idealismum* abeat necesse est.

Idealismus ergo **triplex est** : — 1° Alii enim, cum Berkeley, negant vim objectivam idearum mundi *physici* et corporei. — 2° Alii, cum Kant, in dubium revocant vim idearum etiam ordinis *metaphysici*, servant vero ideas ordinis psychologici et moralis. — 3° Alii tandem, post Fichte, Schelling, Hegel, rejiciunt vim *omnium* idearum, excepta tamen idea subjecti cogitantis ; inter quos eminet Th. Jouffroy : « Ce que nous regardons comme la vérité, est-ce vraiment la vérité [3] ? »

Jam de idealismo Berkeley empirico dictum est (n. 43) : nunc de **kantismo**, qui dicitur etiam *criticismus* seu *subjectivismus transcendentalis.*

55. **En systema kantianum de valore idearum nostrarum [4].**

Secundum Kant, duplex est ratio, theoretica et practica : inde ejusdem *Critica rationis puræ* et *Critica rationis practicæ.*

Ratio theoretica, ut supra dictum est (n. 30), spatii et temporis

1. **Gardeil**, *Art. cit.*, p. 407 ; — **Gény**, *Critica*, p. 235 et seq. ; — **De Tonquédec**, *Op. cit.*, p. 133-180 ; — **Jolivet**, *La notion de substance*, 1929, p. 209-281. — 2. Cf. **Gény**, in *Revue de phil.*, an. 1913, p. 168. — 3. *Œuvres de* **Reid**, préface, 1828. — 4. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 467 et suiv.

necnon duodecim categoriarum innatis irretita formis, quas applicat phænomenis sensibilitatis, apprehendit objecta aliter ac sunt, nam revera potius per judicia synthetica construit objecta cognitionis, trans et ultra quamlibet experientiam. Inde ideæ transcendentales, anima, universum et Deus, quæ sunt omni objectivitate destitutæ, quia, juxta Kant, impossibilis est transitus subjecti cogitantis ad objectum reale : quoties intellectus conatur hunc *pontem* transire, incidit in varias antinomias seu propositiones contradictorias, quas eadem evidentia, tum defendere, tum impugnare possumus. Quatuor sunt præcipuæ :

Antinomiæ :
- 1° Tempus et spatium sunt finita, — vel *infinita* ;
- 2° Mundi elementa sunt simplicia, — vel *composita* ;
- 3° Libertas existit in mundo, — vel *non existit* ;
- 4° Existit universi causa necessaria, — vel *non existit.*

Harum antinomiarum solutio, juxta Kant, tota est in prætermissione realitatis objectivæ rerum de quibus disputatur.

Ratio practica autem veritates morales et religiosas, theoretice impervias, retinere pro praxi tentat sic : viget in omnibus imperativum absolutum boni faciendi malique vitandi, juxta regulam : « Sic age quia officium tuum est. » Hoc autem supponit in homine libertatem — et hæc pro bono mercedem, pro malo pænas seu justam sanctionem — et hæc Judicem supremum homines liberos in vita futura remunerantem. Igitur libertas, immortalitas, Deus : en veritates practicas quæ, etsi scientifice non probantur, practice fide omnino tenendæ sunt et ideo habent certitudinem moralem [1].

56. Quid SIT TENENDUM de valore idearum objectivo [2] ?

THESIS I

Valor idearum objectivus non directe, sed indirecte probatur.

A. — **Non directe.** — Qui enim tentaret demonstrationem, ideis vel objectivis vel non objectivis uteretur ; si prius, petitione principii niteretur ; si posterius, inutilis esset argumentatio ; ergo hujusmodi demonstratio tentari non potest.

B. — **Sed indirecte** et iisdem argumentis ac sensatio (n. 43-4) :

1° Ex *origine idearum.* Nam, ut probatum est in Psychologia (n. 86), ideæ formantur per abstractionem a rebus sensibilibus. Sed « abstrahentium non est mendacium » (Psych., n. 66). Exinde certo colliges simplices mentis apprehensiones objectivas esse, non secus ac perceptiones sensuum, e quibus hauriuntur (Psych., n. 95).

2° Ex *sensu* omnium intimo, cui non dubia est lex « objectivationis », et omnino evidens valor objectivus idearum, v. g., circuli aut trianguli : nemo quippe unquam dubitavit

1. Cf. *Critique de lá raison pure*, p. 1, sect. 2, § 8 ; — *Critique de la raison pratique* ; — cf. **Cousin**, *Hist. de la phil.*, t. V ; — **Mercier**, *Crit. gén.*, L. III, c. I, a. 2 et c. II. — 2. **Mercier**, *Ibid.*, L. IV ; — **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 104.

suas ideas, saltem simplices, esse repræsentativas rerum (Log., n. 26).

3° Ex *absurdis* sententiæ oppositæ. Nam idearum objectivarum negatio ducit ad scepticismum absolutum : posito enim quod ideæ sint formæ mentis mere subjectivæ, nihil de rebus unquam sciri potest, et recte dixisset Rabier : « Nous sommes forcément enfermés dans nos idées, réduits à nos idées [1] » quippe non res ipsas, sed ideas solas attingeremus.

THESIS II

57. *Criticismus kantianus rejiciendus est* [2].

Prob. — Hic enim falsus est in suo fundamento, — contradictorius in sua essentia, — periculosus in suis consectariis.

I. — **In fundamentis falsis** nititur. — Nam criticismus :

1° Supponit objectum esse semper extra aut supra subjectum cogitans seu inaccessibile. Hoc autem manifeste falsum est in perceptione interna τοῦ ἐγώ, in qua subjectum et objectum identificantur. Ex hoc igitur fonte perplures ideæ objectivæ hauriri possunt. — Falsum est etiam in perceptione externa ; nam *actio agentis est realiter in passo*, ac proinde patiens potest percipere in semetipso actionem extraneam quam patitur, et de facto illam clare percipit (n. 44 et Ontol., n. 134).

Perbelle hoc vitium kantismi a D. Bergson patefactum est : « L'esprit humain est-il incapable d'aucune intuition du réel ? *Toute la question est là...* Les doctrines qui ont un fond d'intuition (du réel) échappent à la critique kantienne dans la mesure où elles sont intuitives [3]. » Porro philosophia nostra est intuitiva realitatis dupliciter, nam 1° *ad intra*, non tantum intuemur actiones et passiones nostras, sed etiam τὸ ἐγώ quod agit aut patitur (n. 50) ; 2° *ad extra*, actiones rerum physicas quibus patimur et simul agentia ipsa, saltem ut præsentia, vere etiam intuemur (n. 44).

2° Supponit solas formas innatas seu habitudines mentis sufficere ad producendam illam apparentiam evidentiæ objectivæ qua sæpe fruimur. Porro illud est impossibile :

a) Si sola forma *innata spatii* aut *temporis* sufficeret ad res percipiendas tanquam extensas et temporaneas, quin extensum et successivum de ipsis rebus accipiatur, cur hæc horologii rotunditas et non altera, cur hæc motus duratio brevis et non altera longior percipitur ? — Cur idea causalitatis qui-

1. **Rabier**, *Logique*, n. 20-22. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 28-57 ; — **Maréchal**, *Op. cit.*, cah. V, præsertim 385-463 ; — **Gény**, *Op. cit.*, 391-398. — 3. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 426.

busdam tantum, non omnibus rerum successionibus applicatur ? — Item de cæteris categoriis, quarum applicatio singulis rebus, et aliis potius quam alteris, esset impossibilis, si nil de rebus ipsis perciperetur, quo *dirigetur hæc applicatio*.

b) Si ratio sufficiens evidentis necessitatis hujus judicii : *totum est majus sua parte*, tota esset in habitudine innata mentis, omnes aliæ propositiones, longa habitudine inveteratæ, v. g. : *sol oritur*, *sol occidit*, eadem evidenti necessitate tandem aliquando perciperentur, quod falsum est (n. 70).

Ergo patet non sufficere intuitionem formarum mentis, etiam innatarum, ad explicandum evidentiæ factum, sed rerum requiri intuitionem : alioquin notionum applicatio singulis esset arbitraria, quod factis supra allatis satis confutatur.

3° Cæterum formas spatii (et temporis) esse innatas falso innititur fundamento, nempe identitate spatii idealis et spatii realis. Hæc enim, v. g., notio spatii accipitur ex experientia duorum corporum realiter distantium : ergo sensationi non anterior, nec menti congenita [1]. Idem dic de aliis formis quæ primo singulares, dein universales, ipsi Kant visæ sunt ab experientia independentes et menti congenitæ.

II. — **Contradictorium est** *in sua essentia suisque thesibus*. Etenim negare veritatem objectivam et affirmare veritatem subjectivam, « une science qui n'est pas sue [2] », sunt duo quæ secum componi nequeunt. Aliis verbis, secum pugnat scientia mere subjectiva a kantistis definita : « concordia idearum nostrarum cum semetipsis [3] ». Nam

1° Si nullum judicium, si nec etiam principium contradictionis esset objective verum sed illusio mentis, tunc nec permaneret esse subjective verum, nam idem de eadem idea affirmare simul ac negare possemus. Hoc autem posito, quomodo staret concordia idearum nostrarum ? — imo quomodo ipsamet existentia subjecti cogitantis posset esse objective certa ? Vinceret ergo scepticismus etiam subjectivus.

2° Si lex subjectivitatis esset admittenda, pugnaret cum lege objectivationis, naturaliter indita mentibus humanis. — Secum etiam pugnaret ratio theoretica in singulis kantianis antinomiis, quæ remanerent insolutæ, quamdiu subsisterent plures evidentiæ contradictoriæ, sicque rueret ipsamet concordia rationis cum seipsa.

1. Cf. **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 135. — 2. Cf. n. 30, c. nota 2ª. — 3. Cf. n. 8, nota 3ª.

III. — **Periculosum est** *in suis consectariis* [1]. — Nam ducit ad scepticismum in re doctrinali, ad indifferentismum in re morali, et ad nihilismum practicum.

1° Non enim illogice kantiani negaverunt noumena quæ magister incognoscibilia tantum dicebat. Sic Fichte : « La science ne nous apprend que cette seule chose, c'est que nous ne savons rien [2]. » — Item Renouvier : « Les choses en soi n'existent pas, si ce n'est que les représentations se nomment ainsi [3]. » — Et radicitus Hamelin : « La philosophie est l'élimination de la chose en soi [4]. »

2° Lex quidem officii, de bono et malo, in cordibus hominum imperat, ut perbelle dixit Kant, modo tamen illa lex non sit mere subjectiva et illusio mentis. Quodsi fidis objectivitati boni et mali, cur non etiam cæterarum idearum ? — Aliunde ratio practica est eadem facultas ac ratio theoretica. Ergo vel utraque vera, vel utraque falsa aut dubia dicatur oportet.

3° Admisso kantiano principio : « impossibilis est transitus seu adæquatio inter subjectum et objectum externum », non tantum quælibet cognitio rei fit impossibilis, sed etiam quælibet actio humana. Nam velle agere, v. g., scribere aut pingere, est velle realisare quamdam adæquationem inter rem faciendam ad extra et ideam internam : quod esset, in hypothesi kantiana, omnino impossibile. Ruit ergo non tantum scientia, sed et activitas humana; sicque desperatio scholæ pessimistæ et nihilistæ fit criticismi ultimum corollarium.

Stat ergo inconcussa thesis ; quoad objectiones, cf. n. 32.

COROLLARIA

58. Corol. I^um. — Nec sufficit quidem NEO-KANTISMI positio [5].

Neo-kantistæ enim valorem intellectus etiam rejiciunt, sed quia necessitas agendi aliquam legem credendi imponit ipsis scepticis, dicunt cognitionem humanam effici certam per aliquem interventum ab extrinseco [6], nempe vel per actum « liberæ voluntatis », ut Renouvier et Secrétan ; — vel per « praxim », « la vérité vécue », ut Blondel in Gallia [7], Schiller in Anglia, W. James in America ; — vel saltem per « bonam voluntatem », ut fautores dogmatismi moralis, v. g., Laberthonnière. Ast

1° **Idealismus voluntaristarum** libertati, non evidentiæ, falso tribuit veritatem, nam *voluntatis interventus* explicat quidem errorem (n. 9), non autem veritatem ; ergo non omnino

1. **Valensin**, *Traité de droit naturel*, 1922, I, p. 54-65. — 2. **Fichte**, *Destination de l'homme*. — 3. Cité par **Mercier**, *Ont.*, 384. — 4. *Essai sur les éléments de la représentation*, p. 19. — 5. **Farges**, *La crise de la certitude*, 57-69. — 6. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 501. — 7. **Parodi**, *La philosophie contemporaine en France*, 1919 : *Blondel*, p. 302-306 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 581-B.

verum est axioma : « nous faisons l'erreur et la vérité en nous ». Eligatur ergo inter dogmatismum et scepticismum, sed ab objectiva veritate, non a solo libero arbitrio pendet electio.

2o **Pragmatismus** contra intellectum erigit actionem seu praxim, ut medium ad veritatem objectivam attingendam : — sed *inconsequenter*, nam rejicit valorem cognitionis, quia impossibilis est actio transiens ex objecto in subjectum, et simul admittit valorem actionis voluntariæ, quæ etiam est actio transiens ex subjecto in objectum (n. 57, III, 3o) ; — necnon *contradictorie*, nam objectum percipi dicit non in cognitione speculativa sed in actione libera, in qua tamen nihil est volitum quod ab intellectu non fuerit præcognitum (n. 106-C).

3o Denique **dogmatismus moralis** conditionem accipit pro vera causa cognitionis : siquidem *bona voluntas* quæ applicat mentem, sæpius requiritur ut clarior fiat visio, convictio fortior, et verior seligatur opinio. At procul dubio bona voluntas cæca est, ipsa non videt, sed intellectus. — Insuper non desunt qui cum *mala voluntate* cognoscere possunt etiam ipsas veritates morales, v. g., existentiam Dei : dæmones ipsi « credunt et contremiscunt [1] ». — Bona igitur vel non, voluntas non debet imperare assensum disproportionatum dignitati rationum, quæ jam innotuerunt intellectui (n. 17) [2].

Nec dicant ethicam sive christianam, sive saltem naturalem, solam satisfacere cordis affectibus : ergo solam esse veram. — Quidquid enim placet aut utile est, non ideo verum, nam et chimericum placet et allicit cor hominis, sed sola veritas mentis et cordis exigentias adimplet.

59. Corol. IIum. — Nec etiam sufficit bergsonica INTUITIO [3].

A. — Negat enim Bergson, sicut Kant, sed alia via, vim intellectus. Nam, si ipsi fides, vincit hypothesis Heracliti seu mobilismus universalis, juxta quem omnia fluunt nihilque immotum permanet (Cosmol., n. 58). Ergo, concludit Bergson, vana et illusoria est idea, quæ nobis repræsentat res uti fixas, immutabiles et æternas, necnon veritates necessarias, nam nos illudit permutando mobile in immobile « l'idée solidifie la continuité fluide du réel [4] », sed revera aliud non est quam photographia instantanea rerum perpetuo mobilium.

1. Jac., II, 19. — 2. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 581-C. — 3. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, 1912, c. VII, VIII, p. 323-381 ; — **J. Maritain**, *La philosophie bergsonienne*, 1914 ; — **Parodi**, *Op. cit.* : *Bergson*, 250-288. — 4. *L'évolution créatrice*, p. 327.

Sed **hæc theoria anti-intellectualis** : — 1. *in se* falsa est ; nedum enim idea sit imago stabilis rerum instabilium, potius est stabilis imago realitatis pariter omnino stabilis, nempe essentiæ seu formæ rerum in æternum possibilis et immutabilis. — 2. Nec probatur *exemplo* cinematographiæ, quæ ex congressu imaginum immobilium simulat motum : nam omnis comparatio claudicat, ea præsertim qua fit transitus de ordine sensibili ad ordinem intellectualem, sicque supponit sensum et rationem non differre, imagines et ideas esse unum et idem.

Urget tamen Bergson, asseritque omnia non tantum motum esse, sed motum *vitalem* et *continuum* unius rei, sc. « **l'élan vital** ». Porro, inquit, intellectus nec motum, nec vitam, nec continuitatem apprehendere valet : et ideo radicali et absoluta incapacitate laborare censendus est. — Quod profecto gratuitum et absonum est : sequeretur enim intellectum esse potentiam mere utilitariam, speculationem puram veritatis impossibilem, itemque hominem esse animal « fabrum », non vero « sapiens ».

B. — Nec corrigit Bergson suum anti-intellectualismum per **intuitionem instinctivam,** cujus ope tandem metaphysica objectiva evaderet possibilis [1]. — Nam hæc nova facultas, sc. intuitio *trans-intellectualis*, cui locum cederet jam peremptus intellectus, non probatur, imo nec intelligitur :

a) *Non probatur* : nihil enim esset nisi *instinctus*, quem amisit homo, quum in evolutione sua purum animal desinit esse : sed instinctum amissum recuperare et efficere conscium nemo valet nisi conatu violento et doloroso « une torsion de l'esprit sur lui-même », aliunde impossibili etiam per instans fugitivum ; ergo nondum constat existere intuitionem Bergsonicam.

b) Nec *intelligitur* : implicat enim contradictionem instinctus conscius, seu una facultas instinctu simul et reflexione prædita. Implicat quoque contradictionem intuitio sine idea : nemo enim cogitare et philosophare sine ideis unquam valuit. Ergo tandem ad intellectum et ideas, velit nolit Bergson, recurrere necesse est [2].

Utrum hæc intuitio bergsonica sit apprehensio intellectiva thomistarum, an conscientia attentiva modernorum, aut etiam cogitativa circa singulares rerum proprietates se exercens, an tandem complexa et inaudita facultas, disputent auctores.

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 383-431 ; — **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 570. — 2. **Roland-Gosselin**, *Peut-on parler d'intuition dans la philosophie thomiste ?* in *Philosophia perennis*, 1930, II, 709-730 ; — cf. *Rev. thom.*, XV (1932), p. 52-70.

§ II. — *De Objectivitate Universalium* [1].

60. Status quæstionis de UNIVERSALIUM objectivitate.

I. — **Notio.** Universale significat *unum pluribus commune*, et imprimis duplex est : *directum* et *reflexum* (Log., n. 123), unum ab altero bene distinguendum. Nam universale directum exprimit tantum essentiam rerum in se et objective spectatam, non autem explicite et positive aliquid pluribus esse commune. Universale vero reflexum positive designat intentionem universalitatis, i. e., aliquid ut *formaliter* pluribus commune, quales sunt omnes notiones generales.

Jamvero primum potest esse sine altero, non vicissim, nam prius est directe apprehendere quid sit natura rotunda hujus circuli in se sumpta, quam reflexe concipere rotunditatem omnibus circulis esse communem ; sicque falsum est illud effatum : « pour généraliser, il faut abstraire, mais, pour abstraire, il faut généraliser [2] ».

II. — **Quæstio.** Jamvero valorem idearum *directarum* modo probavimus, abstrahendo ab earum universalitate ; nunc vero uti universales considerandæ sunt et quæritur utrum sit aut potius ubinam sit universale *reflexum*. Ecce quæstio cujus præstantia neminem fugit : siquidem in judiciis nostris, v. g., Callias est homo, Cleon est sapiens, subjecta seu Callias et Cleon sunt substantiæ primæ et singulares, attributa vero, e. i., homo, sapiens, sunt ideæ universales. Quonam ergo jure individuis tribuantur conceptus universales et isti utrum sint objectivi : en *punctum* difficultatis.

III. — **Sententiæ.** Quatuor recenseri possunt : *nominalismus*, *conceptualismus*, *realismus absolutus* et *realismus mitigatus*. — Juxta nominalistas, universalia sunt solum in vocibus ; juxta conceptualistas, sunt solum in mente ; juxta realistas absolutos, sunt formaliter in rebus ; — juxta realistas mitigatos, sunt partim in mente et partim in rebus, sc. sunt entia rationis cum fundamento in re [3].

I. Sententiæ falsæ.

61. Quid SINT nominalismus, conceptualismus, realismus ?

A. — *Notio* horum systematum historica est et fere classica.

1. **Jo. a S. Thoma**, *Logica*, p. II, q. 3-5 ; — **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 129-134 ; — **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 104 et suiv. ; — **De Tonquédec**, *Op. cit.*, p. 133-180 ; — **Gény**, *Op. cit.*, p. 235-294 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 240-256. — 2. **Bergson**, *Matière et mémoire*, p. 170 et seq. — 3. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 240-256.

1. **Nominalistæ** contendunt universalia non esse nisi *nomina*, aut voces in se singulares, quæ plura tamen designant individua [1]. Sic., v. g., vox *homo* nihil significat nisi collectionem individuorum quibus nomen illud applicatur. — Nominalismus sensistas veteres, præsertim Epicurum, ut patronos habuit ; ævo medio, antirealista Roscellinus, Occam et Biel eum renovarunt, et, recentibus sæculis, Hobbes, Hume, Condillac cum omnibus sensistis, Dugald Stewart et Stuart Mill.

2. — **Conceptualismus**, qui Zenonem stoicum, medio-ævo forsan Abelardum, apud modernos, Kant ejusque fautores habuit, est *sententia eorum, qui contendunt universalia* esse tantum *aliquas intellectus conceptiones, quas mens rebus applicat* ; ita notiones generales, sive sint innatæ, sive acquisitæ, realiter sunt in mente, cujus virtute concipiuntur, nullatenus in rebus existunt [2].

3. — **Realistæ** docent *universalia* realiter et actu *extra mentem nostram existere formaliter* seu *quatenus* sunt *universalia* ; et id triplici modo explicari solet. — Alii, inter quos probabiliter ipse Plato [3], dicunt « ideas » seu universalia esse ab omni re singulari separata, imo esse *entia realia* et in se frui existentia quadam propria. — Alii vero post Gulielmum a Campellis, v. g. Laforêt, asserunt universalia esse formas *in ipsis individuis* existentes independenter a mentis consideratione, ita ut ipsum individuum habeat *aliquid universale*. — Juxta Scotum, dantur in individuis formalitates distinctæ ex natura rei.

B. — Porro prælaudata hæc de universalibus systemata, olim acerrime disputata, non sunt nec forsan erunt **unquam antiquata** : recenter enim sub alio nomine positivismi, idealismi et ontologismi rursus insolescerunt.

Ad **nominalismum** revocari debent Taine, Ribot et alii plures positivistæ. Sic, juxta Taine, voces universales dicuntur « des noms commodes au moyen desquels nous mettons ensemble dans un compartiment distinct tous les faits d'une espèce distincte [4] ». Bergson et Le Roy modo ad eamdem sententiam, inscii forte, regressi sunt, modo ad sequentem.

Ad **conceptualismum** autem reducuntur idealistæ generatim nostri, sc. Renouvier, Hamelin et Brunschvicg juxta quos res non existunt in se sed earum repræsentationes. « L'acte de l'esprit (l'idée) subsiste indépendamment de l'esprit qui l'a formé : il se suffit à lui-même, il a l'existence intellectuelle [5]. »

Quod vergit in *fucatum* **realismum** (solipsisme), nam, si idealistis fides, « l'idée constitue un monde qui est pour nous le monde : au delà il n'y a rien [6] ». — Ast ontologistæ contendunt non in se sed in Deo subsistere ideas, ideoque volunt universalia esse ideas divinas quæ per intuitionem et visionem, homini naturalem, immediate percipiuntur in Deo.

1. **Jolivet**, *Op. cit.*, p. 77-95. — 2. **Liberatore**, *Log.*, p. II, c. IV, a. 1. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 84, a. 1 et 4. — 4. **Taine**, *De l'intelligence*, 2 vol., 1870. — 5. **Brunschvicg**, *Introduction à la vie de l'esprit*, p. 26-27. — 6. **Brunschvicg**, *La modalité du jugement*, 1897, p. 2 ; — cf. **Jolivet**, *Op. cit.*, p. 248.

Jam tamen ex suo tenore hæc tria apparent falsa [1] : unde

62. *Falsus est nominalismus, quicumque sit.*

Prob. — *Eo quod nominalismus docet* universalia non existere, sicque logice propellit ad negationem omnium scientiarum : scientia enim non est singularium, sed universalium.

Constat *antecedens*, nam, juxta nominalistas, vocabula essent universalia vel in se vel quatenus ex hominum placito ideam exprimunt. Porro non Ium : in se enim, nihil sunt nisi *quidam soni* seu aliquid singulare sensibile. Nec IIum, nam, si universale non sit in ideis, non potest esse in vocabulis quatenus sunt idearum expressio ; secus aliquid esset in signo, quod non esset in re significata. Ergo nullo modo sunt universalia, sicque nominalismus, quia de facto imaginem ab idea non secernit, docet aperte universalia non existere.

63. *Falsus est conceptualismus.*

Prob. — Juxta conceptualistas, universale est aliquid **mere ideale.** Sed impossibile est esse quid *mere ideale,* sicut nec est vanum vocabulum ; ergo designet *rem* necesse est.

Probatur *minor,* nam quemadmodum nomina significant conceptus nostros internos, ita conceptus significant *res* ipsas a quibus abstrahuntur ; ergo universale sit in rebus saltem in potentia : nihil enim potest esse in signo, quatenus signum est, nisi aliquo saltem modo sit in re significata.

Confirmatur *consequentia ex sensu communi,* nam in ore omnium universale designat aliquid commune pluribus ; ergo aliquam rem. — Sic, v. g., in judicio : Petrus est homo, conceptus *homo* dicitur universalis, eo quod exprimit unum commune omnibus hominibus, videlicet esse animal rationale. Supposito autem quod universale nihil sit extra mentem nostram, jam non possumus judicare Petrum esse animal rationale ; unum tantummodo asserere possumus, sc. existentiam conceptus interni : quod falsum et incongruum est.

64. *Falsus est realismus absolutus* [2].

Prob. — Si universale formaliter sumptum, v. g., humanitas, existeret extra mentem nostram, profecto existeret vel **in se,** vel **in rebus,** vel **in Deo.** — Sed hæc tria falsa sunt :

1um quidem, nam omne ens, quod realiter existit, est unum seu individuum, v. g., homo singularis, non humanitas in

1. Cf. **Lenoble**, art. *Idée* in *Dict. prat.*, 888-893 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Le sens commun*, 1922, p. 29-84. — 2. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 118.

genere ad sensum Platonis, quam habere et participare nemo conscius est.

2um etiam, quidquid enim invenitur in rebus individuis, est etiam unum, uno verbo, individuatum ; in quo introducere, Scoti instar, distinctas formalitates ex natura rei actuales est inintelligibile et perniciosum [1] (Ont., n. 53).

3um tandem, nam universale non existit in *solo Deo,* imo nec formaliter *in Deo* ; — non in *solo* Deo, ut volunt ontologistæ (Psych., n. 75), quia est etiam formaliter in intellectu *nostro* et fundamentaliter in *rebus* ; — imo nec *formaliter* in Deo ; Deus enim est Ens maxime individuum ac singulare, qui per unum actum simplicissimum omnia intelligit (Theod., n. 78). Ergo universale, ut sic, extra mentem non existit.

II. — Vera sententia [2].

65. Quid sit realismus mitigatus seu INTELLECTUALISMUS ?

Realismus seu etiam conceptualismus **mitigatus,** quem propugnant Aristoteles et S. Thomas [3], docet universalia esse partim *in mente et partim in rebus* : unde quasi mediat inter conceptualismum et realismum, utrumque absolutum.

Scholastici quidem concedunt conceptualistis universale reflexum esse *ens rationis,* quod sc. existit formaliter in intellectu, — *cum fundamento* tamen in rebus individuis : — sed asserunt cum realistis hoc fundamentum seu universale directum existere *in rebus* singularibus, — etsi non *eodem modo* ac in intellectu ; in individuis enim essentia est aliquid concretum, dum in intellectu est aliquid abstractum ab individuo.

Hæc quatuor illustrat exemplum, nam, v. g., 1° *humanitas* in quantum est in hoc vel in illo homine, nihil designat nisi essentiam hujus vel illius hominis, cum suis proprietatibus accidentalibus conjunctam ; — 2° humanitas autem in quantum est in intellectu, exprimit absolute hominis essentiam, ab omni proprietate individua separatam et *abstractam* ; — 3° quando autem concipitur ut communis omnibus hominibus, hæc intentio universalitatis *est ens ipsius rationis,* — 4° quod igitur originarie et *fundamentaliter* est in hominibus singularibus [4].

1. Cf. **Mercier,** *Crit. gén.*, p. 328-332. — 2. **Garrigou-Lagrange,** *Le sens commun*, p. 44 et seq. — 3. **S. Thomas,** Opusc. *De ente et essentia*, c. IV ; — **Sum. theol.**, I, q. 85, a. 3 ;— q. 86, a. 1, etc. — 4. **Cf. Sum. theol.,** I, q. 85, a. 2, ad 2 ; q. 86, a. 1, ad 4.

66. Utrum VERA sit theoria S. Thomæ circa universale [1] ?

THESIS

Universale directum *existit in rebus individuis, sed non eodem modo quo est in intellectu ; universale vero* reflexum *est formaliter in intellectu, cum fundamento tamen in rebus.*

Prob. — I° **Universale directum** *existit in rebus individuis.* Nam universale directum exprimit essentiam rerum singularium ; sed res quælibet individua, v. g., Petrus, habet *in se* essentiam seu proprietates quibus constituitur et distinguitur ab aliis rebus ; ergo universale directum existit in rebus individuis. — Constat *minor,* quia ante omnem mentis operationem, verum est dicere Petrum esse hominem ; sed illud dici non potest, nisi Petrus in seipso habeat id omne, quo humanitas constituitur ; ergo habet.

II° *Universale directum non eodem modo est in individuis quo concipitur ab intellectu.* — Nam notio concreta differt a notione abstracta (Log., n. 38). Sed essentia rerum singularium est aliquid concretum et determinatum ; ex. g., Petrus est *unus* homo, *hic* homo. Universale autem concipitur ab intellectu nostro ut aliquid abstractum et sejunctum ab omni proprietate seu *conditione* individuali et accidentali : v. g., humanitas extra Petrum et Paulum. Unde universale directum non existit in individuis eodem modo quo concipitur ab intellectu [2].

III° **Universale reflexum** *est formaliter in intellectu.* — Ens enim rationis existit formaliter in intellectu ; atqui universale reflexum est ens rationis, nam est ens abstractum a spatio, a tempore, a qualibet existentia ; ergo universale reflexum est formaliter in intellectu : v. g., humanitas.

Brevius et aliis verbis : universale reflexum ut reflexum est tale per operationem intellectus ; ergo est formaliter in intellectu.

IV° *Universale reflexum supponit fundamentum quoddam in rebus individuis.* — Nam universale reflexum est ipsum universale directum, quatenus per reflexionem intellectus ad plura extenditur. Sed universale directum *exprimit* aliquid

1. **Gilson,** *Le thomisme,* ch. XII ; *La philos. au Moyen Age,* 1925, p. 188 et seq. ; — **Gény,** *Op. cit.,* p. 263-284 ; — **Aimé Forest,** *La métaphysique du concret,* ch. II ; — **Maritain,** *Réflexions sur l'intelligence,* p. 322-328 ; — **Barbedette,** *Op. cit.,* n. 275, 282-VI°, 291-A, 305. — 2. **S. Thomas,** *In I Met.,* lect. 10 ; **Sum. theol.,** I, q. 85, a. 2, ad 2 ; q. 86, a. 1.

reale in rebus individuis. Ergo universale reflexum supponit ut fundamentum aliquid reale in rebus individuis.

Quid ergo sit ? — Est ipsamet essentia rerum singularium, quæ una est determinata in quolibet individuo, sed considerata ab intellectu, prout pluribus individuis convenit.

Corol. — Universalia **logica,** ut genus, species, differentia, proprium aut accidens, quæ sunt entia rationis, habent etiam fundamentum in rebus, seu ultimo fundantur in essentia singulari rerum quibus convenire concipiuntur (Log., n. 123).

67. Hinc universalia sunt conceptus OBJECTIVI — nempe res, intrinsece possibiles, quæ reales sunt aut fieri possunt.

Prob. — Conceptus illi idem habent objectum ac ipsa sensatio ; sed sensatio habet objectum reale ; ergo et conceptus. — Constat utraque præmissa ex passim dictis in Psychologia (n. 95) et in Critica (n. 56).

Confirmatur *major* a S. Thoma : « Manifestum est quod singulare... sensus est quodammodo et ipsius universalis [1] » objectum — et ab ipso Schopenhauer : « Les choses sont avant tout objet de l'intuition, non de la pensée... ; la pensée n'est en effet en relation immédiate qu'avec l'intuition, c'est l'intuition qui est en relation avec la réalité [2]. »

Minor pariter ex confesso adversariorum, v. g., Stuart Mill : « Dans l'acte de perception extérieure, la conscience donne comme un fait *double* l'existence du moi en tant que percevant et l'existence d'une chose différente du moi en tant que perçue [3]. »

Obj. 1a. — Universalia non existunt extra mentem nostram, res enim extra mentem sunt singulares : ergo nihil sunt nisi *sola nomina,* vel *soli conceptus* (nominalistæ, conceptualistæ).

Resp. *Dist. ant.* : universalia non existunt extra mentem nostram, *formaliter* et *reflexe, conc.* ; *fundamentaliter* et *directe, nego.*

Obj. 2a. — Conceptus universalis est synthesis formarum mentalium cum impressione sensibili (Kant et conceptualistæ, n. 30).

Resp. Est synthesis formarum objectivarum, *conc.,* mere subjectivarum, *nego.* Nempe intellectus successive apprehendit de Petro quod sit ens, substantia, corpus, vivens, sensitivus, rationalis, dein horum conceptuum synthesim facit, hæc autem synthesis dirigitur unicitate realitatis ex qua hausti sunt illi conceptus : ergo est objectiva.

Obj. 3a. — Definitio exprimit essentiam pluribus communem ; atqui definitio exprimit ipsum universale : ergo universale est essentia pluribus communis (realistæ absoluti).

1. *In II Post. Analyt.,* lect. 20. — 2. Cit. ap. **Mercier,** p. 335. — 3. Cit. ap. **Mercier,** *Ibid.,* p. 341.

Resp. *Dist. maj.* : definitio exprimit essentiam pluribus communem, propter *similitudinem* vel *analogiam*, *conc.* : propter *identitatem*, *nego*. — *Conc. min.* — *Dist. cons.* ; universale est essentia pluribus communis ; id est, in pluribus *similis* vel *analoga*, *conc.*, in pluribus una et *eadem* numero, *nego* : secus incideretur in pantheismum.

Obj. 4a. — Absolutum existit solum in Deo ; sed universale est absolutum ; ergo universale existit solum in Deo (ontologistæ).

Resp. *Dist. maj.* : absolutum existit solum in Deo, videlicet absolutum *reale* seu Ens absolutum ab omni limite, *conc.* ; absolutum autem ideale, *nego*. — *Dist. min.* : universale est absolutum *ideale*, *conc.* ; absolutum *reale*, *nego* (cf. Psych., n. 75).

§ III. — *De Certitudine Primorum judiciorum* [1].

68. Status quæstionis de vi PRIMORUM judiciorum.

Ex dictis de valore idearum, sive sint directæ, sive reflexæ, probatum manet illud axioma : *abstrahentium non est mendacium.* Unde error non est in apprehensione : an vero sit in judicio, nunc quæritur.

Hic non agitur de judiciis syntheticis, quorum attributum subjecto convenire per solam experientiam deprehenditur.

Sed **quæstio est** de judiciis *metaphysicis*, *analyticis* et *immediatis* ; — *metaphysicis*, quæ sc. ex *ideis* universalibus hauriuntur et pertinent ad essentias rerum ; — *analyticis*, in quibus cernit intellectus ex analysi idearum attributum ad essentiam subjecti pertinere ; — *immediatis* seu intellectui propriis ; criterium enim intelligentiæ est ipse intellectus quatenus immediate et sine discursu cognitionem primorum principiorum, ut duo et duo dant quatuor, assequitur : in cæteris enim judiciis errare potest (n. 72).

Jamvero sceptici et cujusvis generis anti-intellectualistæ asserunt intelligentiam ipsam esse errori obnoxiam, v. g., Heraclitus, Kant et Hegel, Bergson et Le Roy. Juxta Kant, principia quæ vocantur principia prima sunt categoriæ mentales a priori, non leges rerum objectivæ. Unde Le Roy : « Y a-t-il des vérités éternelles et nécessaires ? On en peut douter [2]. » Contra quos sit

THESIS

69. *Intelligentia non est per se errori obnoxia in primis judiciis sibi propriis.*

Dico : *per se*, i. e., in statu normali cerebri — et circa objectum proprium, i. e., circa judicia prima tantum.

1. **Farges**, *Op. cit.*, p. 137-165 ; — **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 111-114 ; — **Roland Gosselin**, *Op. cit.*, c. I, II, III, IV ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 108-226 ; — **De Tonquédec**, *Op. cit.*, 180-219, 279-297 ; — **Gény**, *Critica*, p. 284-294. — 2. *Rev. de mét. et de mor.*, 1907, p. 167 ; — cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 20, 471, 501, 570.

Prob. — Si intelligentia esset errori obnoxia, causa erroris esset vel a *veritate*, **propter defectum luminis** seu evidentiæ, vel ab *intellectu*, **propter defectum judicii**. Atqui neutrum est :

Non Ium seu ex parte veritatis. — Prima principia sunt ex se evidentissima, demonstratione non egent, imo demonstrari nequeunt, et hoc, non propter defectum, sed propter abundantiam luminis ; nempe clariora sunt omni demonstratione, « unde intellectus non potest subterfugere, quin illis assentiat [1] ».

Non IIum seu ex parte intellectus. — Nam intellectus non cognoscit prima principia ope medii termini ; sed immediate et sine discursu, per simplicissimam et facillimam analysim, id est, inspectione terminorum illico percipit attributum includi in subjecto : ita qui cognoscit quid sit totum et quid sit pars, immediate cognoscit totum esse majus qualibet parte [2].

Obj. — Hæc prima judicia sunt analytica : ergo **tautologiæ**.

Resp. Hæc... in sensu kantiano, juxta quem attributum est semper essentia vel pars essentiæ subjecti, *transeat* : in sensu communi, *nego* : multæ enim sunt rerum proprietates aut res necessario cum subjecto connexæ, in quibus fundantur totidem modi dicendi per se et judicia analytica (Log., n. 52). — Dixi *transeat*, quia etiam judicia analytica non sunt meræ tautologiæ, nec inutilia, quibus evolvitur geometria, arithmetica et etiam philosophia. — Cæterum judicia synthetica a *priori*, quæ ut sola utilia affert Kant vel sunt analytica, v. g. : $7 + 5 = 12$, vel non a priori, v. g. : manet materiæ quantitas semper eadem.

70. Hinc 1° — AXIOMATA in dubium revocari non possunt.

Constat, annumerantur enim inter primigenia intellectus judicia et communes animi conceptiones, quæ ideo a scholasticis vocantur *dignitates* et *maximæ* propositiones, sive quia non restringuntur ad ordinem specialem cognitionum, sive quia, cognitis terminis, statim elucescit eorum veritas. De quibus Bossuet : « En quelque temps que je mette un entendement humain, il les trouvera vérités et ne les fera pas telles [3]. » Talia sunt axiomata contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis, et alia multa per se nota (n. 71).

Est contra empiristas, v. g., Taine et contra fautores *associationismi* (Stuart Mill) et *pragmatismi* (W. James, Le Roy), juxta quos axiomata 1. — sunt facta omnium factorum simplicissima ; 2. — quæ confirmantur habitu et consuetudine. Unde duo et duo dant quatuor, quia consuevimus ab infantia tale principium ut verum habere : « Les axiomes sont des hypothèses commodes,

1. **S. Thomas**, *In II Sent.*, dist. xxv, q. 1, a. 2. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 17, a. 3. — 3. **Bossuet**, *Connaiss. de Dieu*, ch. IV.

à succès extraordinaire, ...des recettes pratiques sans valeur intellectuelle [1]. »

Hujus autem **theoriæ**, quæ placet, saltem quoad sensum, omni positivistæ, **tria sunt vitia** [2]. — Nam

1. *Falso nititur fundamento.* Notio quidem utriusque termini axiomatum ab experientia hauritur, at non item judicium de utriusque relatione, v. g., « scito per inductionem quid totum sit et quid pars, cognoscitur quod omne totum est majus sua parte [3] » considerando per intellectum. Ideo axiomata non a sensibus quorum objectum est *quod est*, sed ab intellectu cujus objectum est *quid debet esse*, concipiuntur : ideo sunt judicia necessaria, quæ a factis contingentibus omnino distinguuntur (n. 91).

2. *Diruit fundamentum omnis scientiæ*, quæ sine principiis necessariis et immutabilibus consistere nequit ; porro id non est necessarium quod soli tribuitur experientiæ, id non est immutabile quod procedit solum ex habitu et consuetudine.

3. *Ducit ad subjectivismum* et logice Stuart Mill : « rien n'est absurde en soi, mais ne l'est que par rapport à l'esprit et à ses habitudes [4] » ; — *oritur* autem *ab illo fucato psychologismo*, qui omnes quæstiones logicas, metaphysicas et morales convertit in problemata psychologica, quæ proinde nullam veritatem transcendentalem exhibent.

Obj. 1a. — Res sensibiles solæ existunt, solæ cognoscuntur et per experientiam : ergo axiomata non possunt esse nisi associationes experientiæ. — Resp. Solæ existunt : *nesciunt* adversarii, res enim incorporeas negare non est scientificum ; — solæ cognoscuntur, *dist.* per experientiam, *conc.*, per intellectum, *nego*, qui sc. multa ex rebus sensibilibus et abstrahit et ratiocinio cognoscit.

Inst. 1a. — Sed experientia est singularis : ergo non potest principia universalia præbere etiam intellectui. — Resp. Sola non potest, *conc.* : cum abstractione, *nego* : idea enim abstrahitur a re singulari, dein universalis fit ab intellectu, qui postremo fert judicium inter duas ideas universales.

Inst. 2a. — Hæ universales ideæ non sunt, sed collectivæ. — Resp. Quædam sunt collectivæ, *conc.*, non dantur ideæ generales, *nego*, quæ non multis tantum sed omnibus applicantur et quidem eodem sensu, v. g., idea hominis, trianguli, etiam myriagoni.

Instat Taine [5]. — Idea generalis est nomen tantum, pluribus impositum. — Resp. *Nego* prorsus, nomen enim est imago plus minusve concreta, idea autem est universalis et abstracta.

1. Cf. **Stuart Mill**, *Système de logique déductive et inductive*, t. I, p. 262 ; — **Le Roy**, *La quinzaine*, 15 avr. 1905. — 2. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 152-165 ; — **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 120. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 17, a. 3. — 4. *Loco cit.* — 5. *De l'intelligence*, I, p. 26.

Instat. Stuart Mill [1]. — Principia prima, v. g., etiam contradictionis, sunt generalisationes alicujus experientiæ : ergo.

Resp. Sunt generalisationes in eo sensu quod experientia affert materiam idearum, v. g., entis et non entis, etc. *conc.* ; in eo sensu quod ista est causa totalis aut etiam partialis principii, *nego*, quippe ab intellectu solo et concipiuntur ideæ, et instituitur comparatio inter eas et pronuntiatur principium quod, semel agnitum, stat et non roboratur exemplis quibus applicatur.

Instat Spencer [2]. — Hæc apparent necessaria, quia consuetudine firmantur. — Resp. Quædam principia facti sic apparent necessaria, v. g., cras sol orietur, *conc.*, omnia et principia veri nominis, v. g., duo et duo dant quatuor, *nego*, quia sunt absolute et in omni casu necessaria.

Obj. 2a. — Conceptus sunt universales et necessarii : ergo non habent originem experimentalem et objectivam, sed subjectivam (Kant). — Resp. *nego cons.*, non enim repugnat quod idea universalis et necessaria trahat originem ab experientia, imo ita est per abstractionem in statu præsenti [3]. — Notetur tamen discrimen inter propositiones ideales et notiones experimentales quoad necessitatem absolutam vel relativam quam habent : priorem seu absolutam habent tantum principia propter evidentiam objectivam cujus vi apparet attributum pertinere ad subjectum.

71. Hinc 2o — PRIMA NOVEM principia sunt legitima [4].

Hæc præcipua enumerata sunt in Logica (n. 132), quorum valor objectivus in Ontologia (n. 48, 166), transcendentalis in Theodicea ostenditur. Sufficiat in præsenti contra eosdem ac supra (n. 68, 70) et ad vim intellectus illustrandam, eadem *indirecte* demonstrare, ostendendo quod in dubium revocari non possunt absque evidenti contradictione. Jamvero constat

Ium seu **identitatis.** Si enim verum non est quod *ens est ens* et quod *non-ens est non-ens*, vera erit contradictoria : *ens non est ens*, seu aliis verbis, ens nihilo identicum est, quod est absurdum (Ont., n. 48).

IIum seu **contradictionis.** Si enim verum non est quod *ens non est non-ens*, vera erit contradictoria : *ens est non-ens*, seu ens nihilo identicum est : quod rursus absurdum est (Log., n. 134).

IIIum seu **tertii exclusi.** Si enim verum non est quod res quæcumque *aut est ens aut est non ens*, verum erit contradictorie dicere : datur medium inter ens et non-ens, quod est absolute impossibile.

Nota quod in his tribus fundantur omnia alia principia.

1. *Op. cit.*, t. II, ch. 7-8. — 2. *Principes de psych.*, II, § 427-430. — 3. **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 109-135. — 4. Cf. **De Tonquédec**, *Op. cit.*, c. IX : étude spéciale des propositions immédiates les plus importantes.

IV[um] seu **substantiæ**. Si verum non est quod *omne quod est est substantia et phænomenon seu accidens est solum quo aliquid apparet*, eligatur oportet inter duo : non datur substantia permanens sed omnia phænomena sunt vel non dantur phænomena sed omnia sunt substantia permanens. Ast in primo casu ens permanens idem est ac variabile, in secundo ens variabile idem est ac permanens : aliis verbis, ens non-enti identicum est (Ont., n. 98). Ergo datur subjectum, permanens sub phænomenis multis et transitoriis.

V[um] seu **accidentis**. Si verum non est quod *omne accidens supponit substantiam*, verum erit quod sit in subjecto et non sit in subjecto, quod est contradictorium (Ont., n. 112).

VI[um] seu **mutationis**. Si verum non est quod *omnis mutatio supponit subjectum mutabile*, verum erit quod fit mutatio i. e., acquisitio vel amissio alicujus perfectionis, quin tamen aliquis acquirat vel amittat aliquid : sed mutari seu non esse idem ac prius et non amittere aut acquirere aliquid sunt duo contradictoria et rursus ens identicum est nihilo.

VII[um] seu **rationis sufficientis**. Si verum non est quod *omne ens habet rationem sufficientem sui esse* sive in se sive in alio, verum erit quod est et, quia nullam habet rationem essendi, non est : quod est contradictorium (Ont., n. 166).

VIII[um] seu **causæ efficientis**. Si verum non est quod *ens habet rationem sui in alio, quotiescumque non est intelligibile per se*, sequeretur quod existeret et non existeret, quod esset a se et non a se, contingens et necessarium : quod rursus est contradictorium (Ont., n. 166).

IX[um] seu **finalitatis**. Si verum non est quod *omne agens agit propter finem aliquem* a Deo vel creatura intentum, daretur intentio finis sine intendente seu effectus semper idem sine causa : quod tandem est contradictorium (Ont., n. 177).

ARTICULUS IV

De Criterio rationis [1].

72. Status quæstionis de criterio RATIONIS.

Intelligentia et ratio non sunt duæ facultates, sed duæ functiones quibus eadem facultas, nempe intellectus, judiciis *immediatis vel mediatis*, veritatem cognoscit (Psych., n. 104).

1. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 166-192 ; — **Gény**, *Critica*, p. 294-304.

Porro non solum sceptici et omnes anti-intellectualistæ, sed traditionalistæ nonnulli, duce de Lamennais [1], et modernistæ plures falso contendunt rationem non esse veritatis criterium : contra quos sit

THESIS

Ratio humana non per se, sed per accidens, falli potest.

A. — **Per se non fallitur.** — Etenim eadem facultas, necessario quidem agens, non potest ex natura sua ferri simul in contraria, ut sunt verum et falsum ; sed per se fallax vel verax sit oportet. Atqui ratio humana est facultas necessario agens et ex natura sua ordinata ad veritatem, siquidem sæpissime, ut patet, nobis affert veritatem objectivam. Ergo non potest etiam per se seu ex natura sua esse fallax.

B. — **Per accidens**, videlicet propter defectum quemdam, ut sunt levitas, hebetudo, nimia rei difficultas, præjudicia, passiones et propter alias causas extrinsecas ratio humana decipi potest, et de facto, ut experientia constat, sæpe decipitur. Quod fit dupliciter : — 1° *Conjungit* ope medii termini, « ea quæ simul sociari non possunt [2] » ; ex. g., similis a simili oritur ; atqui homo similis est simio ; ergo homo a simio ortus est. — 2° *Separat* ea quæ conjungi debent ; v. g., angelus est spiritus ; atqui anima non est angelus ; ergo anima non est spiritus.

Hæc de vi rationis in genere, cujus actus est **syllogismus** [3], *deductivus* vel *inductivus*.

§ I. — *Valor syllogismi.*

73. Utrum SYLLOGISMUS sit criterium veritatis ?

Negant sceptici omnes, qui vim syllogismi rejiciunt (cf. Log., n. 106, 119) [4] ; contra quos sit

THESIS

Syllogismus est veritatis criterium.

Prob. — Hæc **forma perfectissima ratiocinii** deductivi est naturalis actus rationis ; ergo aut ratio per se fallitur, quod falsum est (n. 72), aut syllogismus est criterium veritatis.

Revera, ut certa sit cognitio ope syllogismi demonstrativi comparata, duo requiruntur : 1. certum esse *antecedens* ; — 2. certam esse *consequentiam*. Porro hæc duo non raro constant.

1. *Essai sur l'indif.*, t. II, c. 3 ; — **D. Barbedette**, *Op. cit.*, n. 536-539. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 17, a. 3. — 3. **S. Thomas**, *In III Sent.*, Dist. XXXV, q. 2, a. 2, sol. 1. — 4. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 36, 81, 102, etc.

I[um] quidem seu **antecedens**, nam præmissæ possunt esse per se notæ, vel innixæ præmissis per se notis et evidentibus : quarum ideo valorem negare non possumus, nisi cum empiristis et scepticis rejiciatur ipsamet evidentia veritatum universalium.

II[um] etiam seu **consequentia** nexus inter antecedens et consequens ; nam, posito antecedente, necessario poni debet consequens quod immediate et sine novo discursu, sicut pars in toto, cernitur includi in antecedente. Sic, ita discurrenti : « virtus est amabilis, sed justitia est virtus », statim et immediate (Log., n. 80) apparet ista conclusio : « justitia est amabilis ». Ergo certa est cognitio ope syllogismi comparata, et, saltem *logice*, necessaria.

Ratio est, juxta plures, quia terminus *minor* « justitia » continetur in extensione *medii* « virtus », et istud in extensione termini majoris « amabilis » ; juxta alios, quia terminus major « amabilis » pertinet ad comprehensionem medii « virtus » et ista ad comprehensionem termini minoris.

74. Utrum syllogismus sit fons NOVÆ veritatis ?

Negant Baco, Dugald Stewart, de Tracy, Stuart Mill, inductioni tantum indulgentes [1] et alii plures recentiores qui syllogismum dicunt esse *logomachiam*, vel ratiocinationem per *recursum* (Boutroux) vel deductionem *constructivam* (Goblot) vel merum *formalismum* (Rouzier) [2]. Sit igitur

THESIS

Syllogismo novæ veritates comparari possunt.

Prob. — 1° **Experientia.** — Etenim ope syllogismi scientiæ metaphysicæ, v. g., Ontologia, Theodicea confectæ fuerunt. — Insuper scientiæ mathematicæ, geometria, mathesis, mechanica, deductione quotidie evolvuntur. — Tandem ipsæ scientiæ naturales, vi syllogismi, obtinuerunt suam perfectionem, e principiis deducendo non paucas leges, necnon inter suas leges subordinationem et concatenationem (n. 189).

2° **Ratione.** — Scientia non est mera generalisatio *factorum*, sed ad pauca *principia* reduci potest, in quibus implicite tota continetur : porro syllogismi proprium est invenire quod in principiis continetur : ergo et invenire scientias.

Nec dicat Stuart Mill syllogismum esse **tautologiam**, quia conclusio in majore præmissa continetur [3]. — *Revera* in ea

1. **Barbedette,** *Ibid.*, n. 372. — 2. Cf. **Tricot,** *Traité de logique formelle.* — 3. Cf. **Fonsegrive,** *Log.*, leç. VIII, n. 7-10, ubi confutatur Stuart Mill ; — **Barbedette,** *Hist. de la phil.*, n. 480-484 ; — **Hugon,** *Op. cit., Log.*, p. 175 ; — **De Tonquédec,** *Op. cit.*, p. 404.

continetur, secus in ea non posset inveniri, sed non ideo cognoscitur ; alioquin, simili argumento, quicumque habet rationem, in qua sunt potentialiter omnes scientiæ, dici posset cognoscere omnes scientias. — *De facto*, cognoscitur conclusio tantum ope minoris, quæ novam manifestat *relationem* inter duos terminos et sine qua illa relatio ignota remaneret, ut in syllogismo : A = B, sed B = C, ergo A = C. — *Legitime* autem eruitur, quia subjectim majoris est universale distributivum et quoad comprehensionem primum sumitur.

Instat Stuart Mill, dicendo syllogismum esse **circulum vitiosum**, quia conclusio probatur majore quæ ipsa vera non est, nisi evidens sit conclusio. — At syllogismus non est mera illatio de particulari ad particulare, nec principia rationis sunt tantum experientiæ generalisationes imperfectæ, ut falso contendunt positivistæ (Log., n. 121).

Consonant cum Stuart Mill et pariter errant recentiores ; v. g., H. Poincaré, qui miratur ex principio identitatis A = A tot mathematica theoremata oriri potuisse [1] ; v. g. Goblot, qui definit syllogismum transitum de eodem ad idem [2].

§ II. — *Valor Inductionis* [3].

75. Status quæstionis de PRINCIPIO INDUCTIONIS.

A. — Ex dictis in Logica (n. 186) patet processum inductivum inter duos terminos contineri : prior est *notitia factorum*, sine qua determinatio causæ esset impossibilis et ideo lex mere hypothetica ; posterior autem est proprie *inventio legis generalis*, sine qua nulla esset scientia, sed indigesta factorum eruditio. Porro per hujusmodi *inductionem*, seu, ut aiunt, ratiocinium experimentale, inferimus de omnibus tum in loco, tum in tempore quod de quibusdam tantum verificatum fuit. In hoc autem processu latior conclusio quam præmissæ esse videtur : quod logice est illicitum. — **Quæritur** ergo quonam jure hanc conclusionem scientificam mens ponit et infert.

B. — Jamvero principium quod jus præbet ipsi menti universalisandi quod per experientiam universale non est, dicitur **principium inductionis** et a modernis « principium determinismi naturalis ». Cujus quidem formulam aliter et aliter enuntiant auctores ; nempe — S. Thomas : « *natura determinata est ad unum* [4] », seu etiam : « *natura uno et eodem modo*

1. *La science et l'hypothèse*, p. 9-10. — 2. *Traité de logique*, p. 256-264. — 3. **Gény,** *Critica*, p. 304-333 ; — **Maritain,** *Pet. logique*, p. 323 et seq. ; — **De Tonquédec,** p. 247-276 ; — *Bulletin thomiste*, 1930, p. 13. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 41, a. 2.

operatur, nisi impediatur [1] »; — recentes generatim: *eadem causa, iisdem circumstantiis habitis, eosdem effectus producit*; — ipse Stuart Mill: *naturæ cursus uniformis est* [2]; — tandem alii: *transacto futurum erit consimile.* Unde omnes: diebus præteritis ignis calefecit: cras igitur et diebus futuris, ignis calefaciet.

C. — Cur tandem id quod est constans et uniforme in aliquo subjecto prædicetur universale seu de omnibus? Respondendum, quia ipsi **essentiale** merito reputatur: quod autem deprehenditur pertinere ad essentiam, in omnibus est. Sic enim gradatim procedit ratio:

Primo, id quod est constans et uniforme in variis circumstantiis est essentiale, v. g., sanatio continua febris per usum talis herbæ, huic herbæ essentialis aut propria apparet: ita de multis aliis propter nexum essentialem sive coexistentiæ sive causalitatis efficientis aut finalis.

Secundo, id quod est huic herbæ essentiale, universale est seu in omnibus herbis ejusdem speciei inveniri debet: nam proprietates essentiales reperiuntur identicæ in omnibus subjectis, quæ possident eamdem essentiam.

Ratio igitur prædicandi aliquod attributum *universaliter de omnibus* est quia illis subjectis essentiale est, sicut ratio illud dicendi ipsis essentiale est quia in eis constans et uniforme est [3].

76. Utrum et qualis sit CERTITUDO principii inductionis?

A. **Utrum sit?** — Hoc principium negant Hume et positivistæ (Log., n. 210). Juxta eos, nulla lex physica principio inductionis certo colligi potest. Affirmant plerique philosophi, juxta quos sit

THESIS

Indubium est principium inductionis.

Prob. — Revera, omne agens agere debet secundum naturam suam: ergo agentia physica agunt modo constanter uniformi. — Constant antecedens et consequens:

Antecedens, nam « eo modo aliquid operatur quo est [4] », siquidem operationes, sicut effectus causæ, naturam principii a quo defluunt, non participare non possunt.

Consequens, nam natura cujusque rei non mutatur, sicut

1. **Sum. Theol.**, I, *Ibid.*, q. 19, a. 4. — 2. *Op. cit.* — 3. **Donat**, *Log.*, n. 297. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 75, a. 2; q. 19, a. 4; q. 41, a. 2.

nec essentia, pariter immutabilis (Ont., n. 21). Ideoque, in iisdem circumstantiis posita, eosdem effectus producere debet.

Utrumque hauritur verum non ex sola experientia seu inductione, quod esset circulus vitiosus, sed ex analysi metaphysica notionum et ideo principium universale est: si secus, vinceret positivismus aut psychologismus, qui non principia, sed eventus singulares tantum admittunt.

Confirmatur tamen *experientia*, quæ demonstrat constantiam et universalitatem legum naturæ et ideo scientificarum, necnon *ratione attributorum* Dei, cujus sapientia et bonitas provide disponunt omnia et ordinant regulis fixis et constantibus.

B. — **Qualis sit?** — 1. Non *est mere instinctiva*, ut voluit Reid. Puer quidem instinctu naturali fertur ad agendum, more animalium, juxta constantiam legum naturæ. Hujus vero constantiæ *rationem*, quum intellectus evolvitur, homo sanæ mentis non potest non percipere, cognitione primum vulgari, deinde explicita. Unde principium inductionis inductione experimentali detegitur, dein ratione universalisatur et explicatur, nam ex natura rerum defluit et applicatio quædam est principii causalitatis.

2. *Vera est*, etsi tantum *physica*, certitudo inductionis. Hæc sane hypothetice tantum necessaria est: Deus enim per miraculum legibus naturæ derogationem afferre potest. — Unde non inductioni, cum Leibniz, crimini vertendum est, quod non gignat certitudinem absolutam: cum enim leges naturales nec sint nec esse possint absolute necessariæ, sortiuntur certitudinem proportionatam materiæ circa quam versantur, et in suo genere utique perfectam (n. 260 et Cosmol., n. 116).

3. Practice *deficiens* est aliquando propter difficultatem discernendi proprietates essentiales ab accidentalibus. Quod est essentiale, profecto constans est et uniforme, non autem semper e converso, ideoque in casu enumerationis incompletæ, forsan constans et uniforme non poterit, nisi probabiliter, essentiale et ideo universale pronuntiari, quia forsan conditio sine qua non.

Quæ quum ita sint, legitima est operatio rationis, sive ascendat e particulari ad generale per *inductionem*, sive descendat de generali ad particulare per *deductionem*; de utraque methodo fusius in Logica dictum est (n. 185 et 188).

CAPUT SECUNDUM

DE CRITERIIS EXTRINSECIS

Sicut sensus sunt fontes veritatis *physicæ*, intellectus autem veritatis *metaphysicæ*, ita criteria extrinseca sunt fontes veritatis *moralis*, quæ fide creditur. Hæc autem nititur in aucto-

ritate seu magisterio : de quo triplex sit articulus ; — I^us^ De auctoritate *in genere* ; — 2us De auctoritate *humana* ; — 3us De auctoritate *divina*.

ARTICULUS I

De Auctoritate in genere [1].

77. Quid sit AUCTORITAS et quotuplex TESTIMONIUM ?

Auctoritas — non quidem jurisdictionis seu in *jubendo*, sed magisterii seu in *docendo* — est *id propter quod assentimur alteri aliquid nobis referenti*. — Dicitur : 1° *Id propter quod* assentimur, nempe *motivum* seu *objectum formale* assensus et hoc motivum est vis moralis, quæ determinat ab extrinseco, quin necessitet assensum. — 2° *Assentimur* : iste actus ab intellectu propter auctoritatem elicitus sub imperio voluntatis, dicitur *fides*. — 3° Assentimur *alteri*..., qui dicitur *testis*, sive homo, sive Deus sit. — 4° Assentimur alicui nobis *referenti* ; porro actus seu signum quo cognitionem nobis manifestat, vocatur *testimonium*. — 5° Assentimur alteri *aliquid* dicenti, et hoc est *objectum materiale* fidei sed et testimonii.

78. Testimonium *est signum sensibile, quo testis nobis aliquid manifestat*. — Unde tria considerari debent in testimonio : *signum* quo aliquid nobis manifestatur, *veritas*, quæ refertur, et *testis* qui illam refert. — Unde

1° *Ratione* **signi**, testimonium triplex est : *orale*, v. g., traditio oralis, quando illud signum est gestus, prolatio vocis, aliaque similia ; *scriptum*, quum consistit in narratione scripta; *monumentale*, si exprimitur opere quodam arte facto, qualia sunt templa, statuæ, numismata, columnæ, etc...

2° *Ratione* **objecti**, testimonium est *doctrinale* vel *historicum*, prout præstatur fides dogmati vel facto. Jamvero

a) *Dogma* potest esse rationi humanæ impervium vel non : si solius rationis viribus attingi nequit, dicitur *mysterium* : ecce veritas inevidens et obscura, quale est objectum fidei.

b) *Factum* est *publicum*, si multos testes habet, aut coram judice agitatur ; secus vero, *privatum* est. — In se vel circumstantiis, *gravis* aut *levis* momenti, *ordinarium* aut *extraordinarium* esse dicitur. — Relative ad testes, potest esse cognitu *facile* aut *difficile*. — *Præjudiciis* tandem et *cupiditatibus* favet, aut illis est oppositum vel alienum.

1. **Gény**, *Critica*, p. 333-339

3° Ratione **testantis**, testimonium est divinum vel humanum. Testes *multi* sunt, vel *pauciores*, aut *unus* adest. — Possunt esse aut non esse *fama*, *gravitate*, *scientia* insignes. — Inter se *consentiunt*, vel *non consentiunt*. — Vocantur *oculati*, vel *auriti*, prout ipsi factum viderunt, aut ab aliis audierunt. — Sunt *coævi*, si factum eorum ætate contigit ; si autem antea, sunt *posteriores*.

79. Quonam FUNDAMENTO vis testimonii nitatur [1] ?

Resp. — Ille fide dignus est, qui **nec decipit, nec decipitur** : unde in duobus vis testimonii præcipue nititur, sc. in *scientia* et *veracitate* testis, quæ sunt duo elementa suæ auctoritatis.

Jamvero utraque nota gaudere testimonium **divinum**, satis per se patet, cum Deus nec falli nec fallere possit.

Sed etiam, generatim loquendo, testimonium **humanum**, nisi aliunde constet testem esse deceptum vel deceptorem.

Prob. — Nam facultates hominis *rectæ* sunt ; eapropter, homo non solum veritatem cognoscere potest, sed etiam verax est naturaliter et non mentitur, nisi *per accidens*, ex. g., quum ipsæ cupiditates eum impellunt ad falsa dicenda.

Secus enim — 1° de rectitudine ipsius naturæ dubitandum esset ; quod repugnat sapientiæ, bonitati et sanctitati Conditoris. — 2° nec *societas*, quæ tamen est de jure naturali (Eth., n. 113) concipi posset ; nam commercium cum aliis supponit probitatem seu veracitatem hominibus insitam esse a natura.

De facto, adhæremus omnes homini sano qui, passionibus suis non indulgens, factum aliquod nobis testatur : fidesque ei præstatur vel necessario propter evidentiam illius auctoritatis, vel libere propter dignitatem testis, cui libenter fidimus.

Objiciunt *moderni* et *modernistæ* : immanentia est lex et norma cogitandi : ergo ab extranea auctoritate nihil homo accipere potest : « Rien ne peut entrer dans l'homme qui ne sorte de lui, etc..., ni comme fait historique, ni comme enseignement traditionnel..., il n'y a pour lui vérité qui compte sans être de quelque manière « autonome » et « autochtone [2] ».

Resp. Immanentia est norma cogitandi ; *dist. ant.* : in eo sensu quod veritas quælibet assimilari debet, *conc.*, quod nulla ab extrinseco accipitur, *subd.* : si est inintelligibilis, *conc.*, secus, *nego* ; nam e contra plurimæ veritates non tantum ab objectis extraneis,

1. Cf. **Farges**, *Ibid.*, 193 ; — **Egger**, *Propædeutica philosophico-theologica*, Brescia, 1888, p. 201 ; — *Etudes*, 1897, II, p. 684 ; — **Sanseverino**, *Log.*, vol. III, c. II, a. 7, 8. — 2. **Blondel**, *Lettres sur les exigences de la pensée contemporaine*, 1896.

sed ex auctoritate passim accipiuntur et bono assimilantur ; — imo, si sunt historicæ, hoc modo tantum accipi possunt et debent ; — denique, ut accipiantur tanquam alimenta mentis, exigit indigentia nostra [1].

Inst. — Quæ sub experientia sive propria, sive aliena cadunt, ea tantum ad scientiam pertinent. Ergo testi datur fides, non quia quæcumque affirmat, sed quia se *vidisse* affirmat, et quidem verisimilia et experientiis obvia. Ita Kant et kantistæ inter quos Brochard [2].

Resp. Etiamsi admitteretur antecedens, negandum est consequens : non enim proprie datur fides ob personalem rei testificatæ experientiam, sed propter testis evidentem auctoritatem aut acceptam dignitatem. Unde, sive historica, sive mysteria narret, modo ipse sciat per visionem vel aliter et verax sit, ei credere necessarium aut legitimum est.

80. Quid sentiendum sit de UTILITATE testimonii [3] ?

Testimonium omnino necessarium esse *societati* non tantum pro factis historicis, sed etiam pro rudimentis omnium scientiarum conservandis et acquirendis, satis patet. — Præterea validam opem affert rationi *individuæ* quam in multis casibus ad veritatem perducit via breviori, communiori et tutiori.

1° Est via **brevior.** Qui enim testimonio sive humano, sive divino nititur, cito pervenit ad veritatis cognitionem ; qui autem ratiocinio tantum utitur, « nonnisi post multum tempus vitæ suæ ». Ex. g., « scientia ad quam pertinet probare Deum esse et alia hujusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda proponitur, *præsuppositis multis aliis scientiis* [4]. »

2° Est via **communior.** Nam, ut experientia constat, multi veritatem non agnoscunt nisi ope testimonii humani aut divini ; et hoc propter tria, scilicet, « vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi [5] ».

3° Est via **tutior.** Ratio enim individua etiam de rebus humanis in multis erravit, et philosophi sibi ipsis contraria senserunt ; sed indubitata et certa cognitio accipitur ope testimonii præsertim divini : nam Deus mentiri non potest. Unde concludit S. Augustinus : « divina Providentia et ineffabili beneficentia geritur animæ medicina, quum auctoritas fidem flagitat et rationi præparat hominem [6] ».

Quæ quum ita sint, mirari licet J.-J. Rousseau, qui juvenem sibi soli derelictum omnino vellet, et, ante ætatem adultam, nullo magisterio saltem de re morali instruendum.

1. Cf. **Farges**, *Ibid.*, 221-225 ; — *L'ami du clergé*, 2 janv. 1908. — 2. Cf. *Etudes, L'expérience et la foi*, 20 mai 1907. — 3. **Bossuet**, *Discours sur l'histoire universelle* ; — **Fénelon**, *Lettre à l'Académie* ; — **Baco**, *De augm. scient.*, lib. II, c. v ; — **Rollin**, *Traité des études*, III, 1 ; — **Leibniz**, *Nouveaux essais*, L. IV, c. xvi. — 4. **Sum. theol.**, II-II, q. 2, a. 4. — 5. *Ibid.* — 6. *De vera religione*, c. xxiv ; **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 186.

ARTICULUS II

De Auctoritate Humana.

Magisterium humanum vel est omnium hominum et dicitur *Consensio generis humani*, — vel est quorumdam narratio historica et simpliciter vocatur *Testimonium hominum.* Unde, ordine tamen inverso, duo sint paragraphi.

§ I. — *De Testimonio hominum* [1].

Utrum TESTIMONIUM HOMINUM sit criterium certitudinis ?

Quum hujusmodi testimonium historicum sit *orale, scriptum*, aut *monumentale* (n. 78), tres sint theses :

THESIS I

Testimonium orale, *conditionibus habitis, est certitudinis criterium, sive de factis coævis, sive de factis præteritis.*

81. I. — De factis COÆVIS. — Classica est, ut aiunt, argumentatio : ut testimonium *orale* sit certitudinis criterium de factis coævis, duo requiruntur et sufficiunt : 1° testes *non sint decepti* ; 2° *non sint deceptores.* Sed hæc duo sæpissime constant :

1° Testes sæpe **non sunt decepti.** — Sæpe enim factum *gravis* est *momenti, cognitu facile*, et *coram multis patratum* ; ut mors S. Pontificis, incendium Lutetiæ Parisiorum, et alia similia. Sed de facto hujusmodi impossibile est ut testes sint decepti ; nam, ex una parte, homines ita sunt a natura constituti, ut attente perpendant ea quæ sunt gravissimi momenti ; et, ex altera parte, fieri nequit ut multi testes decipiantur de facto sensibus obvio et cognitu facili ; hallucinatio enim eadem nequit esse generalis.

2° Testes sæpe **non sunt deceptores.** — Sæpe enim nolunt decipere, nec aliunde possunt, etiamsi vellent.

a) *Nolunt.* — Si enim agitur de facto cupiditatibus et commodis opposito, præcipue si fraus futura sit inutilis, imo noxia, naturæ et rectæ rationi repugnat homines, fortuito casu vel inito pacto, mendacium sine causa velle proferre : quippe homines utilitati propriæ consulunt, et quidquid suis commodis noxium esse judicant, maxima diligentia fugiunt. Ex. g., homicidæ, qui crimen suum libere fatentur, etiamsi prævideant se esse morte puniendos, sunt fide digni.

1. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 195-206.

b) *Nec possunt, etiamsi vellent.* — Sæpe enim fraus est impossibilis, propter tria : — quia testes inter se divisi, non possunt consentire ut alios decipiant ; — quia, si consensio adesset, mox unus aut alter eam patefaceret ; — quia tandem cæteri fraudem certo detegerent : sic frustra nostris diebus, falso nuntiaretur Papam e vivis esse sublatum.

Ergo testimonium orale potest esse certitudinis criterium de factis coævis.

82. II. — **De factis PRÆTERITIS etiam seu de traditione orali** [1].

Ut factum præteritum certo cognosci possit ope testimonii oralis, unum sufficit : videlicet in **traditione seu serie testium,** a quibus factum refertur, *nulla sit ætas,* qua testes fuerint decepti vel deceptores. Sed illud constare potest :

Prob. — *Traditio oralis* est *series non interrupta* testium, qui factum olim patratum viva voce referunt, et quorum primi vixerunt tempore quo factum contigit, ultimi vero ætate nostra vivunt. Sed fieri potest ut in hac serie nullum sit tempus, quo testes fuerint decepti aut deceptores : revera

1° **Ætate quo factum evenit,** testes sæpe non fuerunt decepti, neque deceptores. Pro ista enim prima serie, valet quidquid dictum est de testimonio orali pro factis coævis (n. 81).

2° **Ætate sequenti,** testes sæpe non fuerunt decepti, neque deceptores, saltem quoad factorum *substantiam.* Probatur sic :

a) *Directe ex modo quo generationes sibi succedunt.* Una quippe generatio non subito interit, sed sensim locum cedit alii generationi ; ita ut maxima pars primæ generationis cum secunda et maxima pars secundæ cum tertia simul existat ; sicque de cæteris. Sed, in ea successione ob compenetrationem generationum, sæpe fieri nequit ut homines decipiantur circa factum maximi momenti, quod ubique divulgatum est, et ab omnibus cognoscitur, ex. g., Petrus Romam venit in eaque mortem subiit ; testes enim qui supersunt e generatione proxime elapsa, fraudem nec ignorare, nec tolerare possent.

b) *Indirecte* e falsitate *principii* criticorum, vi *cujus ex historia eliminandum esset quidquid in coævis documentis non fuisset scriptum* : sic enim sæpe negarunt facta quorum veritas postea documentis recentius inventis invicte comprobata fuit. — Revera manifestum est absentiam aut silentium documentorum esse

1. Legendus omnino **P. de Smedt,** *Les principes de la critique historique,* 1883 ; — cf. **La Luzerne,** *Œuvres complètes,* 1853 : *Dissertation sur la vérité de la religion* ; 2° Diss., p. I, c. 2 : *de la certitude morale.*

argumentum *mere negativum,* ex quo ordinarie nihil erui potest contra traditionem. Unde merito responderunt cicadæ criticis : « Nous sommes sûres que depuis l'ère de la première cigale, notre chant n'a pas changé. Ne daterait-il que de l'heure où quelque scribe, réveillé par lui, le nota ? ... [1] ».

Ex quo infertur traditionem uniformem et non interruptam esse medium, quo facta gravissimi momenti, *saltem quoad eorum substantiam et præcipuas circumstantias,* certo cognoscimus [2].

THESIS II

83. Testimonium scriptum, *dotibus requisitis vestitum, est legitimum certitudinis criterium* [3].

Prænota. — 1° Liber ille dicitur *authenticus,* qui scriptus est ab auctore cui vulgo tribuitur, aut saltem assignato tempore prodiit ad lucem. Ille qui pervenit ad nos absque *gravi mutatione,* vocatur *integer* quoad *substantiam* ; qui vero *nullam mutationem* passus est, dicitur integer *absolute. Verax* autem esse dicitur, qui vera narrat et describit. — Liber qui caret authenticitate, *spurius* est vel *suppositus* ; ille qui caret integritate, vocatur *mutilus* ; qui veracitate caret, dicitur *falsus.*

2° Tres illæ dotes duplici modo constare possunt, sc. signis *extrinsecis* et *intrinsecis* ; signa extrinseca sunt *traditiones* sive *orales,* sive *scriptæ,* et adversariorum *consensio* ; signa vero intrinseca sunt auctoris *doctrina, stylus* et *mores.*

Prob. — His positis, sic argumentamur : liber *authenticus, integer* et *verax* est criterium certitudinis de factis in eo narratis ; atqui sæpe constat librum esse *authenticum, integrum* et *veracem,* et quidem utrisque signis intrinsecis et extrinsecis.

84. I° — **Imprimis** constare potest librum esse **authenticum.**

A. — **Signis extrinsecis.** Si traditio oralis constans et universalis librum cuidam auctori tribuit, liber ille tenendus est ut authenticus, præsertim si complectitur ea quæ spectant ad religionem alicujus populi. — Idem a fortiori dicendum est, si series scriptorum, singulis regionibus ac ætatibus, quemdam librum habuerit veluti talis talisve auctoris vel temporis ; error enim aut fraus supponi non potest in ea scriptorum serie.

1. **E. Lamy,** *Réponse à Mgr Duchesne* (discours de réception à l'Académie), 26 janv. 1911. — 2. Cf. **Lagrange,** *La méthode historique.* — 3. **Hopfl,** art. *Authenticité et Critique biblique,* in *Suppl. au Dict. de la Bible.*

Hoc præsertim est verum ac evidens, si critici scientia insignes et etiam adversarii librum aliquem habent ut authenticum. Sic *Pentateuchus* Moysi, 4um *Evangelium* S. Joanni Apostolo et liber *De officiis* Ciceroni hodiedum tribuuntur : quæ profecto inauthentica dici non possent, nisi signa intrinseca testimonio traditionali *evidentissime* contradicerent.

B. — **Signis intrinsecis.** *Stylus* in quo scriptus est liber, *doctrina* et *opiniones* quæ in eo referuntur, — imo, si agatur de manuscriptis, forma scripturæ aut materia papyri [1], — sunt signa authenticitatis, si conveniunt cum stylo, doctrina, opinionibus, præjudiciis, moribus et indole ætatis vel auctoris, cui liber assignatur : secus autem, probabilitatem inauthenticitatis aut etiam certitudinem in mentem ingerere valent.

Fatendum est tamen hac via nonnisi maximam probabilitatem sæpius obtineri : unde fautores Novæ Criticæ, qui rejiciunt aut parvi habent signa extrinseca, v. g., Strauss et Renan, Welhausen, Harnack et Loisy, non raro inter se sed et sibimetipsis contradicunt, ita ut scepticismum historicum in multis logice profiteri debeant. Adversus illos facile probatur signa intrinseca, profecto secundaria, plerumque non infirmare testimonium historicum, præsertim quum agitur de factis gravissimi momenti, ad vitam et religionem populorum directe spectantibus.

85. IIo — **Item** constare potest librum esse **integrum**, sive de facto signis *intrinsecis*, ut sunt unitas aut heterogeneitas operis, sive a priori etiam signis *extrinsecis* [2]. Nam

A. — Quoad **signa intrinseca**, alteratio, viventibus aut mortuis auctoribus, demonstratur inexistens ob *concordantiam* editionum, et *diffusionem* variorum exemplarium, quæ conferri possunt sive inter se, sive cum suis textibus primigeniis.

B. — Item quoad **signa extrinseca**, nam circa facta maximi momenti, substantiam alicujus libri componentia, alteratio vel interpolatio essentialis sæpissime fit impossibilis, v. g., quando huic obsistunt *usus* librorum quotidianus et *gravitas* factorum quæ testimonio orali, monumentali et scripto simul memorantur, præsertim si liber ille accipitur et maxima cura servatur ab hominibus qui inter se non consentiunt. Hujusmodi est liber *Genesis* qui apud Judæos et Christianos æque suscipitur.

86. IIIo — **Denique** constare potest librum esse **veracem.**

A. — Nam sæpissime factum relatum tale est, ut **narrator**

1. **De Smedt,** *Op. cit.*, p. 86. — 2. **De Smedt,** *Ibid.*, p. 89, 93, 197, 233 ; — **Lacordaire,** 42e *conf.*

nec *decipi* potuerit et coætaneos decipere nec *voluerit* nec *potuerit.*

a) *Non potuit decipi*, si retulit facta quorum fuerat testis oculatus vel quæ a testibus fide dignis acceperit. — Cavendum tamen ne etiam bona fide decipiat, quia ipse in factis judicandis propriis affectibus et levitate deceptus fuerit [1].

b) *Noluit decipere*, si constat eum fuisse moribus insignem, præsertimque si falsa scribere fuisset illi inutile aut nocivum.

c) Narrator decipere *non potuit*, si agitur de factis publicis et maximi momenti ; absurdum est enim supponere quemdam auctorem, *nemine coætaneorum contradicente*, falsa scripsisse de factis ad religionem, scientiam, aut politicam spectantibus.

B. — Cæterum præ se fert **historica narratio** notas veritatis *intrinsecas* ex parte tum rei narratæ, tum ipsius narrationis.

Ex parte *rei narratæ*, requiritur ut sit in se possibilis, imo verisimilis ; nec fabulosa, quales sunt poetarum fictiones ; nec contraria factis aliunde cognitis ; nec moribus, præjudiciis et cupiditatibus consona, sicut victoriæ apud Tacitum relatæ, quæ moribus Romanorum prænimis favere videntur. Hæc vero signa sunt negativa, quæ quidem requiruntur, at minime sufficiunt, et quorum absentia testimonii falsitatem probat, dum sola præsentia ejusdem veracitatem stabilire nequit.

Ex parte *narrationis*, respuunt critici nimiam acerbitatem, elegantiam et oblectationem, in citandis auctoribus infidelitatem, silentium consulto servatum in adversantibus [2], et aliquando pseudonymum et homonymum. E contra, narratio simplex, stylus naturalis, aliaque similia præ se ferunt signa veritatis et bonæ fidei. Quibus signis, v. g., sinceritas Evangelistarum, fatentibus hodie ipsis hypercriticis, dubia non est.

Ergo sæpe constat librum esse *veracem* ; præterea constare potest librum esse *integrum* et *authenticum* : unde tandem testimonium scriptum est criterium certitudinis.

THESIS III

87. Testimonium monumentale, *necessariis conditionibus habitis, est legitimum certitudinis criterium.*

Prob. — **Monumentum**, hominis arte confectum, qualia sunt ædificia, statuæ, templa, pyramides, inscriptiones, palatia, columnæ, arcus triumphalis, sæpe est fons certitudinis de factis *coævis* aut *præteritis*. Ergo est criterium legitimum.

1o De factis **coævis.** — Si monumentum erectum est ipso

1. **De Smedt,** *Op. cit.*, p. 119. — 2. **De Smedt,** *Ibid.*, p. 48-52, 119-120, 137-159.

tempore quo factum evenit, criterium est certitudinis ; quia nullus est homo, tanta pollens audacia vel insania, qui audeat adstruere monumentum in memoriam hominis penitus ignoti, vel facti cujus falsitas nota sit omnibus. Aut si aliquis monumentum hujusmodi erigeret, esset omnium fabula et ludibrium.

2° De factis **præteritis.** — Si monumentum erectum est post tempus quo factum evenit, potest etiam haberi ut fons certitudinis, modo sint conditiones requisitæ : sc. monumentum sit in memoriam facti gravis momenti et natura sua publici et, nemine coætaneorum reclamante, fuerit erectum.

Confirmatur, nam de facto monumenta *progressui scientiarum* et *veritati historicæ* opem maximam attulerunt. — Quippe, sæpius eruditi, ope cujusdam monumenti, ut sunt præsertim inscriptiones, facta penitus ignota, vel saltem minus nota, plene ac perfecte dignoscunt [1]. « C'est aux inscriptions que nous devons presque tout ce que nous savons sur l'organisation administrative de l'empire romain [2]. » Recentius autem, quantum J. B. de Rossi suis inventis in *catacumbis romanis* prima sæcula christianismi illustraverit, nemo nescit [3].

Ergo testimonium *monumentale*, sicut *scriptum* et *orale* est sæpe legitimum certitudinis criterium : ergo et *historicum*. Ergo et auctoritas humana, — cujus tamen certitudo est *moralis* quia moribus hominum innixa.

88. Difficultates contra vim testimonii.

Hanc vim negant Locke, Bayle, Critici generatim, Strauss, Renan.

Obj. 1ª. — *Testimonium orale* non potest esse fons certitudinis. Nam unus testis falli potest, etiam de facto coævo ; sed ita dici potest de singulis et omnibus *collective* sumptis : ergo constare nequit testes non esse *deceptos* aut *deceptores*, etiam de *factis coævis*.

Resp. *Transeat maj.* ; *neg. min.* ; *nego cons.* — Dico : *transeat major* ; nam nonnunquam unius testimonium sufficit ut certitudinem habere possimus, nempe, quum agitur de facto cognitu facili, sensibus obvio et maximi momenti ; præsertim quum mendacium esset testi prorsus inutile, imo nocivum. — Dico : *nego minorem* ; si enim unus testis *per accidens falli* possit absurdum est dicere omnes testes non solum decipi circa factum hujusmodi, sed etiam alios in errorem adducere. Quod enim fit *per accidens*, non potest esse *omnibus commune* [4]. — Nec tamen requiritur numerus testium mathematicus, sed moraliter sufficiens.

Obj. 2ª. — *Traditionis oralis* certitudo semper minuitur lapsu

1. Cf. **Vigouroux**, *La Bible et les découvertes modernes*, 1879-1882 ; — *Etudes*, 1897, p. 689. — 2. **D. Fortoul**, *Circulaire*, 16 av. 1856. — 3. **J. B. de Rossi**, *Roma sotterranea cristiana*, 1864-1877 ; — **P. Allard**, *Rome souterraine*, 1872. — 4. **Contra gent.**, II, c. 34.

temporis ; sed ita minui potest ut evadat nulla ; ergo non est fons certitudinis de *factis præteritis*.

Resp. *Nego ant.* et *cons.* — Non solum traditionis oralis certitudo non semper minuitur lapsu temporis, verum etiam quandoque augeri potest ac roborari ; nam factum ubique divulgatum est, sæpius revocatum est ad examen et vehementius impugnatum, jamque, fulcitum omni genere probationum, clarescit. Id præcipue verum est, si agitur de factis quibus religionis divinitas rite probatur, ut sunt Christi et Apostolorum miracula.

Inst. — Facta jam diu præterita minus vivide mentem afficiunt quam facta recentia. Atqui, ubi mens minus vivide afficitur, ibi minor est certitudo. Ergo nulla est de factis antiquissimis.

Resp. *Dist. maj.* : facta jam diu præterita minus vivide mentem afficiunt, id est, minus *commovent sensibilitatem* quam facta recentia, *conc.* : id est, minorem in mente *producunt convictionem*, *nego*. Sic, v. g., licet Henrici IV cædes horrenda multo minus nos commoveat quam ipsos hujus optimi regis coætaneos, non minus tamen de illius veritate certi sumus quam ipsi coætanei : quia eadem percipitur errandi impossibilitas.

Obj. 3ª. — *Testimonium scriptum* aut *monumentale* fons certitudinis esse non potest. Nam monumenti aut libri auctoritas signis seu criteriis intrinsecis innotescit ; sed pauci sunt homines qui signa hujusmodi dignoscere possint ; unde, vel nulla est utriusque auctoritas, vel paucis tantum utilis.

Resp. *Dist. min.* : libri auctoritas signis intrinsecis aut extrinsecis innotescit ; *conc.*, præcipue et solum signis intrinsecis, *nego*, ut jam dictum est, et dicendum etiam de monumentorum signis.

Nota. — Hæc summatim, ob indolem Criticæ ; cætera videsis in Logica (n. 206) ubi de Arte critica et apud laudatos auctores.

§ II. — *De Consensu generis humani* [1].

89. Quid sit criterium consensus generis humani ?

Est *commune judicium, quod ferunt homines de veritatibus elementariis, præsertim ad vitam regendam necessariis.*

1° Est judicium *commune*. Ea tamen consensio debet esse *constans* et *universalis*, non *physice*, sed *moraliter*, id est maxima pars hominum, quibusdam solum exceptis, requiritur.

2° Estque de *veritatibus elementariis*. Id est, *objectum* hujus consensionis non est veritas mere speculativa aut sensibus impervia, qualis est terræ solisque natura aut relativus motus ; sed versari debet circa veritates necessarias homini ad vitam, saltem inchoandam, in triplici societate, sc. domestica, civili et religiosa. Hæ facile cognosci possunt ; v. g., effectus subaudit causam ; homo est liber ; Deus existit ; bonum est faciendum ; parentes sunt colendi, etc.

1. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 214-220 ; — cf. **Pinard de la Boullaye**, *Op. cit.*, I, p. 20-22 ; II, p. 378-379.

His positis, contra Baconem qui in nullis et contra de Lamennais [1], qui in omnibus vim consensus admittit, sit media

THESIS

90. Consensus generis humani *de veritatibus elementariis est legitimum certitudinis criterium.*

Prob. — ex natura necnon ex *origine* hujusmodi consensus.

1° Consensus, de quo agitur, habet pro objecto veritates elementarias ; sed omnes homines errare non possunt de rebus elementariis : ergo. — Constat *minor* : si enim maxima pars hominum erraret de veritatibus hujusmodi, auctor *naturæ nobis deficeret in necessariis*, et vinceret scepticismus (n. 40). — Unde S. Thomas : « falsa opinio infirmitas quædam est intellectus : defectus autem per accidens sunt, quia præter naturæ intentionem ; quod autem est per accidens, non potest esse *semper* et de *omnibus* [2]. »

2° Triplex est sententia de **origine** consensus generis humani : *traditionalistæ* dicunt ejus originem repetendam esse a *revelatione primæva* ; nonnulli, post Reid, a cæco *naturæ instinctu* ; alii vero, præsertim Thomistæ, verius docent consensum populorum oriri, in rebus cognitu facilioribus, a *recto usu* facultatum cognoscitivarum : quæ quidem, per accidens, possunt deficere in Petro et Paulo, v. g., propter hallucinationem, dementiam, aut statum anormalem, non autem in collectione omnium hominum. Sed in qualibet e tribus illis sententiis, vincit thesis nostra : quippe revelatio primæva a Deo facta, propensio naturalis hominibus indita ab ipso Creatore, aut rectus usus facultatum cognoscitivarum non possunt genus humanum in errorem invincibilem inducere circa veritates primarias. Unde, positis ponendis, « in omni re, consensio omnium gentium lex naturæ putanda est [3] ».

91. Corol. — de SENSU COMMUNI hominum et sapientium [4].

A. — Hinc, **in primo gradu**, sensus *hominum* communis est speculationis philosophicæ jubar et munimentum. — Ita contra anti-intellectualistas coævos [5], quorum *alii*, v. g., Bergson, vim sensus communis theoretice proclamant, sed revera in praxi multoties elidunt ; *alii* vero, v. g., Le Roy, ejus valorem intellectualem absolute negant, quasi data sensus communis rationem præcepti aut regulæ practicæ ad

1. *Essai sur l'indifférence*, c. 13. — 2. **Cont. gent.**, II, c. 34. — 3. **Tullius**, *Tuscul.*, I, 13. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 218. — 5. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 16, 210 ; — **Parodi**, *Op. cit.*, Le Roy, p. 242-245, 307-311.

agendum commodissimæ tantum haberent. — Quod absonum est : tunc enim axiomata, v. g., $2 + 2 = 4$, nullam veritatem intellectualem dicerent, sed id tantum practice : « age *quasi* $2 + 2 = 4$ » [1]. Sed contra : hujusmodi explicatio mutilatio quædam est sensus communis, juxta quem axiomata non ab utilitate sed a veritate vim habent (n. 70).

B. — Hinc **in secundo gradu**, non spernenda *sapientium* auctoritas et sententia communis in rebus dogmaticis, nam

1° Quum agitur de *præcipuis scientiæ et philosophiæ dogmatibus*, *communis sententia* doctorum habenda est ut *norma veri*, nam propter rationes allatas de consensu generis humani, fieri posse non videtur ut maxima pars sapientium semper et ubique decipiantur circa palmares veritates quæ tam facile ab ipsis quam vulgares ab omnibus cognosci et demonstrari possunt.

2° In *quæstionibus secundariis*, *sententia communis ordinarie* tenenda est ut *probabilior* ; nam probabile est quod tale videtur « omnibus, aut plurimis, aut sapientibus [2] ». — Dixi : *ordinarie* ; tunc enim auctoritas humana est infirmissima [3], sapientes de rebus arduis ipsi decipi possunt : quorum tantum valet auctoritas, quantum valent rationes.

3° *In omnibus* « necesse est accipere opiniones antiquorum, quicumque sint... Et hoc quidem ad duo erit *utile*. Primo, quia illud quod bene dictum est ab eis, accipiemus in adjutorium nostrum. Secundo, quia illud quod male enuntiatum est, cavebimus [4] ».

Quapropter **Ecclesia, etiam in scientiis philosophicis**, præstantissimam præ se fert auctoritatis notam : in ea quidem sapientes, nempe Sancti Patres, Summi Pontifices, Theologi, Philosophi, numero, virtutibus, scientia cæterisque dotibus, haud ægre sapientes aliarum societatum antecellunt [5].

92. OBJECTIO contra consensum populorum [6].

Hominum pars maxima fallitur circa veritates non paucas v. g., circa naturam Dei : ergo ipsorum consensus non est criterium veritatis. « Le consentement universel ne prouve rien. » (Bacon).

Resp. *Dist. ant.* : homines falluntur circa veritates, quæ non possunt esse objectum consensus populorum, *conc.* ; talis est, ex. g., motus relativus solis et terræ : motus enim non est objectum *proprium* visus. Sed *nego*, teste etiam præhistoria [7], partem maximam hominum errare circa objecta propria facultatum, præsertim circa veritates morales, saltem primarias. — Similiter, quoad exemplum allatum, errare possunt circa naturam Dei, *conc.*, circa Ejus existentiam, *nego* : hæc enim, non illa *facile* dignoscitur.

Inst. — Consensus populorum *cognosci* nequit. Ergo.

1. Et hoc ultro fatetur de ipsis dogmatibus Le Roy, in articulo : « Qu'est-ce qu'un dogme ? » ; cf. *La quinzaine*, 15 av. 1905. — 2. **Aristoteles**, *I Topic.*, c. VIII. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 1, a. 8, ad 2. — 4. **S. Thomas**, *De anima*, I, 4. — 5. **Cf. Leo XIII**, Encycl. *Æterni Patris*, 1879. — 6. **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 220. — 7. **Pinard de la Boullaye**, *Etude comparée des religions*, t. II, 414-439 ; — **Le Correspondant**, 11 déc. 1929, p. 731 et suiv

Resp. *Nego ant.* Nam colloquio cum aliis hominibus, historia, scientiisque etiam præhistoricis, hujus consensus existentiam apprime cognoscere possumus, præsertim nostris diebus ob progressum scientiarum historicarum et orientalium.

ARTICULUS III

De Auctoritate divina.

Revelationis ope, nobis innotescit magisterium divinum, cui contradicit *Rationalismi* lues : attamen inter rationem et fidem debet esse *concordia* eaque ducit ad *philosophiam christianam* ; unde quadruplex paragraphus.

§ I. — *De Criterio Revelationis* [1].

93. QUID sit revelatio, an DEMONSTRABILIS et DEMONSTRATA ?

A. — **Revelatio**, de qua theologi copiose disserunt, est *manifestatio alicujus veritatis a Deo facta hominibus præter ordinem naturæ consuetum.* — In hac definitione quatuor reperiuntur : — 1° Auctor *revelationis*, nempe *Deus*, aut per se immediate, aut mediate tantum loquens hominibus ; — 2° *Subjectum revelationis*, scilicet *homines* seu genus humanum; — 3° *Objectum revelationis*, id est veritas aliqua, sive cognosci possit lumine rationis, ut Providentia, sive captum rationis superet, ut mysterium Sanctissimæ Trinitatis ; — 4° *Modus revelationis*, homo quidem revelationis auxilio cognoscit veritatem secundum modum qui non est naturæ consuetum, et eam accipit propter *auctoritatem Dei revelantis.*

B. — Ratio **possibilitatem revelationis** demonstrare potest.

1° *Revelatio* enim est possibilis ex parte *Dei* seu *auctoris* ; imo maxime convenit, ut Creator omnipotens et optimus hominem doceat veritates, quæ captum rationis superant, aut nonnisi arduo labore addisci possunt.

2° Revelatio est possibilis ex parte *hominis* seu *subjecti*, nam hominibus naturaliter doceri convenit et omnes immediate vel mediantibus quibusdam aliis, doceri possunt a Deo.

3° Revelatio est possibilis ex parte *objecti* ; vel enim veritas revelata superat captum rationis humanæ, vel non : si prius, existentiam hujus veritatis homines addiscere possunt ; si posterius, non est difficultas, eo quod homo accipere potest, ope magisterii, veritates quæ captum rationis non superant.

4° Revelatio est possibilis ex parte *modi* : Deus enim,

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 226-235.

quum sit omnipotens, hominem alloqui potest et edocere sive signis externis, sive illuminatione interna.

C. — Ratio demonstrat **existentiam** seu factum **revelationis** ; quæ, sicut et cætera facta historica, per testimonium orale, scriptum et monumentale nobis innotescere potest, et de facto innotescit, ut probatur in tractatu *De Vera Religione*, qui Apologeticæ christianæ pars est et saltem per se scientia rationalis.

94. Hinc revelatio est CRITERIUM certitudinis et MAXIMUM.

A. — Legitime deducitur ex jam dictis revelationem, semel inventam, **esse motivum** certitudinis infallibile.

Prob. — Illud certitudinis motivum est infallibile, quod nititur auctoritate quæ nec falli nec fallere potest ; sed talis est revelatio quæ nititur auctoritate divina : « Deus enim negare seipsum non potest nec verum vero contradicere [1] » : ergo. — Quinimo, nulla certitudo major esse potest certitudine revelationis quæ, quum in veracitate divina proindeque in attributo infinito *proxime* fundatur, major est quam certitudo metaphysica et adhæsionem positive majorem producere valet (n. 18).

B. — Hoc igitur cognoscendi medio nullum est *validius.* — Nec ullum *utilius*, quum fides rationem ab erroribus liberet, sed et multiplici cognitione instruat [2]. Ergo **maximum criterium.**

Hæc contra Rationalistas, de quibus fusius dicendum.

§ II. — *De Rationalismo* [3].

95. Quænam sint RATIONALISMI natura, gradus et fautores [4] ?

A. — **Rationalismus** est *error qui rationem humanam autonomam et a Ratione divina independentem proclamat* ; sicque per excessum est corruptio sanæ rationis. Ratio enim sana sic procedit : quum aliqua doctrina prædicatur tanquam a Deo revelata, philosophus jus habet inquirendi vim argumentorum omnium quibus innititur illa revelatio ; sed primario non debet ipsam doctrinam ad rationis trutinam, ut

1. *Conc. Vat.* in **Denz.-Banw.**, n. 1797. — 2. Cf. **Sum. theol.**, II-II, q. 2, a. 4, c ; — **Cont. gent.**, I, c. 4, 5. — 3. **Perrone**, *De locis theologicis*, p. III : *de analogia fidei et rationis* ; — **Leibniz**, *De conformitate fidei cum ratione* ; — **R. P. Monsabré**, *Radicalisme contre radicalisme*, 1873 ; — **Moigno**, *Les splendeurs de la foi*, 1881 ; — **Duilhé de Saint-Projet**, *Apologie scientifique*, 4e éd.,1897 : introd. gén. — 4. **Pinard de la Boullaye**, *Op. cit.*, I, p. 205-220 et seq. ; — **Léonce de Grandmaison**, *Jésus Christ*, 1928, II, p. 167-202.

dicunt, revocare. Revelatio autem, semel inventa, est motivum certitudinis.

B. — Non ita *rationalistæ*. Quorum **duplex est classis** : nam *semi-rationalistæ* revelationem naturaliter explicabilem, non obligatoriam in praxi, revera indifferentem esse tantum prædicant ; dum *rigidiores* eam esse impossibilem et prorsus inutilem proclamant : « l'essence de la critique, ait Renan, est la négation du surnaturel. » Hinc et, spretis methodi positivæ juribus, facta quæ ipsi adversantur, recusant vel falsificant. Proindeque concludunt quod rationi, philosophiæ, progressui, fides adversatur, et ideo non tantum philosophia tractanda est solo rationis lumine et « nulla supernaturalis revelationis habita ratione [1] », sed et omnes aliæ scientiæ, præsertim historia.

C. — **Multi sunt** ; error enim ille non est recens, et in primævis Ecclesiæ sæculis, testantibus S. Justino, Clemente Alexandrino, multisque Patribus, non defuere qui, *nomine rationis*, homines a fide Christi avertere tentaverunt. — Sed idem error, ætate præsenti, communis est fere omnibus philosophis, quos impugnavimus in decursu Logicæ et Criticæ ; quales sunt deistæ, v. g., Cousin, Jouffroy, Damiron, de Rémusat, Garnier, J. Simon [2] ; protestantes liberales, v. g., Harnack, Sabatier, Réville et plures modernistæ, v. g., Loisy, etc.

96. Undenam sit hodierna mentalitas rationalistica [3] ?

Ex triplici præoccupatione philosophica procedere videtur.

Prima est **immanentismus** (n. 79) : siquidem, juxta Loisy : « La Révélation est une idée extrêmement anthropomorphique, tout à fait déconcertante pour la science et la philosophie contemporaines [4] ». Nihil ergo aliud esse potuit quam acquisita ab homine suæ ad Deum relationis conscientia [5]. — Sed *contra* : revelatio qualis de facto datur, non est evolutio naturalis et immanens rationis humanæ, sed interventus Dei præter et supra vires naturæ, et ideo non gradu tantum sed specie et ordine differt a lumine rationis naturali (Theod., n. 8).

Secunda est **evolutionismus** : siquidem, aiunt modernistæ, veritates revelatæ essent « quasi e cœlo delapsæ », et ideo prorsus immutabiles : quod contradicit progressui scientiarum. — *Revera* veritas est immutabilis : at nemo non videt distinctionem adesse inter veritatem revelatam et ejusdem cognitionem subjectivam, primam non posse quidem esse falsam, utramque vero esse inadæquatam et ideo perfectibilem. Crevit enim numerus veritatum revelatarum, sed et post completam cum Apostolis revelationem crescit earumdem intellectio sive in seipsa, sive præsertim in formulis dogmaticis, quæ illas exprimunt.

1. *Syllabus*, prop. 14. — 2. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 477-479. — 3. **Farges**, *Ibid.*, 249-267. — 4. *Autour d'un petit livre*, 1903, p. 193. — 5. Decr. *Lamentabili* ap. **Denz.-Banw.**, n. 2020.

Tertia est **autonomia** rationis, siquidem revelatio, si semel admitteretur, suam homini legem imponeret. — *Merito* quidem : sed præterquam quod fides est libera, veritas, undequaque procedat, menti non est vinculum, sed lux et alimentum et ideo beneficium [1].

§ III. — *De Unione scientiæ et revelationis* [2].

Sunt gradus in intelligentiis ; intellectus noster est « sicut oculus vespertilionis ad solem [3] » ; ergo fidei subordinetur.

97. Quænam sint varia rationis jura et officia ?

1um. — *Humana ratio* sua **virtute nativa** *multas veritates, sine fidei auxilio, comparare potest.* Nam intellectus est capax assequendi veritatem naturalem, mediis utendo requisitis, et de facto multa cognoscit sine fidei adjumento.

2um. — *Ratio humana* **fidei fundamenta** *demonstrare potest.* Revelationis enim notæ decretoriæ sunt prophetiæ, miracula, sanctitas miraque religionis in orbe terrarum diffusio ; sed de his omnibus ratio humana veram certitudinem assequi potest ; ergo ratio humana fidei fundamenta demonstrare valet, et quidem argumentis proportionatis menti etiam rudium, pro quibus igitur fides non est cæca credulitas (n. 40).

3um. — *Etsi fides et ratio simul existant in homine christiano, rationis usus* **fidei usum præcedit.** Nam ex eo quod ratio fundamenta fidei demonstrat, sequitur quod usus rationis actum fidei, quoad tempus, necessario præcedat.

Sed *objiciunt* : si rationis usus fidem præcedit, dubium in materia fidei est legitimum ; sed istiusmodi dubium non est legitimum ; ergo ratio non præcedit.

Resp. *nego ant.* Christianus qui fidei argumenta *explicite* cognoscere desiderat, sapientem de illis instituit investigationem, sed non necessario veritates revelatas in dubium *reale* revocare debet : aliter enim Patres et Doctores, qui tot vigiliis laboribusque rem christianam adjuvarunt, damnandi essent ut hæretici (Log., n. 177).

4um. — *Ratio humana, suis limitibus circonscripta,* **libertate gaudet,** *quæ non adversatur sed favet progressui legitimo.* Hæc enim libertas rationis defluit ex ipsa philosophiæ natura ; nam philosophia dicitur scientia ex *ratione* ; atqui sine libertate legitima, non esset scientia rationis, sed *auctoritatis.* « Nec sane ipsa (Ecclesia) vetat ne hujusmodi disciplinæ,

1. Cf. **J. Simon**, *La liberté de conscience*, 6e éd., 1883, liv. IV, p. 301. — 2. Cf. **Gilson**, *Le thomisme*, 1927, ch. II ; *L'esprit de la philosophie médiévale*, 1932, ch. I et II ; — **Maritain**, in *Rev. néo-scol.*, 1932, p. 153-187 ; — **Blondel**, in *Cahiers de la nouvelle journée*, 1932, n° 20. — 3. **Aristoteles**, *Metaph.*, II, 1.

in suo quæque *ambitu*, propriis utantur principiis et propria methodo [1]. »

5um. — *Rationis* **licentia**, *progressus infinitus et independentia rejiciuntur.* — *Licentia* prohibetur, quia non est libertas sed libertatis abusus. — *Progressus infinitus* est impossibilis, illi enim opponuntur rationis humanæ limites [2] ; a fortiori falsus est progressus, qui revelationi vere divinæ contradicit, et cum eo Ecclesia non potest « sese reconciliare et componere [3] ». — Etsi ratio humana, in suo ambitu propriisque finibus libertate gaudeat, non est *independens*, quia fides rationem superat, et ejus errores corrigere debet.

98. Quænam sint varia FIDEI jura et officia ?

1um. — *Fides et in suo principio, et in objecto, et in certitudine, est* **supra rationem** *et ab ista corrigi non debet* (Præn. n. 8).

Multas enim nos edocet veritates ut sunt mysteria, speciatim Trinitas, Incarnatio, Præsentia realis, quæ mentis humanæ quidem limites excedunt, sed rationi non adversantur.

2um. — *Fides multis cognitionibus, quæ captum hominum excedunt* **rationem instruit.** — Ad hoc requiritur et sufficit ut existant veritates hominis captum superantes [4] ; ut eas Deus nos edocere possit ; ut hujusmodi veritates a Deo revelatas certo cognoscere possimus ; porro, hæc tria ratione necnon ex dictis constant : ergo fides rationem multis instruit notionibus.

3um. — *Fides progressum rationis* **non impedit**, *sed illius errores corrigit, saltem* in eis quæ directe vel indirecte ad revelationem spectant. Quinimo, testante Concilio Vaticano, progressum fides « juvat atque promovet » [5] (n. 94).

99. Hinc fides et ratio MUTUUM AUXILIUM sibi præstant.

Patet consequens ex utriusque juribus et officiis : neutram hæc unio impedit, sed cedit in utriusque commodum.

Hinc — 1. inter utramque « inanis contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel *fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint*, vel *opinionum commenta pro rationis effatis habeantur* [6] ». Nunquam enim geologus, physicus, historicus, philosophus afferre potuerunt in-

1. **Pius IX**, *Concil. Vatic.*, *Const. dogm.*, c. IV ; — cf. **Chastel**, *De la valeur de la raison humaine*, 1854. — 2. **Contra gent.**, II, c. IV. — 3. *Syllabus*, Prop. 80. — 4. **Contra gent.**, I, c. 3. — 5. Cf. **Denz.-Banw.**, *Enchiridion*, n. 1799. — 6. Cf. **Leo XIII**, Encycl. *Providentissimus*, 1893, in fine.

concussum factum, vel minimum, in quo fides recte intellecta et ratio certa inter se absolute dissiderent.

Sed — 2. e contra, quo perfectior est scientia, eo magis evanescunt dissidia, sed et analogiæ, concordia, mutuumque fidei et rationis auxilium in lucem proferuntur.

Utinam fulgeant dies illi felices, diu desiderati et ab illustrissimo viro prænuntiati : « Nous la reverrons, a dit J. de Maistre, la superbe alliance de la religion et de la science ; ils reviendront ces beaux jours du monde où toute la science remontait à sa source ! [1] »

§ IV. — *De Philosophia Christiana* [2].

Ex dictis in § I°, II°, III°, pauca colligere fas est de philosophia christiana, quæ est unio quædam fidei et rationis.

100. Utrum sit, quid fuerit et quid sit PHILOSOPHIA CHRISTIANA ?

A. **Utrum sit**, *negant* cum Bréhier [3] philosophi laïci generatim et alii plures [4], juxta quos, sicut non datur mathesis christiana, ita nec philosophia christiana, nam, si quando philosophia procedit ex principiis fidei, desinit esse philosophia et evadit theologia. — *Affirmant* e contra generatim neoscholastici, sive ex datis historiæ, quæ a S. Justino usque ad nostram ætatem multa opera et plures epochas hujusce philosophiæ enumerat, sive ex modo loquendi omnium, v. g., Leonis XIII in Encycl. *Æterni Patris*, sive ex analysi hujus conceptus, qui mox infra dicetur.

B. — **Quid fuerit** autem historice determinare difficile est. Negata enim unione, remansit sæpe separatio philosophiæ et theologiæ vel absorptio unius per alteram : unde *triplex relatio*, decursu temporum, orta est inter revelationem et philosophiam.

Imprimis *oppositio irreductibilis*, qualem habuisse videntur *ex parte christianorum* S. Paulus, Tertulianus et SS. Patres Ecclesiæ plures, qui falsam dicunt philosophiam aut Luther et Evangelistæ qui clamant contra philosophos ; — qualem, ex *altera parte, moderni* prædicant fere omnes, v. g., humanistæ, Cartesiani, Kant, Cousin, Brunschvicg, qui, sub prætextu liberalismi, separationem et heterogeneitatem philosophiæ et theologiæ vindicant.

Postea *reductio unius ad alteram*, nempe *vel* philosophiæ ad theologiam, qualis habetur apud SS. Patres generatim, præsertim S. Augustinum, apud S. Bonaventuram, Malebranche, qui utuntur philosophia, tanquam serva, ad stabiliendam ex principiis revelatis doctrinam catholicam ; — *vel* e contra reductio theologiæ ad

1. *Les délais de la justice divine*, note ; — cf. **P. Matignon**, *La liberté de l'esprit humain dans la foi catholique*, 1864, p. 322. — 2. Cf. *La philosophie chrétienne*, Juvisy, 1933. — 3. *Y a-t-il une philosophie chrétienne*, in *Rev. de métaph. et de mor.*, 1931, p. 133-162. — 4. V. g. **P. Mandonnet**, in *La phil. chrét.*, p. 62-72, 136, 138 ; **Van Steenberghen**, in *Rev. néoscol.*, nov. 1933...

philosophiam, qualem professi sunt Neo-platonici, Gnostici, Celsus, Porphyrius, Averroes, Spinoza, de Lamennais, rationalistæ radicales qui philosophiam prædicant esse supremam sapientiam.

Tertio *unio philosophiæ et theologiæ*, quæ tamen salvat utriusque distinctionem, qualem professi sunt Principes scholæ, imprimis S. Thomas et Neo-scholastici : eorum enim philosophia, a theologia quidem specifice distincta eique nobiliter submissa, a philosophia græca aut alia qualibet, gradu saltem perfectionis, secernitur.

C. **Quid igitur sit** ? Patet ex analysi hujusce philosophiæ, quæ, licet ratione sola procedens,

1. *Objective* multa accepit ex revelatione, i. e., sive universaliorem materiam quæ fines realitatis et ideometa physicæ extendit, sive novas veritates rationi non absolute impervias sed de facto ignotas, sicuti, v. g., creationem, distinctionem essentiæ et existentiæ, naturæ et personæ, separabilitatem substantiæ et accidentium, sive etiam alias doctrinas, antea plus minusve dubias, v. g., hominis libertatem, spiritualitatem et immortalitatem animæ, Dei autem existentiam et concursum, Providentiam et finem ultimum creaturarum.

2. *Subjective* in suo exercitio confortatur, nam philosophi, qui sunt christiani simul et theologi, veritatibus et virtutibus intellectualibus instruuntur quibus ipsorum intellectus roboratur fere eodem modo ac in homine sensibilitas per intellectum, sicque, ut aiunt : « Il n'y a pas de raison chrétienne, mais il peut y avoir un exercice chrétien de la raison [1] ».

3. *Finaliter*, juxta quosdam, v. g., Blondel et Sertillanges, qui putant ipsam philosophiam suis principiis propriis, præsertim ob suam intrinsecam penuriam, pondere suo tendere ad veram unionem cum catholica doctrina [2].

Jamvero stella rectrix non mutat viam nec viatores. Ideo philosophia hujusmodi, quæ a revelatione tot doctrinas accepit, quæ nova problemata inveniendo eorum solutionem duxit ad perfectionem, quæ sic, licet ex sese satis imperfecta, tantum habuit profectum sub influxu quidem temporis [3] sed et fidei, hæc philosophia, inquam, **merito dicitur christiana.** Nec videtur cur aliqui, novum hunc philosophiæ statum et *realitatem* prædictam admittendo, *nomen* recusent, quasi philosophia christiana esset servitutis status aut aggregatio duorum incompossibilium, dum e contra est concordatum e natura utriusque defluens et rationi philosophicæ utilissimum.

1. **Gilson**, in *La vie intellectuelle*, sept. 1933, in fine. — 2. *In II Metaph.*, II, 1. — 3. *Op. cit.*, Juvisy, p. 50, 115-125.

CAPUT TERTIUM

DE REDUCTIONE CRITERIORUM

101. Utrum UNICUM dari possit criterium veritatis ?

Ex dictis in primo et secundo capite, satis apparet **non unum** esse medium quo veritas fit manifesta. Ea enim quæ sunt specie diversa, eodem medio cognosci nequeunt.

Quum tamen ex dictis (n. 41) plura sint criteria homini sive *intrinseca* sive *extrinseca*, philosophi, unitatis amatores, unum aut alterum ex ipsis, tanquam criterium supremum veritatis, statuere tentaverunt. Sed frustra generatim : criterium enim supremum veritatis debet esse ipsi *intrinsecum* et ideo *objectivum* et insuper *immediatum* (n. 34). Atqui criteria quæ varia a variis proponuntur, talia non sunt sed e contrario **extrinseca, subjectiva, mediata** : de singulis pauca.

ARTICULUS I

De Reductione Criteriorum Extrinsecorum [1].

Quum tria sint criteria extrinseca, alii *fidem divinam*, — alii vero *sensum naturæ communem*, — alii demum *traditionem oralem* hominum, tanquam unicum criterium proposuerunt : inde fideismus, mennesianismus et traditionalismus.

102. Quid sit FIDEISMUS et quid de eo sentiendum [2] ?

Fideismus *est error eorum qui, vim rationis rejicientes, non aliud admittunt veritatis criterium nisi fidem divinam.* — *Rejiciunt* vim rationis : unde fideismus rationalismo contrarie opponitur ; *admittunt* fidem divinam, non tantum ut *supremum*, sed etiam ut veritatis *unicum* criterium.

Jamvero fideismus primos habuit patronos, sæc. XVI et XVII, Michaelem Montaigne ac Huetium, episc. Abrincensem, in opere cui titulus *De imbecillitate rationis humanæ*. — Sæculo XIX fideismus a Bautain, celeberrimo professore in collegio Argentoratensi, necnon a Bonnetty in *Annales de philosophie chrétienne* propugnatus est. — Nostra tandem ætate, rursus post Pascal [3] et Newman ab amicis utriusque sic instauratur **neo-fideismus** [4] : imbecillis ratio, dubitabilis veritas, sed sponsionem facere pro existentia Dei et vitæ futuræ securius est. — Sit igitur

1. **Farges**, *Ibid.*, VIII, 268-298 ; — **Mercier**, *Critér. gén.*, n. 64-74. — 2. **J. Rivière**, *Le fidéisme*, in *Dict. prat. des con. rel.* — 3. Cf. **Louis**, *Le prétendu fidéisme de Pascal*, in *Revue de phil.*, janv. 1912. — 4. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 354, 409, 410, 535, 538, 542.

THESIS

Fides divina non est unicum veritatis criterium.

Prob. — Nam I — **fideismus** evidentiæ et sibi contradicit : — *Evidentiæ* quidem, nam, absque fide, ratio humana multa cognoscit sine ullo errandi formidine. — Sed etiam *sibi*, dum rejicit rationem et ratione uti debet ut vim adstruat fidei, sicque, hoc circulo vitioso, fidem quam intendit confirmare, ponit in periculo : « la révélation ne pouvant plus être prouvée ne prouve plus rien [1] ».

Confirmatur thesis tum damnatione Bautain (an. 1840) et Bonnetty (an. 1855) [2], tum Concilio Vaticano : ergo « rationis usus *fidem præcedit*... et ad eam conducit [3] ».

II. — Nec etiam verus est **neo-fideismus** [4], juxta quem ratio infirma non demonstrat quidem fidei fundamenta, sed præbet argumenta tantum probabilia, quæ multis difficultatibus obnubilata, sunt tamen occasiones credendi. — Talis enim fides esset *irrationalis*, aut in alea sensus individualis reponeretur ; utilis quidem esset cordis affectibus, sed *non ideo vera* ; denique agnosticismo præberet ansam et *mysticismo*, quia possibilis in quacumque religione.

103. Quid sit MENNESIANISMUS et quid de eo sentiendum [5] ? Vir luctuosæ celebritatis, Fel. de Lamennais *certitudinis regulam reposuit* **unicam in consensu populorum**, et sic traditionalismi fundamenta firmavit. — Duplicem certitudinem distinguit de Lamennais : alteram *instinctivam*, id est *facti*, alteram *rationalem* seu *juris*. Pariter, juxta eum, duplex est ratio, *generalis* scilicet et *individua* : hæc præbet tantum certitudinem instinctivam, illa rationalem. Sed contra sit

THESIS

Consensus generis humani non est unicum veritatis criterium.

Prob. — Non est enim primum, nec universale, nec sufficiens.

1° **Non est primum.** — Nam, ut vidimus (n. 89), consensus generis humani est commune judicium quod ferunt homines de veritate elementaria aut ad vitam necessaria : atqui nemo cognoscere potest utrum homines talia judicia proferant, nisi mediante quodam criterio ab ipsa consensione generis humani distincto ; ergo consensus hujusmodi supponit aliud criterium nec ideo est primum certitudinis motivum.

1. J. de Maistre. — 2. Cf. Denz.-Banw., *Enchiridion*, n. 1649-1652. — 3. *Ibid.*, n. 1799. — 4. Farges, *Ibid.*, p. 283-298. — 5. *Essai sur l'indiff.*, II, 17-21 ; 153, 156, 171-175 ; — Barbedette, *Op. cit.*, n. 537.

2° **Nec universale**, nam si consensus esset unicum veritatis criterium, pars hominum maxima versaretur in dubio perenni, quia illius consensus existentiam agnoscere non posset, solique sapientes et eruditi veritatis beneficio gauderent ; quod falsum est, et ab ipsis traditionalistis rejicitur.

« Si la consultation du témoignage universel était nécessaire, il faudrait que le paysan qui n'a que le témoignage des gens de son hameau... fût disposé à croire... que sa vache n'est qu'un fantôme, ou bien qu'il s'abuse, quand il croit avoir un mal de tête [1]. »

3° **Nec per se sufficiens.** — Nam, in hoc systemate, aut certitudo *facti*, quæ *præcedit* certitudinem *juris*, est vera certitudo, vel non : si prius, consensus generis humani non est unicum criterium ; si posterius, philosophia nititur fundamento dubio, ac proinde nihil potest certo cognosci, et scepticismus absolutus est lex universalis (n. 40).

104. Quid sit TRADITIONALISMUS et quid de eo sentiendum [2] ? **Traditionalismus** est *error eorum qui revelationem a Deo factam et testimonio hominum traditam*, uno verbo, sermonem seu *traditionem hominum propugnant tanquam unicum certitudinis criterium.* Est igitur quasi synthesis fideismi et mennesianismi, qui hinc et inde ad extremos usque limites duo traditionalismi principia protulerunt. Ita de Bonald [3] et rigidiores.

Sunt autem qui, suo paulisper *mitigato* principio, rationem non esse infirmam in omnibus docent. — Alii enim veritates ordinis metaphysici et moralis, non vero ordinis physici a traditione accipiendas esse dicunt. — Alii fere omnes, in Belgio Ubaghs, Laforêt, Beelen, præsertim vero P. Ventura, non quidem *inveniendi*, bene vero *demonstrandi* veritatem, capacem esse rationem autumant. — Contra quos omnes sit

THESIS

Traditio non est unicum medium veritatis inveniendæ.

Prob. — Revera, traditionalismus generatim falso nititur fundamento ; mitigatus autem dupliciter sibi contradicit.

1° **Falso nititur fundamento.** — Nam, juxta traditionalistas, homo sine sermone cogitare nequit, dicente D. de Bonald : « L'homme pense sa parole avant de parler sa pensée [4]. » Hoc autem confutatur in Psychologia (n. 77, 112).

1. De Margerie, *Philosoph. contemp.*, 1870, p. 375. — 2. Cf. Farges, *La crise de la certitude*, p. 131-136 ; — Barbedette, *Hist. de la phil.*, n. 316-319. — 3. Cf. *Dict. de th. cath.*, art. *Bonald*, col. 959 ; — *Dict. prat des con. rel.*, art. *Traditionalisme*. — 4. *Recherches philosophiques*, ch. II.

2° **Sibi contradicit** — *dupliciter*, nam — 1. juxta plerosque traditionalistas, ratio veritates ordinis mere naturalis et *physici* per se solam attingere valet; porro veritates ordinis metaphysici et moralis non sunt objectum intellectus formaliter ab illo diversum; ergo vel omnes, vel nullas invenire potest: — 2. juxta eosdem, ratio veritates semel inventas *demonstrare* potest; sed demonstratio implicat quamdam veritatis inquisitionem et fit ope syllogismi, qui est criterium veritatis inveniendæ (n. 74); ergo frustra traditionalistæ in demonstranda tantum veritate vires rationis coarctaverunt.

Nota 1ª. Extrinsecis criteriis *affinis* quidem est *syncretismus historicus* (Cousin), de quo jam in Logica (n. 212). Historia enim non sufficit ad discernendum vera a falsis systematibus, quæ in decursu temporum prodierunt: requiritur criterium discriminis faciendi intrinsecum.

2ª. Cæterum ultro fatemur historiam traditionemve *perutilem* esse ad veritatem acquirendam, revelationem vero moraliter necessariam ad vitam instituendam, utramque tandem remedium contra autonomiam absolutam et rationalismum independentem modernorum: et hæc est *pars* seu *anima veri* horum systematum.

ARTICULUS II

De Reductione criteriorum homini Intrinsecorum.

Tria concurrunt ex parte subjecti ad formationem cognitionum nostrarum, *natura*, *sensus* et *intellectus*: unde alii naturæ instinctum, alii perceptionem sensuum, alii visionem intellectus habent ut unicum veritatis criterium.

105. Utrum NATURÆ INSTINCTUS sit universale criterium [1] ?
Reid docuit suggestionem aliquam naturæ impellere mentem vel ad affirmandum vel ad negandum sine motivis aut rationibus aperte cognitis; quam inspirationem vocat *instinctum naturæ cæcum*. — Cui parum dissentit Jouffroy, dum ponit, tanquam totius certitudinis fundamentum, actum *fidei cææ* in veracitatem naturalem nostrarum facultatum. — Interea fautores scholæ *sentimentalis*, cujus magister fuit Jacobi, admittunt aliquam *vim affectivam* seu spiritualem propensionem naturæ. — Recentius Bergson et anti-intellectualistæ ad instinctum naturæ seu *intuitionem* supra-intellectualem confugerunt. — Quot vocabula, tot errores esse probat sequens

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 329-337; — *La philosophie de M. Bergson*, ch. VIII: L'intuition; — **Mercier**, *Critér. gén.*, n. 77 et sq.; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 435, 438, 479-A, 497, 540-542, 570-571.

THESIS

Nec instinctus cæcus, nec fides cæca, nec vis affectiva, nec intuitio bergsonica, potest esse universale veritatis criterium.

I. — **Non instinctus cæcus.** — Nam ope criterii universalis, mens veritatem a falso secernere debet. Sed incongruum est dicere instinctum cæcum seu carentiam omnis cognitionis et luminis, esse notam qua veritas a falso distingui possit. Ergo.

II. — **Nec fides cæca** in veracitatem facultatum nostrarum — Nullus enim est assensus rationabilis sine motivo: sed fides cæca essét assensus sine motivo; ergo non rationabilis.

De facto, facultatibus nostris fidimus eo quod nobis præbere possunt evidentiæ lumen ut experientia constat; sicut nostræ potestati locomotivæ credimus, eo quod revera ambulamus.

III. — **Nec vis affectiva.** — Hæc enim non est facultas cognoscitiva, sed ad appetitum pertinet; porro appetitus nihil cognoscit, nedum omnes veritates apprehendere possit.

Hinc a fortiori *libera voluntas* non est supremum criterium, sive illud reponatur in imperativo categorico ad modum kantistarum, sive in actione aut dispositione bonæ voluntatis ad modum neokantistarum (n. 58).

IV. — **Nec tandem intuitio** supra-intellectualis, cujus contradictiones contra D. Bergson jam exposuimus (n. 59) [1]. — Cui consona videtur intuitio *eidetica* (εἶδος, species) *phænomenologistarum* (Husserl) in Germania, qui etiam intueri prætendunt res superempiricas seu quasi-platonicas sub phænomenis: hæc enim perceptio spiritualis immediata non est, sed vis affectiva.

106. Quatenus SENSUS nostri non sint universale criterium [2] ?
Non pauci contendunt, post *epicureos*, *sensistas et positivistas*, mensuram seu normam omnium cognitionum esse *sensus nostros*; idcirco nullam fidem adhibendam esse veritatibus, quæ sensibus percipi non possunt. — Interea Galluppi sensum intimum seu *conscientiam* ponit tanquam universale criterium. — Recentius Pragmatistæ, v. g., Schiller et W. James, id verum esse proclamant quod per *experientiam practicam utile* demonstratur: « Est vrai ce qui réussit... — seulement ce qui est renfermé dans les limites de notre expérience personnelle... — ce qui donne de bons résultats [3]: » sic arbor noscitur ex fructibus [4]. — Ab hoc pragma-

1. **Parodi**, *La philosophie contemporaine en France*, p. 538 et seq. — 2. **Farges**, *La crise de la cert.*, p. 334; p. 299-311. — 3. Cf. *Dict. apol.*, art. *Positivisme, pragmatisme*; — *Revue néo-scolastique*, 1908, p. 278; — *Revue de philosophie*, juil. 1907; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 90, 483, 524, 531, 577. — 4. **W. James**, *Pragmatism*, trad. **Le Brun**, 1911.

tismo parum differt theoria *interesse socialis* a Balfour et Brunetière propugnata, juxta quam ordini morali et religioso credendum est, quia utilis est omnino societati ejusque fundamentum. — Contra quos sit

THESIS

Nec sensus externi, nec conscientia, nec quælibet sensuum experientia, nec ullum interesse societatis possunt esse universale veritatis criterium.

I. — **Non sensus externi.** — Revera ope sensuum res corporeas solummodo percipimus, res autem immateriales, ut prima principia, Deus et anima, cognosci non possunt.

Secus, *logice* infert positivismus — 1. *impervias* sibi substantias et causas omnes, quarum tamen existentiam revera supponunt in suis experimentis et theoriis ; — 2. *vanam* scientiam a ratione depromptam, cujus e contra valorem supra demonstravimus (n. 73-74) ; — 3. *impossibilem* esse metaphysicam, quam tamen alio modo instaurant, defectuosam omnino, sive profitendo religionem solius Humanitatis, sive negando a priori Providentiam, miraculum, noumena et Absolutum ; — 4. denique *nullam* esse obligationem seu Ethicam, cui subrogatur *ars* meliorandi, ope sociologiæ, Humanitatem. Quæ quidem consectaria satis in lumen proferre insufficientiam prædicti criterii nemo non videt (Log., n. 210).

II. — **Nec conscientia.** — Hæc enim non producit omnes cognitiones nostras ; v. g., non invenit causas rerum ultimas, nec alia pleraque. Non est nisi conditio per quam variæ species certitudinis intime et cognoscibiliter nobis fiunt præsentes, minime criterium omnium (Psych., n. 105-107).

Secus, conscientia cum scientia confunderetur et objectum conscientiæ cum objecto cognitionis humanæ. Quod valde periculosum est et affine pantheismo germanorum transcendentalium, qui cum conscientiam a scientia non distinxissent, objectum cognitum cum subjecto cognoscente unum idemque decreverunt.

Hinc, ob eamdem rationem, *sensum moralem* vel *sensum divinum* aut quemlibet alium sensum, admittere non possumus ut medium universale, quo veritas certo cognoscitur : secus, plures facultates intelligendi immaterialia admittendæ forent : quod absonum est.

III. — **Nec experientia utilis.** — Revera hoc *pragmatismi* criterium *falsum est*, nam bonum utile et verum non convertuntur, cum ex falso utile defluere valet ; — sed et *contradictorium*, nam quid sit utile vel non, individuis aut etiam

societati, per solam experientiam sine ratione dijudicari non potest : « Il est pragmatiquement impossible de s'en tenir au pragmatisme [1] » (n. 58).

IV. — **Nec ullum interesse sociale.** — Hoc enim criterium — *Falsum* quidem est, nam in effectibus suis melior est theismus quam materialismus, utilior finalismus ac fatalismus, fructuosior usus libertatis ac determinismus : at non propterea verus est primus ex his tribus. — *Contradictorium* etiam, nam, si pragmatismo fides, æque veræ essent religiones quæ eosdem cultus externos, puta orationes, genuflexiones, etc. inspirent, quæ tamen judicio rationis sunt contradictoriæ.

Ratio generalis nostræ thesis ea est : veritas est proprietas rei vel doctrinæ, anterior ejus praxi, independens ab ejus commodis et incommodis, quæ ideo decursu temporum non mensuratur aut variatur nec circumstantiis locorum relativum est. — *Concedi* tamen potest nostra judicia, sicut etiam leges doctorum, factis attendere et conformes esse debere, itemque cognitiones etiam philosophorum ad praxim et Ethicam habere respectum : et hæc est species veri hujusce pragmatismi.

107. Utrum VISIO INTELLECTUS sit universale criterium [2] ?

Alii, duce Cartesio, motivum supremum certitudinis reponunt in sola visione intellectus : quidquid clare percipitur verum est : **en criterium ideæ claræ.** — A qua vix differt 1° evidentia mere subjectiva, quæ definitur perceptio convenientiæ vel discrepantiæ idearum inter se ; 2° intuitio a priori, juxta quam, in sensu kantiano, ratio pura veritatem format aut reproducit, vi structuræ suæ naturalis [3]. — Sit igitur

THESIS

Visio ideæ claræ non potest esse universale veritatis criterium.

Prob. — Visio clara est aliquid vel subjectivum vel objectivum : si prius, est conditio quidem certitudinis, non ejus motivum ; si posterius, idea clara quidem est propter evidentiam objectivam, sed non potest esse supremum motivum et universale veritatis, nam

1° **Non extenditur** ad omnem evidentiam. Siquidem idea clara invenitur tantum in notionibus metaphysicis : ergo spectat tantum ad evidentiam intellectus, non autem ad evidentiam sensus. — Nec tantum omittit sed excludit evidentiam auctoritatis, motivis extrinsecis fundatam (n. 39).

2° **Subvertit ordinem** naturalem cognitionis humanæ. Nam

1. *Revue de métaph. et de mor.*, janv. 1908, p. 112 ; — cf. **Farges**, *Ibid.*, p. 283-298. — 2. **Farges**, *La philosophie de Descartes*, p. 23. — 3. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 376 et 380, 458-461.

rerum existentia ante earum notionem idealem cognoscitur, id est, *facta* clara ante *ideas* claras ; v. g., eclipsis existentia ante claram notionem eclipsis. — Nec mirum, nam idea clara est signum meræ possibilitatis, non autem existentiæ rerum.

3° **Ducit ad consectaria periculosa,** nam si in dubium revocare licet facta de quorum natura ideam claram non habemus, — quæ tamen firmantur auctoritate certa et etiam infallibili, — sicuti facta historica et mysteria, — rationalismo atque scepticismo fere universali panditur via.

Hinc evidentiam admittit Cartesius sed subjectivam, realismum profitetur, sed intra mentem solummodo : « C'est un réalisme spirituel [1] », — quem aliunde exaggerat non distinguendo sensationem corporis externi ab actu imaginativo aut hallucinatorio.

ARTICULUS III

De Reductione criteriorum mediatorum [2].

Tria sunt sc. perfectio Dei, exemplarismus et contradictio.

108. Utrum PERFECTIO DEI infinita sit ultimum criterium ? Juxta plures, Cartesius non docuit supremum criterium esse visionem subjective claram, bene vero ipsum objectum cujus habetur idea clara, quia hæc et omnis idea clara venit a Deo qui nos decipere non potest. Sed contra

THESIS

Perfectio Dei infinita est criterium mediatum et non ultimum.

Prob. — Perfectio Dei infinita, sicut ejus existentia, quia non est immediate evidens, demonstrari debet argumentis certis : atqui hæc argumenta inniti debent in præmissis quæ per se sunt evidentes vel non ; si prius, habent supremum criterium certitudinis ; si posterius, versamur in circulo vitioso, nam hæ præmissæ perfectione Dei et perfectio Dei hisce præmissis certificantur. Ergo in neutro casu perfectio Dei est ultimum certitudinis criterium.

109. Utrum EXEMPLARISMUS divinus sit criterium supremum ? Sunt spiritualistæ, qui volunt ideas nostras ideo universales et necessarias esse, quia sunt imitationes divinæ essentiæ : ex experientia enim nihil hujusmodi hauriri potest. Sed contra

1. J. Chevalier, *Descartes*, p. 349. — 2. Mercier, *Crit. gén.*, L. III, ch. 1, a. 3.

THESIS

Exemplarismus divinus non est supremum criterium.

Prob. — Hæc enim theoria falsa, gratuita, sophistica est.

1. — *Falsa est*, quia positivam necessitatem naturæ divinæ confundit cum negativa necessitate idearum nostrarum. Atqui prior est quid absolute et positive divinum, posterior est quid creatum et conditionate tantum necessarium.

2. — *Gratuita est*, quia universalitas et necessitas idearum non per exemplarismum et imitationem idearum divinarum, bene vero per abstractionem rerum sensibilium ab intellectu explicatur, ut videsis in Psychologia.

3. — *Sophistica est*, quia involvit circulum vitiosum, dum probare conatur exemplarismum per existentiam Dei, quæ ipsa probatur per præmissas quæ nonnisi per existentiam Dei certificantur.

110. Colliges PARTEM VERI in utraque sententia. — Revera **duplex** apparet ordo : ontologicus et psychologicus. Data quidem existentia Dei, synthetice deduci potest intellectum hominis a Deo creatum non esse fallacem sed ad veritatem natum et ordinatum, — res omnes esse imitationes idearum divinarum, — nostras ergo ideas, sicut ipsas, esse necessarias : et hic est ordo *ontologicus*.

At non ita ordo psychologicus : nam, quia a sensibilibus per abstractionem ad ideas ascendit intellectus, requiritur in decursu toto hujusce methodi analytico-syntheticæ criterium absolutum veritatis, cujus ope ascendere possumus ad naturam Dei : et hic est ordo *psychologicus*.

111. Utrum PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS sit unicum criterium? *Resp.* negative : siquidem est fundamentum totius certitudinis (Log., n. 133), non tamen est *fons* neque supremum *motivum* veritatis.

A. — **Non est fons,** — contra Wolf et alios, qui ex principio contradictionis omnes veritates quasi totidem conclusiones ex uno principio derivare contendunt. — Sed contra : ab eo derivare non valent veritates experientia comparatæ. Quinimo ipsæmet veritates abstractæ in principio contradictionis fundantur quidem, sed ab ipso non educuntur. — Quare indubium est principium contradictionis esse *conditionem* necessariam cujuslibet judicii certi, sed falsum est esse *causam* ex qua scientiæ omnes habent originem, ut rivuli oriuntur e fonte communi.

« Le premier principe n'est pas comme une source d'où partent

les mille canaux qui fertilisent l'intelligence : ...c'est un point d'appui qui doit porter sans faiblir le poids d'un monde [1]. »

B. — **Non est supremum** motivum, — contra paucos recentiores, qui evidentiam fieri posse illusoriam admittunt (n. 38).

Sed contra : male diceretur supremum motivum certitudinis, quod ab evidentia dependet, eam non supplet, et sine qua illusorium esset. Porro tale est principium contradictionis : nam — 1. Si quæratur ratio, cur tandem ut verissimum habeatur, nihil aliud respondemus, nisi quia ejus veritas est absolute evidens et manifesta : ergo et ipsum ab evidentia dependet. — 2. Principia facti ope solius evidentiæ sensuum cognoscuntur : etsi enim sine contradictione non possum hæc duo simul affirmare, v. g., sol lucet et sol non lucet, de facto tamen v. g. solem lucere, non per principium contradictionis, sed per solam visionis evidentiam certissime scio. — 3. Denique, nemo nescit ex falso præsupposito, logice et absque contradictione, deduci posse pessima consectaria : quare plurimi errores potius ex negata factorum evidentia quam vitio deductionis et contradictionis, in philosophiam sunt introducti. Ergo rursus evidentia sola ut primum, universale et ultimum veritatis signum habenda est (n. 36), de qua clarissimus Bossuet : « La vraie règle de bien juger est de ne juger que quand on *voit clair* [2] ».

Conclusio.

112. Hinc EVIDENTIA remanet ULTIMUM certitudinis CRITERIUM.

Ecce fructus et **aurea regula** nostræ inquisitionis totius. Quæ cum ita sint, Critica generatim in primario veritatis criterio (n. 36) innititur, Criteriologia in principio finalitatis juxta quod, sicut ignis ad comburendum, ita sensus, ita intellectus ad cognoscendum natus dicitur et est [3] ; utraque tandem in primo Logicæ seu contradictionis principio (n. 111). Sicque **in primis principiis** fundamentum habet tota Critica, quæ est Apologetica Metaphysicæ totiusque philosophiæ.

Explicit critica

1. **Balmès**, *Phil. fond.*, tom. I, L. I, ch. v, n. 38. — 2. *Connaiss. de Dieu et de soi-même*, ch. I, § 161 ; — cf. **S. Thomas**, *De veritate*, q. IV, a. 6 ; — q. IX, a. 2 ; — q. XI : de magistro, a. 1, ad 13 ; — cf. **Cornoldi**, *Institut. philos. specul.*, Bononiæ, 1878, p. 62-67. — 3. **Garrigou-Lagrange**, *Le réalisme du principe de finalité*, 1932, p. IIe, ch. I, II, III.

METAPHYSICA

II

ONTOLOGIA [1]

PRÆNOTIONES

1. Quid sit Ontologia quoad nomen et quoad rem ?

A. — **Quoad nomen**, *Ontologia* primum a Du Hamel (1682), deinde a Wolf (1730) [2] nuncupata fuit e vocibus græcis, ὄν (ens) et λόγος (scientia) : est enim scientia de ente.

B. — **Quoad rem** est *scientia metaphysica quæ « considerat ens quatenus ens et ea quæ consequuntur ipsum* [3] ».

1° Est *scientia* : habet enim omnes scientiæ notas (Log., n. 215), quidquid falso contendant positivistæ [4] (Log., n. 210).

2° Tractat de *ente*, reali quidem, maxime de substantia in qua fundantur aliæ realitates naturæ omnes et ita ratione *materiæ* convenit cum aliis philosophiæ realis partibus, sed discrepat a Logica et Ethica.

3° Considerat ens *quatenus ens*, i. e., abstrahendo a quolibet ente speciali, ideo et imprimis ens ab omni materia abstractum, omnibus commune, et sic objecto *formali quod* differt a Cosmologia et Psychologia, sed etiam, at materialiter tantum, a Theodicea quæ speciatim de Deo seu de ente positive immateriali disserit.

4° Ontologia considerat ens et *ea quæ consequuntur ipsum*, i. e., non tantum naturam entis et ejus communissimas *proprietates*, sed etiam *divisiones* et *causas*, quæ in notione entis continentur, cum ea arctissime connectuntur et speciatim ens finitum respiciunt.

Itaque Ontologia est **synthesis amplissima**, in qua speculamur supremas entis rationes, non positive ut Deum sed negative immateriales, et ideo separatim ab omni materia, in tertio gradu abstractionis præcisivæ : sic proprie est metaphysica generalis [5].

1. Cf. **S. Thomas**, *In XII Metaph.* ; — **Suarez**, *Disp. Metaph.*, ed. Vivès ; — **Mercier**, *Ontologie* ; — **Wébert**, O. P., *Essai de métaphysique thomiste*, 1927 ; — **De Raeymaeker**, *Metaphysica generalis*, 2 vol., Louvain, 1931-1932. — 2. **Barbedette**, *Histoire de la phil.*, n. 429. — 3. Cf. **S. Thomas**, Prœmium *in Metaph.* ; — *Ibid.*, lib. IV, lect. 1. — 4. **Littré**, *Conservation*, 1852, n. 38 ; — **Taine**, *De l'intelligence*, t. II, l. IV, p. 492. — 5. **De Raeymaeker**, *Ibid.*, II, p. 233-241.

2. Quid ex dictis inferatur de Ontologiæ MOMENTO [1] ?

I. — **Excellentia** cujusdam scientiæ speculativæ, ut est Ontologia, ex dignitate *objecti*, et ideo *principii* eruitur. Sed Ontologia altissimas et omnibus communes entis rationes ut objecta speculatur ; unde spiritualissimo lumine intellectus, supra materiam elevati, solummodo percipi potest. Ergo ex duplici et omni parte apparet excellens scientia.

II. — **Utilitas** etiam Ontologiæ maxima et multiplex est.

Imprimis et negative utilis est *ad obturandam viam erroribus* : nam, experientia teste, philosophi sæpissime prolapsi sunt in errores pessimos, præcipue de Deo et de anima, eo quod ignorabant aut falso sensu capiebant notiones essentiæ, substantiæ, personæ, accidentis, et alias hujusmodi.

Positive utilis est aliis *partibus* philosophiæ et *scientiis omnibus*. Siquidem omnes de entibus in specie pertractant, Ontologia autem de ente in universum : item, omnes adhibent notiones entis, essentiæ, veri et boni, substantiæ et accidentis, causæ et effectus, quas definit Ontologia ; tandem omnes innituntur principiis contradictionis, causalitatis aut finalitatis, quorum Ontologia stabilit fundamentum. Ideo *objectum*, *definitiones* et *principia*, omnibus scientiis communia, scrutatur et illustrat.

Hinc Ontologia merito dicitur jubar et lumen scientiarum, veluti *pharus* sine quo cunctæ manent obtenebratæ.

Unde Metaphysicus, sicut et Logicus, dicere potest : « En traçant des règles à toutes les sciences à la fois, je ne ferai pas comme ceux qui, voulant connaître un temple, se promènent une lampe à la main, de chapelle en chapelle, et en éclairant une partie du temple laissent son immensité dans les ténèbres. Je la suspendrai au milieu de la voûte et tout le temple sera éclairé [2]. »

III. — Imo **necessaria** est Ontologia iis qui Theologiæ studio incumbunt, — teste *Suarezio*, qui sua Commentaria in Theologiam intermisit, usquedum Metaphysicæ jecerit fundamenta, dicens : « In dies luce clarius intuebar, quam illa divina ac supernaturalis Theologia hanc humanam et naturalem desideraret ac requireret [3] ». — Et *sane*, sine notionibus essentiæ, substantiæ, naturæ, personæ, qualitatis in genere et præsertim habitus, relationis, et aliarum, tractatus de SS. Trinitate, de Incarnatione, de Gratia, de Fide, etc... intelligi

1. **Mercier**, *Ontologie*, n. 6-13. — 2. **Baco**, *De dignitate et augmentis scientiarum*. — 3. **Suarez**, Prol. in *Disput. Metaphys.*, t. XXV, in init.

nequeunt. « Unde sequitur ex inscio imperitoque *philosopho* fieri nunquam doctum *theologum* posse [1]. »

3. Quomodo Ontologia DIVISA fuerit et DIVIDI possit [2] ?

A. — **In præterito**, *imprimis* Aristoteles, qui Ontologiæ parens jure habetur, omnes quæstiones Ontologicas pertractavit, posterisque reliquit celeberrimam entium divisionem in decem categorias. — Cujus opera, dein in quatuor et decem libris Metaphysicorum divisa, scholastici [3] commentariis exornarunt, copiose disputando de istis quæstionibus altissimis et difficillimis, quæ philosophiæ profunditatem et Ethicæ basim attulerunt.

Sæculis autem *proxime elapsis*, ex triplici parte accidit Ontologiæ contemptus. Nam Cartesiani in subjecto cogitante philosophiam fere totam coarctaverunt ; multi post Baconem scientiis experimentalibus exclusive aut nimis intenti, putant existere sola facta sensibilis experientiæ, ut Stuart Mill, Comte, Littré et Taine, positivistæ ; denique post Hume qui phænomena tantum sine substantiis agnoscit, Kantiani conceptus seu notiones Metaphysicæ sine objecto esse dicunt, vel nesciunt utrum modi concipiendi sint modi essendi (agnosticismus).

Unde in gymnasiis *hodiernis*, mos invaluit nimis breviter explanandi notiones Ontologiæ : quæ in libris universitariis neque scientiæ rationem, neque divisionem habent.

B. — **Juxta nos, quatuor** in consideratione cujuslibet rei per ordinem semper occurrunt [4]. Nam *primo* consideratur res ipsa absolute, *secundo* in quantum est talis aut talis, *tertio* secundum quod inest ei multiplex virtus ad operandum, *quarto* secundum habitudinem quam habet ad causata. Similiter quæritur : 1° quid sit ens ? — 2° quænam sint ejus proprietates ? — 3° quomodo dividatur in categorias generales ? — 4° tandem quænam sint causæ entium ? Unde in *ente* quatuor sunt, videlicet, *natura*, *proprietates*, *categoriæ* et *causæ* : en objectum Ontologiæ quæ igitur recte dividitur in quatuor libros [5].

Jamvero quadruplex liber dirigitur, quisque pro parte sua, primus adversus idealistas et empiristas, secundus contra falsas recentiorum theorias de vero, bono et pulchro, tertius et quartus adversus phænomenistas et cartesianos necnon omnes positivistas, de quibus supra.

Et sic manifesta est hujusce divisionis legitimitas et utilitas.

1. **Pius XI**, Litt. apost. *Unigenitus Dei Filius*, ad summos moderatores, 1924. — 2. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 73, 113, 132, 275, 282-VII, etc. — 3. **S. Thomas**, *In Metaphys.*, lib. IV, lect. 1. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 39, a. 8, c. — 5. Cf. **Zigliara**, *Œuvres phil.*, t. III, p. 205 ; — **A. Marc**, *La méthode d'opposition en Ontologie thomiste*, in *Rev. néo-scol.*, mai 1931 ; — **A. Forest**, *La structure métaphysique du concret selon S. Thomas*, 1931.

4. Ecce brevis SYNOPSIS totius Ontologiæ.

ONTOLOGIA

- **LIBER Ius — DE NATURA ENTIS**
  - I. *De Notione.*
    1. De Entis definitione.
    2. De — conceptu.
    3. De — negatione.
  - II. *De Divisione.*
    1. De Potentia.
    2. De Actu.
    3. De Relationibus utriusque.
  - III. *De Essentia.*
    1. De Essentiæ notione.
    2. De Essentiarum cognoscibilitate.
    3. De Essentiarum proprietatibus.
  - IV. *De Existentia.*
    - De Existentiæ natura.
  - V. *De Possibilitate entis.*
    1. De Possibilium natura.
    2. De Possibilium fundamento.
- **LIBER IIus — DE PROPRIETATIBUS ENTIS**
  - I. De Proprietatibus *transcendentalibus.*
    - 1a De Unitate.
      1. De Unitate.
      2. De Identitate.
      3. De Distinctione.
    - 2a De Veritate.
      1. De Veritate.
      2. De Falsitate.
    - 3a De Bonitate.
      1. De Bono.
      2. De Malo.
  - II. De Proprietatibus *universalissimis.*
    - 1a De Ordine.
      - Notio, species, causa.
    - 2a De Pulchro.
      1. Theoria pulchri.
      2. De Arte.
    - 3a De Perfectione.
      1. De natura Infiniti.
      2. De conceptu Infiniti.
- **LIBER IIIus — DE CATEGORIIS ENTIS**
  - I. *De Substantia.*
    1. De Substantiæ notione.
    2. De — realitate.
    3. De — speciebus.
    4. De — individuatione.
    5. De — subsistentia.
  - II. *De Accidentibus.*
    - A. In genere.
      1. De Accidentium natura.
      2. De — divisione.
      3. De — distinctione.
      4. De — separabilitate.
    - B. In specie.
      1. De Quantitate.
      2. De Qualitate.
      3. De Relatione.
      4. De Actione et passione.
      5. De Ubi et Quando.
      6. De Situ et Habitu.
- **LIBER IVus — DE CAUSIS ENTIS**
  - I. *Procemium de causis.*
    1. De natura causalitatis.
    2. De divisione causarum.
  - II. *De Causa efficiente.*
    1. De notione et speciebus.
    2. De existentia causalitatis.
    3. De principio causalitatis.
  - III. *De Causa materiali et formali.*
    - Notio.
    - Modus causandi.
  - IV. *De Causa finali.*
    1. De natura causarum finalium.
    2. De existentia causarum finalium.
  - V. *Conclusio de causis.*
    - De nexu causarum et effectuum.

LIBER PRIMUS ONTOLOGIÆ

DE NATURA ENTIS [1]

5. Notio entis abstractissima est prima quæ « cadit [2] » in intellectu. Ens vero minus abstracte concipi nequit sine modis quibus *dividitur* aut notis quibus constituitur, sc. omne ens habet suam *essentiam*, quæ tandem vel *existit*, vel est mere *possibilis*. Unde liber primus dividi potest in quinque capita : Ium *De Notione*, — IIum *De Divisione*, — IIIum *De Essentia*, — IVum *De Existentia*, — Vum *De Possibilitate entis.*

CAPUT PRIMUM

DE ENTIS NOTIONE

Ad pleniorem ejus notionem, ens considerandum est : 1° objective seu in sua *Definitione* ; 2° subjective in suo *Conceptu* ; 3° in sua *Negatione* seu in conceptu nihili.

ARTICULUS I

De Definitione entis.

6. Quid sit ens quoad NOMEN et quoad REM et QUOTUPLEX [3] ?

A. — **Logice**, verbum *esse* usurpari solet ut copula inter duos propositionis terminos ; ita dicimus Petrum esse hominem (Log., n. 57). — **Ontologice, vox illa** *ens* tria significat : sc. ens concretum essentia et existentia, — essentiam solam — existentiam tantummodo.

a) Est *participium* verbi *esse* : et in hoc sensu, designat *aliquid* realiter et actualiter in natura *existens*, ut legens, amans et similia [4]. Participium enim habet actu formam, quæ est in infinitivo, sicut amans ille est qui actu habet amorem.

b) *Substantive ens* sumitur ut nomen, et exprimit *essentiam* seu subjectum existentiæ, sive sit reale, sive mere possibile [5].

c) *Existentiam* dicit, nam ens imponitur ab actu essendi [6].

1. **S. Thomas**, Opusc. *De ente et essentia* ; cf. éd. *Roland-Gosselin* (Mélanges thom. VIII) ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 42 ; — **A. Marc**, S. J., *L'idée de l'être chez S. Thomas et la scolastique postérieure*, in *Arch. de phil.*, vol. X, cah. I. — 2. **S. Thomas**, *In I Sent.*, dist. VIII, q. 1, a. 3. — 3. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, I, p. 13. — 4. **S. Thomas**, *In II Sent.*, dist. XXXIV, q. 1, a. 1 ; — **Aristoteles**, *V Metaph.* ; — **Garin**, *La théorie de l'idée*, 1932, II, p. 942 et seq. — 5. **Sanseverino**, *Ontol.*, c. V, n. 208 ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 15 et 54. — 6. **S. Thomas**, *In I Sent.*, dist. XXXIII, q. 1, ad 1.

Nota. Hinc *esse*, sicut *ens*, sumitur pro copula propositionis, pro existentia aut pro essentia aut pro utraque simul, sed in lingua thomistica, quando *ens* et *esse* opponuntur, esse pro existentia et ens pro essentia usurpantur [1] : quo in casu ens abstrahit ab existentia, quam importat participium.

B. — **Quoad rem** : 1° Ens proprie *definiri nequit*. Nam definitio logica duobus elementis, sc. *genere* proximo et *differentia* specifica constare debet (Log., n. 141) ; sed ens non pluribus, sed uno constat elemento simplicissimo et analogo omnibus rebus in quibus quasi imbibitur ; ideo definiri non potest. Hinc est cur a philosophis dicatur *transcendentale*, quia transcendit omne genus et omnem differentiam.

2° Verumtamen notio entis *explicari potest* : modo vulgari, ens est *quidquid existit* (ens *actuale*) *vel existere potest* (ens *possibile*) ; — scientifice, juxta S. Thomam, ens est *id cujus actus est esse*, nempe id = ens, cujus = potentia, actus = essentia, est = vinculum convenientiæ inter subjectum et prædicatum, esse = existentia : ergo ens est *id omne cujus est existere*, sive in mente, sive extra mentem.

7. C. — **Totuplex est** enim ens in universum, — cum dicitur ab esse, — quotuplex datur modus habendi *esse* seu existentiam. Hic autem modus duplex est, prout habetur esse vel objective *in rerum natura*, vel subjective solum *in apprehensione* intellectus : siquidem existentia vel est actualis aut saltem actuabilis extra mentem, *ut homo* ; vel non actuabilis, *ut nihilum, genus*. Quare ens dividitur in ens *naturæ* et ens *rationis*.

1. Ens naturæ vocatur *reale*, *ontologicum* et proprie dictum. Duplex est : *infinitum* vel *finitum*. — Ens autem finitum est vel in *actu* vel in *potentia*, prout jam habet existentiam explicitam vel tantum implicitam in causis suis (n. 15). Utrumque dividitur in decem categorias (n. 113), et, ratione ordinis est *intellectuale*, v. g., cogitatio ; *physicum*, ut corpus, anima ; *metaphysicum*, v. g., substantia, accidens ; *morale*, puta actus liber.

2. Ens *rationis* vocatur logicum, ideale et improprie ens. Duplex est : aliud *sine fundamento* in rebus, ut nihilum, circulus quadratus ; aliud *fundatum* in *relatione* intellectus speculativi cum rebus cognitis, sicuti *negationes*, v. g. nescientia in lapide ; *privationes*, v. g. ignorantia in Petro ; *intentiones*

1. *In IV Metaph.*, lect. 11.

universalitatis, v. g., genus *animal* et aliæ notiones generis et speciei. — Ab utroque differt ens reale de quo in Ontologia.

Ens est :
- 1. *naturæ*
  - Infinitum : actus purus
  - Finitum
    - In actu.
    - In potentia.
  - Est substantia vel accidens.
  - Quoad ordinem est
    - physicum.
    - intellectuale.
    - morale.
    - metaphysicum.
- 2. *rationis*
  - a. Sine fundamento *reali*, v. g. nihilum.
  - b. Cum fundamento *reali*, v. g. genus, species.

8. Quænam sint EXTENSIO et COMPREHENSIO notionis entis ?

I. — Notio transcendentalis entis *extenditur ad omnia*. Nihil enim existere, esse, aut concipi potest nisi habeat rationem entis ; ideo necesse est entis notionem de omnibus prædicari.

II. — An tamen *eodem sensu* dicatur de omnibus quibus tribuitur, vel sensu penitus diverso vel sensu tantum analogo ?

Primum asserit Scotus distinguendo esse ab essentia, quasi esse seu actu existens a parte mentis, indeterminate sumptum, esset *univocum*, utpote conceptualiter neutrum ad quodcumque ens, licet a parte rei seu per essentiam suam entia diversa sint *analoga* : « Soit l'idée du non-néant : c'est la transcendance ou univocité logique que patronne Scot [1]. » Cujus ideo systema a suis asseclis dicitur *univoco-analogicum* et contra quem sit

THESIS

Ens non univoce, nec tamen prorsus æquivoce, sed analogice tantum dicitur de omnibus quibus convenit [2].

A. — **Non univoce** (Log., n. 35) seu secundum eamdem omnino significationem, sicut, v. g., *ratio* tribuitur Petro et Joanni. Nam duo præsertim (n. 6) designat notio entis, sc. *ens* et *esse* : sed neutrum univoce convenit omnibus ; v. g., infinito et finito, nam ens et esse in Infinito idem sunt, in creaturis sunt diversa (n. 34) ; item substantiæ et accidentibus « non eadem ratione competit esse, sed substantiæ quidem per se, aliis autem aliter [3] » : ergo.

Quapropter ens non est species, imo nec genus supremum sub quo omnia continentur. Genus enim specificari debet differentia quæ sit distincta ab ipso genere ; porro nihil inveniri potest quo specificetur notio entis, quod non sit ens ; ergo ens « nec est genus, nec differentia [4] », sed transcendentale. Unde errant pantheistæ, qui asserunt ens univoce de omnibus

1. **S. Belmond**, *Etudes sur la philosophie de Duns Scot*, I, 1913, p. 331 ; — *L'univocité scotiste*, in *Revue de phil.*, août 1912, fév. 1913 ; — *Etudes franciscaines*, 1911 ; — **Scaramuzzi**, O. F. M., *Duns Scoto Summulæ*, 1932, p. 147-153. — 2. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 291. — 3. **S. Thomas**, *Quodlib.*, II, a. 3. — 4. **S. Thomas**, *Ibid.*

esse prædicandum, — necnon alii qui contendunt entis notionem esse genus supremum et ideo univocum, omnia sive infinita, sive finita, complectens : ex quo sequeretur Deum esse in genere (Theod., n. 58).

B. — **Non est prorsus æquivoca** notio entis, sc. non applicatur secundum significationem absolute diversam objectis quæ nihil habent commune, sicut, v. g., canis dicitur de animali et de constellatione : secus haberetur, v. g. de Deo, cognitio vana et sophistica, quod in Theodicea (n. 43) rejicitur.

C. — Ergo **jure dicitur analoga**. Analogia enim invenitur inter ea quæ, licet inter se diversa, quamdam similitudinem aut dependentiam implicant. Sed unam aut alteram importat notio entis ; v. g., esse de solo Deo essentialiter dicitur, de qualibet autem creatura per participationem. Ens igitur latissime sumptum omnibus *analogice* tribui debet, « analogia sc. tum attributionis, tum proportionalitatis [1] » (Log., n. 35).

Non ergo probandus est Scotus, qui instanter asseverat univocationem conceptus, saltem entis transcendentalis, *quatenus* a parte mentis indeterminate concipitur. — Sed contra : hæc univocitas vel est mere logica et tunc refertur ad copulam in propositionibus [2], est inutilis in metaphysica et prorsus spernenda [3] ; vel est realis et tunc ex ea pronum erit concludere quod supra diximus entis notionem esse genus supremum, et quidem imbibitum diversis entibus, inter quæ, quoad modalitatem suam tantum, scotistæ admittunt analogiam.

Rectius S. Thomas : « Deus alio modo se habet ad esse, quam aliqua alia creatura : nam ipse est suum esse, quod nulli alii creaturæ competit : unde nullo modo univoce de Deo et creatura prædicatur [4] ». — Item, alio modo Deus se habet ad *nihilum* quam creatura, sc. Deus opponitur nihilo *absolute*, creatura tantum *relative* ; ergo rursus non univoce et ideo nec quoad esse sicut nec quidditate sua.

ARTICULUS II

De Conceptu entis.

9. Quid sit et undenam sit conceptus objectivus entis ?

A. — **Quid sit** ? Conceptus entis est *repræsentatio entis in mente existens intelligibiliter*. Unde in conceptu entis duo sunt :

1. **Thesis thomistica IVa** ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 198-200 ; — cf. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 201 et 334. — 2. **Pénido**, *Le rôle de l'analogie*, 1931, p. 44. — 3. *De potentia*, q. VII, a. 7, c. — 4. Cf. *Revue néo-scolastique*, an. 1911, p. 93, 1929, p. 148 ; — *Revue thomiste*, 1912, passim ; — *La notion d'analogie*, in *Revue des sc. phil. et théol.*, avr. 1921 ; — **D'Alès**, *Dict. apol.*, I, col. 1013 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 309-4°.

forma subjectiva seu actus, quo mens sibi ens repræsentat, et ipsa res, quæ ipso actu mentis concipitur : in hoc posteriori sensu vocatur *objectivus*.

Rursus, conceptus objectivus secundum duplicem statum habetur in mente, sc. est *directus* vel *reflexus*. Prior habetur per *spontaneam* entis apprehensionem, statim ac quædam res cadit in intellectu, et dicitur notio entis *directa* ; posterior autem quasi per reversionem mentis super ens apprehensum, ut perfectius et per comparationem philosophice cognoscatur, et dicitur notio entis *reflexa* (Log., n. 27).

Unus est tamen entis conceptus ob unitatem sui objecti, saltem imperfectam, quia a cæteris conceptibus, confuse solum, distinguitur.

10. B. — **Undenam sit ?** — *Quoad* originem *hujus conceptus*, Idealistæ et inneistæ, Hegeliani et Ontologistæ, sceptici etiam contradicunt scholasticis, juxta quos :

1° Notio entis non est innata sed acquiritur facillime per abstractionem præcisivam et imperfectam. — Per *abstractionem* : ens enim in genere est quid indeterminatum et pluribus commune, sed notiones hujusmodi per abstractionem acquiruntur, ergo et notio entis. — Per abstractionem *præcisivam*, qua sc. ens consideratur separatim sed non separatum ab aliis, distinctum ab omnibus aliis et simul imbibitum in omnibus rebus. — Per abstractionem *impropriam* : non enim est perfecta, sicuti esset a subjecto, abstractio, v. g., generis aut speciei aut qualitatis, sed imperfecta cujus ope objectum *totum* sed modo *confuso* repræsentatur. — Et ideo *facillime*, ob perspicuitatem et universalitatem entis, obtinetur hæc abstractio per modum simplicis et absolutæ considerationis [1].

Unde erraverunt *idealistæ* qui, duce Kant, tenuerunt ideam entis esse a priori conceptam *sine abstractionis* auxilio, — vel cum Rosmini, non esse acquisitam, sed *innatam* [2].

11. 2° Conceptus entis est primus et ultimus chronologice.

Re quidem vera, quod est magis et facilius intelligibile, primum est chronologice, quia intellectus procedit e magis notis ad minus nota. Atqui notio entis *directa*, utpote omnibus rebus communis, maxime est intelligibilis ; nam, veritas eo magis est cognoscibilis, quo magis est generalis et indeterminata, sicut in parte sensitiva, v. g., puer prius et facilius

1. Cf. **Mercier**, *Ontol.*, n. 10. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 85, a. 1, ad 1 et ad 2 ; — q. 87, a. 3, ad 1.

« distinguit hominem a non homine, quam distinguit hunc hominem ab alio homine [1] ». Unde notio entis *directa* in ordine chronologico est omnium prima.

Sed non ita est de notione *reflexa*. Acquiritur enim per comparationem variorum modorum entis : 1° distinguendo elementa communia ab elementis non communibus in variis individuis, v. g., in Petro et Paulo, in variis accidentibus, in variis substantiis, in accidentibus et substantiis, in potentiis et actibus, in essentia et existentia, in ente creato et ente Increato, in ente logico et ente reali ; 2° considerando in his omnibus ens primo in confuso, dein satis perfecte, ut « id cujus actus est esse » per ultimam reversionem intellectus possibilis super varia apprehensa [2].

Hæc igitur notio nonnisi cum magno labore determinatur, quia, ut ait Aristoteles, « universalia sunt maxime difficilia ad cognoscendum » : imo, quatenus abstracta formaliter a speciebus et generibus, « forte adhuc viris doctissimis non innotuit [3] » ; quare pertinet ad supremam scientiam, sc. ad metaphysicam, et, quia *scientifica*, tardior est.

Errant igitur, qui ordinem ontologicum ab ordine logico non secernunt, asseruntque ens universale, quod primum ab intellectu percipitur, non esse abstractum, sed concretum : — imprimis *Hegeliani*, juxta quos illud ens est Ens-idea, et ipsum existit ; — sed etiam *Ontologistæ*, qui asserunt ens illud esse Ens absolutum, nempe Deum.

12. 3° Conceptus entis primus et ultimus est in ordine LOGICO.

Notio entis *spontanea* est prima *logice*. Id enim logice primum est sine quo nihil potest apprehendi ab intellectu, et in quod aliæ notiones resolvuntur [4]. Sed, ex una parte, non potest apprehendi quidquam, quin ens includatur in ejus conceptu, v. g., substantia et accidens sunt entia ; ex altera parte, cæteræ notiones resolvuntur in entis notionem, hæc vero in aliam magis communem resolvi nequit, nam eliminato de homine, de animali et aliis, quod sunt corpora, quod sunt substantiæ..., nihil restat, nisi quod *sunt*. Ergo logice prima est, et ab illa omnes aliæ notiones quodammodo pendent.

Notio autem entis *scientifica* posterior est aliis notionibus, quum resolutione et analysi ultimo habeatur, ut dictum est.

Quum tales sint dotes conceptus entis, errant qui *scepticismum* profitentur de primigenia intellectus operatione : « Les premiers pas de la conception et du jugement, ait Reid, sont cachés dans une région inconnue, comme les sources du Nil [5]. »

1. **Sum. theol.**, I, q. 85, a. 3, c. — 2. **Collin**, *Op. cit.*, I, p. 176 ; — **Hugon**, *Op. cit.*, *Metaph.*, II, p. 18 ; — **Gredt**, *Op. cit.*, II, p. 6. — 3. **Cajetanus**, *De ente et essentia*, proœm. — 4. **S. Thomas**, *In I Sent.*, dist. VIII, q. 1, a. 3. — 5. *Essai sur les facultés intellectuelles.*

ARTICULUS III

De Nihilo seu Negatione entis [1].

13. Quid et quotuplex sit NIHILUM ?

A. — *Nihilum* dici potest **non-ens** seu *negatio entis*, absentia entitatis. Nempe primum innotescit entis notio, deinde vero concipimus entis negationem, ideoque nihilum. Unde nihilum simpliciter est quidquid non existit.

De quo S. Augustinus : « Nihil nec corpus est ullum, nec spiritus, nec his substantiis aliquid accidens, nec ulla informis materies, nec inanis locus, nec ipsæ tenebræ, sed prorsus nihil [2]. »

B. — 1° Ratione **extensionis**, adest nihilum *totale* seu absolutum, quod est negatio omnis realitatis, et nihilum *partiale* seu relativum, quod est negatio alicujus tantum partis seu gradus entis. Sic, v. g., status mortis est negatio partialis entitatis, quæ vita dicitur, item circulus mere possibilis est nihilum *existentiæ* ; dum nihilum *essentiæ*, v. g., circulus quadratus, removet tum existentiam, tum essentiam, unde dicitur nihilum absolute, et simpliciter nihilum.

2° Ratione **subjecti**, nihilum est *negativum* vel *privativum*. Prius est carentia cujuslibet realitatis *non debitæ*, seu significat simpliciter aliquid non esse : v. g., nescientia in lapide. Nihilum autem privativum seu positivum exprimit defectum perfectionis cuidam subjecto *debitæ* ; sic, ignorantia in Petro. — **Ex quo** patet privationem non esse ens, sed negationem alicujus entis in subjecto, at negationem a subjecto omnino præscindere, utramque vero esse ens rationis (n. 7).

14. Utrum, quomodo et quando nihilum COGNOSCI possit ?

Adversus Hegel et sophistas, Parmenidem et Bergson dico :

A. — Nihilum **per se cognosci nequit**. Et vero, ens solum est cognitionis objectum : sed nihilum non est ens ; ergo concipi nequit nisi per comparationem ad ens, sc. ut mera entis negatio vel privatio. « La science ne peut avoir le néant pour objet... Le néant n'a ni essence, ni propriété, ni rapports [3]. »

Quantus ergo sit error modernorum sophistarum qui asserunt ens non esse magis reale quam nihilum ! « Le néant est une catégorie plus riche que l'être, ait unus ex illis. Le néant a donc autant

1. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, I, n. 33-34. — 2. *Opus imperfect. contra Julian.*, c. V, n. 44. — 3. **Balmès**, *Philosophie fondamentale*, 1846, t. III, ch. III, p. 338.

de droit à l'existence que l'être lui-même [1]. » Nec dissentit Hegel, juxta quem *ens* et *non-ens* (seu existere et non existere) in ente potentiali seu fieri seu *ente-nihilo* identificantur, non secus ac in speciebus inferioribus homo et brutum identificantur in uno genere, quod est animal.

B. — **De nihilo habetur conceptus rationis**, non vera imago quidem, sed notio *subjectiva* : alioquin de nihilo nec loqui, nec cogitare possemus. Et ideo ratio de eis (negationibus) negotiatur quasi de quibusdam entibus, et sibi eas repræsentat cum aliquo signo (Psych., n. 94).

Est contra Parmenidem et quosdam recentiores, v. g., Franck, qui putant nihilum nullo modo cogitari posse, — vel asserunt esse quid contradictorium, v. g., Bergson : « L'idée du néant est une idée destructive d'elle-même, une pseudo-idée, un simple mot ; un mirage de représentation. L'idée d'une abolition de tout est aussi absurde que celle d'un cercle carré [2]. » Hac autem admissa nihili absurditate, omnia sunt necessaria.

C. — Quare notio entis **prior est**, prioritate naturæ et idealitatis, notione nihili. Ens enim non est negatio nihili, sed e contra nihilum est negatio entis. Ergo *per* ens, et ideo *post* ens, nihilum concipitur, cum negatio affirmatione posterior sit.

Corol. — Ex conceptu entis sequitur immediate primum principium ontologicum : *ens est ens*. Cui si additur conceptus nihili oritur jam principium contradictionis (n. 48) [3].

CAPUT SECUNDUM

DE DIVISIONE ENTIS [4]

Quidquid existit, ait Aristoteles, est in potentia vel in actu [5]. Sunt ergo *actus et potentia* duo entis modi, metaphysice et realiter distincti quos elucidare necesse est, ut clarior fiat natura tum essentiæ, tum existentiæ.

15. Quænam sit actus et potentiæ NOTIO PRÆVIA et HISTORICA?

A. — Actus et potentia **stricte definiri nequeunt** ; nam, prima et simplicia definiri non possunt, quum non sit in definitionibus abire in infinitum [6] » ; actus autem et potentia sunt notiones primæ et simplices (n. 6).

a) *Recte* tamen *intelliguntur* « per proportionem aliquorum

1. **Michelet**, *Esquisse de Logique*, 1835. — 2. *L'évolution créatrice*, 1907, p. 307 ; — *Les deux sources de la morale et de la religion*, 1932, p. 269 ; — cf. **Farges**, *Théorie fond.*, p. 203-210. — 3. **Mercier**, *Ontol.*, n. 68. — 4. **Wébert**, *Op. cit.*, p. 125 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 70 ; — **De Raeymaeker**, *La structure de l'être fini*, in *Revue néo-scol.*, 1932, p. 187. — 5. **Aristoteles**, *Metaphys.*, lib. VIII, cap. IV, n. 4. — 6. **S. Thomas**, *IX Metaphys.*, lect. 5.

duorum ad invicem, ut si accipimus proportionem ædificati ad ædificabile, et vigilantis ad dormientem, et ejus qui videt ad eum qui habet oculos clausos, quum habeat potentiam visivam [1] ». Quum enim, v. g., visio perficitur, tunc oculos habet in actu « ἐνεργικῶς » id quod antea non habebat nisi in potentia « δυναμικῶς » ; et ita in aliis exemplis.

b) Est ergo actus *determinatio et perfectio seu complementum*, quo ens in potentia privatur : ens vero in potentia est status rei jam existentis, sed in esse incompleto et imperfecto, ut pullus in ovo ; gallice, « *ce n'est encore qu'un devenir* [2] ».

B. — Jamvero, **si historiæ fides**, actus et potentia sunt maximi momenti et totius peripateticæ philosophiæ clavis et fundamentum [3]. Optime Kleutgen : « Les philosophes grecs plus anciens qu'Aristote s'entortillent en toutes sortes de difficultés, parce qu'ils distinguent seulement ce qui est et ce qui n'est pas, sans faire attention que ce qui est peut être en acte ou actuellement (actu, ἐνέργεια) ou bien seulement quant à la puissance (potentia, δύναμει) [4]. »

Ante Aristotelem enim, Parmenides et Zeno profitebantur immobilitatem entis quod est vel non et ideo motum et τὸ fieri negabant, dum e contra Heraclitus docebat omnia fieri et versari in perpetuo motu. *Utrumque excessum* renovarunt *moderni*, dum alii, post Cartesium, Leibniz et Herbart, non agnoscunt entia nisi in actu, alii e contra cum Hegel et Bergson in fluxu perenni tantum : nam uterque Deum-Ideam aut Deum-conscium in perpetuo fieri constitutum, sicque primatum potentiæ propugnavit [5].

De his accuratius dicendum est [6] in triplici paragrapho : 1us *De Potentia* ; 2us *De Actu* ; 3us *De utriusque Relationibus*.

§ I. — *De Potentia.*

16. QUID et QUOTUPLEX sit potentia ?

A. — **Potentia** proprie dicta (a verbo *posse*) dici debet : *capacitas realis ad aliquid agendum aut patiendum*.

1° Est *capacitas* seu aptitudo, habilitas : in quo convenit cum potentia logica et ideali, quæ improprie et æquivoce vocatur potentia, cum sit potius simplex *possibilitas*, de qua in capite sequenti dicendum habemus (n. 36).

2° Est *capacitas realis*. Videlicet, est aliquid in ipsa re seu in subjecto jam existens et hoc sensu dici potest *subjectiva*. Hæc igitur est quid reale, dum possibilitas *objectiva*, v. g., circuli non existentis, est quid mere ideale.

1. **S. Thomas**, *Ibid.*, lect. 5. — 2. **Farges**, *Théorie fondam.*, 7e édit., p. 107. — 3. **Thesis thomistica Ia** ; — cf. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, I, p. 97-105. — 4. *La phil. scol.*, t. III, ch. 1, a. 3 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 26-27. — 5. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 471, 570. — 6. **Farges**, *Ibid.*, 1re partie ; — **Mercier**, *Ont.*, n. 181-192 ; — cf. **Baudin**, *L'acte et la puissance dans Aristote*, in *Revue thomiste*, 1899.

3° Dicitur capacitas *ad aliquid agendum aut patiendum*; in utroque casu differt ab actu, quia potentia per se dicit imperfectionem, seu absentiam alicujus ad quod ipsa refertur.

17. B. — **Duplex est**, nam 1° Ratione *sui*, potentia subjectiva vel est aptitudo ad aliquid *agendum*, ut in homine intellectus agens, vel est aptitudo ad aliquid *recipiendum*, « ita dicimus in marmore, vel ligno, vel tela esse potentiam passivam ad recipiendas figuras ab aliquo agente [1] ». Unde potentia subjectiva primo dividitur in *activam* seu operativam et *passivam* seu receptivam.

Jamvero utraque est *proxima* vel *remota*, quatenus ad actum statim et immediate reduci potest, vel ad eum per diversos gradus disponi quærit. Sic puer remotam, juvenis autem edoctus proximam habet potentiam ad mathesim.

2° Ratione *ordinis*, potentia est *ordinis naturalis* vel *supernaturalis*. Prior est facultas agendi vel recipiendi ea quæ sunt secundum exigentias et vires naturales. Posterior autem est virtus infusa seu facultas agendi vel recipiendi quæ superant exigentias et vires naturæ.

Nota. — Præter potentiam ad agentia naturalia ordinatam, datur in omni creatura potentia omnino passiva seu *obedientialis* quæ obedit ad nutum potentiæ divinæ et quæ nunquam totaliter adimpletur.

18. Utrum EXISTAT in ente reali status potentiæ ?

Negant Eleatici (Zeno) apud veteres, et apud recentes Cartesiani, Leibniziani et alii (Herbart, Fouillée) juxta quos quidquid existit, complete actuatum est. Sed contra sit

THESIS

Datur in entibus mundi status potentiæ, etiam mere passivæ [2].

Prob. : — 1° **ex factis vulgatissimis** tum externis, tum internis et consciis. Nam res mundanæ certo moventur, agunt et reagunt, sicque evolvuntur variis modis : nascuntur res novæ et transeunt sive de non esse ad esse, sive a tali esse ad aliud esse ; v. g., cogito, ambulo, patior... Porro hi motus non sunt creationes novæ, sed evolutiones seu transitus de potentia ad actum. Ergo existit in entibus mundanis potentia, etiam mere passiva.

Constat — 2° **ex factis scientificis** innumeris mechanicæ, physicæ, chimiæ et biologiæ ; sic substantia salis in elementis « chloro et sodio », aut aqua in « hydrogenio et oxygenio », potentialiter continebantur. — Item scientia constat totum

1. **S. Thomas,** *In V Metaph.*, lect. 14. — 2. **Farges,** *Théorie fondam.*, 1[re] p., ch. 3.

animalis aut plantæ organismum in suo germine non contineri actu etiam infinitesimo, sed in potentia tantum, modo inextenso, et, ut ita dicam, quasi spirituali.

Confirmatur — 3° **ex absurdis** adversæ sententiæ. Negato enim statu potentialitatis, tunc potestas ædificandi, scribendi, etc... non habetur nisi quum exercetur ; ex quo homo in somno est cæcus et doctor in otio ignarus ; sicque omnis progressus a fortiori motus ad vitam vel ad mortem, fit impossibilis.

Notio igitur potentiæ, quæ ordinatur ad τo *fieri*, est clavis totius evolutionis mundi.

§ II. — *De Actu.*

19. QUID et QUOTUPLEX sit actus ?

I. **Triplex est sensus** : in *vulgari*, « nomen actus (a verbo *agere*) primo fuit attributum operationi ; sic enim quasi omnes intelligunt actum [1] », nempe veluti perfectionem agentis.

2. In sensu *stricto*, actus (ἐντελέχεια, ἐν-τέλος-ἔχω) est id quo potentia determinatur et perficitur. Unde *esse in actu* significat rem habere suum complementum, dum *esse in potentia* significat non habere nisi incompletam existentiam et quasi involutam in causis. — Transitus de potentia ad actum dicitur *evolutio* vel simpliciter *motus*, mutatio, « le devenir, le changement lui-même » (Cosmol., n. 57) ; transitus autem e nihilo seu de mera possibilitate ad existentiam *creatio* nuncupatur (Cosmol., n. 112).

3. *Latissimo* sensu, actus seu « actus metaphysicus » idem sonat ac esse existens et opponitur meræ possibilitati, cujus est quasi perfectio.

20. Duplex est genus actuum, nempe — *a*) Ratione *naturæ* est *actus existendi* et *actus essendi*. Actus autem essendi vel rem determinat quoad esse substantiale, ergo ad esse talis talisve speciei, et dicitur actus *essentiæ*, id, v. g., quo materia est ferrum et non lapis : vel rem accidentaliter perficit, ut doctrina in homine, et dicitur *proprietas*, *accidens* aut *modus* [2].

b) Ratione *ordinis*, actus est *primus* vel *secundus*, prout tanquam prior aut posterior concipitur esse in aliquo ente. Sic in ordine *rei*, — non tamen in ordine cognitionis, — operatio est actus secundus relative ad animam ipsam [3].

c) Ratione *perfectionis*, datur actus *non purus* et *purus*,

1. **S. Thomas,** *De potentia*, q. 1, a. 1. — 2. **S. Thomas,** *Ibid.* — 3. **Sum. theol.,** I, q. 77, a. 1.

prout recipitur vel non recipitur in potentia. Actus simpliciter purus est Deus ; omne autem ens creatum vel est actus potentiæ, vel in potentia ad actum, ut intellectus noster.

Ideo « potentia et actus ita dividunt ens ut quidquid est vel sit actus purus vel ex potentia et actu tanquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat [1] ».

§ III. — *De Relationibus actus et potentiæ.*

21. Quænam sint actus et potentiæ RELATIONES ?

Jam si actum et potentiam conferimus ad invicem, innotescunt axiomata, quæ ad quatuor puncta referri possunt [2].

I. — Ad utriusque **perfectionem**. — 1° « *Actus melior est quam potentia.* » Imo, — 2° « *in tantum aliquid est perfectum in quantum est in actu* ; imperfectum vero, in quantum est in potentia. » Ideo, — 3° « *actus purus seu Deus omnino perfectus est* ». — Sed in creaturis, — 4° « *nullus actus inveniur finiri nisi per potentiam* [3] ». Ideo — 5° « *actus est perfectio potentiæ* » : nam, actus est id quo res perficitur. Et consequenter, — 6° « *perfectio ultima rei est ejus operatio.* »

II. — Ad utriusque **repugnantiam** aut **convenientiam.**

Ex parte repugnantiæ : — 1° « *Actus et potentia sunt contradictoria* seu potius *correlativa* » : nam sub eodem respectu nihil potest esse simul perfectum et imperfectum. Vel etiam — 2° « *actus et potentia circa idem simul esse non possunt* » ; v. g., in actu et in potentia cogitandi circa idem nemo simul versatur. Quare — 3° sub respectu statico, « *non datur medium inter potentiam et actum* » ; nam omnis conatus actualis (*effort*) potentiæ, quantumvis minimus, jam actus est [4].

Ex parte convenientiæ : 4° « *actus et potentia sunt in eodem genere* », nam essentia non mutatur, transeundo de potentia ad actum ; v. g., intellectio est ipsemet intellectus in actu. Unde 5° « *motus est medium inter potentiam et actum* », sed *ens* stabile non est.

III. — **Ad transitum** e potentia ad actum : — 1° « *Frustra esset potentia quæ non posset reduci ad actum* » ; nam, tota quanta est, ad actum ordinatur. — 2° « *Potentia autem, qua talis, nequit per semetipsam ad actum reduci, sed reducitur ab alio principio in actu.* » Potentia enim, qua talis, est

1. Thesis thomistica Iª ; — Sum. theol., *Ibid.* — cf. Garrigou-Lagrange, *Le réalisme du principe de finalité*, 1932, ch. 1er. — 2. Farges, *Théorie fondam.*, p. 360-369 ; — Sum. theol., III, q. 1, a. 3, ad 3. — 3. S. Thomas, *Compendium theologiæ*, c. 18. — 4. Farges, *Ibid.*, p. 115-119, 366.

carentia actus ; quem non posset sibi dare nisi per actum, quo, ex facta hypothesi, destituitur [1]. Hinc et est formula principii causalitatis aristotelica : « *quidquid movetur ab alio movetur* » vel ab alia parte sui ipsius jam in actu. — 3° « *Quidquid transit de potentia in actum mutatur* » ; nam omnis mutatio in hoc consistit, quod subjectum recipiat aliquid quo prius carebat : aut amittat aliquid, quo prius ornabatur. Ideo — 4° « *Ens immutabile, et illud solum, est actus purus* ; omne autem ens mutabile est compositum ex actu et potentia » ; nam ens immutabile aliquid accipere, aliquid amittere non potest, ens vero mutabile potest.

IV. — Ad utriusque **prioritatem** : — 1° Chronologice « *in re mutabili, prior est potentia quam actus* » ; ideo mutatur aliqua res, quia in ea præexistebat mutandi potentia. Sed — 2° *In se* et ontologice « *prior est actus quam potentia* » ; nulla enim potentia reduceretur in actum, nisi præexisteret actus. Quapropter, — 3° « *perfectum est simpliciter prius imperfecto* [2] ». Quod verum est in ordine dynamico sicut et statico, juxta modernorum effatum [3] : « l'union inconditionnelle du divers est impossible. »

Hinc apparet quantus sit error Heracliti et Hegelianorum inter quos Renan, Bergson et Le Roy, qui rejiciunt actum, et solam potentiam retinent : « Le grand progrès de la critique contemporaine, dit Renan, a été de substituer la catégorie du devenir à celle de l'être [4]. » — At potentia sine actu, ad quem tendit aut a quo movetur, est quid inintelligibile et omnino vanum.

CAPUT TERTIUM

DE ENTIUM ESSENTIA [5]

Datur in omni ente aliquid positivi, sine quo nec esse nec concipi valet. Hæc est illius essentia, de qua tres erunt articuli : 1us de *Notione* essentiæ, — 2us de *Cognoscibilitate* essentiarum, — 3us de *Dotibus* essentiarum.

ARTICULUS I

De Notione essentiæ.

22. Quid sit essentia quoad NOMEN et quoad REM ?

A. — Quoad **nomen**, essentia, sicut ens, e verbo *esse* eruitur,

1. S. Thomas, *In III Metaph.*, Lect. 14. — 2. Balmès, *Phil. fond.*, ch. I, n. 10 ; — Farges, *Ibid.*, p. 198. — 3. Garrigou-Lagrange, *Dieu*, 1914, p. 243, 261 ; — *Le primat de l'être sur le devenir*, in *Rev. thom.*, 1930, p. 301. — 4. Renan, *Averroès et l'averroïsme*, 1893, préf. 7 ; — cf. Farges, *Théorie fond.*, p. 192 et suiv. ; — *L'idée de Dieu*, p. 329. — 5. S. Thomas, *De ente et essentia*, c. I, II ; — Mercier, *Ontol.*, n. 16-19 ; — Wébert, *Op. cit.*, p. 170.

et est *id quo res est id quod est* « τὸ τί ἐστί ». Minus ergo abstracte sumitur quam ens : ens enim designat quidquid existit aut existere potest ; quod si abstrahatur ab existentia aut a possibilitate entis, habetur mera ejus essentia, seu res.

Quocirca essentia dicitur quintuplici alio nomine :

1° — *Quidditas*, nam sicut ens proprie respondet quæstioni : *an sit res*, ita essentia respondet quæstionis : *quid sit* res ;

2° — *Definitio*, quia definitio exprimit limites seu genus et differentiam, in quibus contrahitur essentia rei (Log., n. 141) ;

3° — *Forma* (μορφή), eo quod res per formam habet suam essentiam completam et in sua specie constituitur ;

4° — *Substantia* aut *natura*, prout consideratur ut in se subsistens, aut ut principium a quo nascuntur (natura) operationes : accidens tamen suam etiam habet essentiam ;

5° — *Ratio rei* tandem, nam essentia radix est et explicatio omnium proprietatum et actionum entis [1].

23. B. — **Quoad rem** — 1° Non exhibet S. Thomas essentiæ *definitionem proprie dictam*, sed potius meram declarationem. — Et merito quidem, nam sicut dictum est de ente (n. 6), notiones communissimæ definiri nequeunt. Sed essentia est notio communissima et ideo transcendentalis : nam omnis res, Deus aut creatura, substantia aut accidens habet id quo constituitur, habet sc. essentiam. Ergo definiri nequit.

2° Jure tamen dicitur essentia objective : *id per quod ens est id quod est et non aliud*. Seu fusius : essentia est id, quo res in se constituitur, quo reapse est aliquid, et a qualibet alia discriminari potest. Ex. g., voces *animal* et *rationale* essentiam hominis exprimunt, ipsum intrinsece constituunt et eum a quolibet alio ente secernunt.

Nec aliter essentia, *etsi sub diverso respectu*, definitur a philosophis [2] : — *a*) *logice*, in ordine ad definitionem : *id quo res quælibet in sua specie collocatur* ; — *b*) *subjective*, in ordine ad intellectum : *Id per quod res primo concipitur ab intellectu* ; — *c*) *effective*, seu respectu effectuum quos in ente producit : *Principium primum et radix omnium entis proprietatum et actionum.*

24. — QUOTUPLEX distinguatur essentia? — Realis aut idealis.

A. — **Realis est essentia** *quæ existit extra mentem nostram*, sive sit *individualis* et *concreta*, v. g., substantia Petri cum suis accidentibus aut sine ipsis numerice distincta ab aliis

1. **Aristoteles**, *V Metaph.*, *passim* ; — **S. Bonaventura**, *I Sent.*, dist. XXXI ; — cf. **S. Augustinus**, *De moribus manich.*, L. II, c. II. — 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 13.

substantiis ejusdem speciei seu tale corpus et talis anima (substantia *prima*) — sive sit *specifica* et *abstracta*, seu id quo aliqua res in sua specie collocatur, v. *g.* essentia hominis seu corpus et anima, abstractione facta notarum individuantium (substantia *secunda*).

Quapropter, in ordine *reali*, duplex est essentia, *physica* aut *metaphysica*, prout in statu existentiæ aut abstractionis consideratur. Nempe elementa quibus essentiæ constituuntur, vel sunt totum aliquid in rerum natura actuale et physicum, v. g., in Petro corpus organicum et anima rationalis ; vel aliquid abstracte consideratum ab intellectu et metaphysicum ; v. g., esse animal rationale in genere. Si prius, habetur essentia physica, cujus partes sunt physice distinctæ et separabiles independenter a consideratione mentis. Si posterius, datur essentia metaphysica, cujus elementa constitutiva, v. g., in homine, animalitas et rationalitas sine notis individuantibus consideratæ, non possunt distingui et separari nisi ratione : ergo realiter etiam sed metaphysice differunt (Log., n. 146).

B. — **Essentia idealis** *est ea quæ existit tantum intra mentem.* Revera essentia metaphysica, v. g., humanitas, considerari reflexe potest cum intentione universalitatis et concipitur ut genus, species... : tunc autem *in mente* habetur essentia *idealis* seu *logica*, cujus partes sunt genus proximum et differentia specifica, notione tantum distinctæ et distinctione rationis (Log., n. 126).

ARTICULUS II

De Cognoscibilitate essentiarum [1].

Quæstio fere eadem est ac illa de universalibus ab eaque pendet.

25. Utrum speciales rerum essentiæ COGNOSCI possint ? Negant imprimis positivistæ essentias (Log., n. 210), cum sint extra experientiam, sed etiam Locke et sensistæ [2]. Sed contra sit

THESIS

Essentias non paucas certo cognoscimus.

1° **Suadetur** *sensu communi.* — Nam essentia est id quo res in sua specie collocatur et ab omnibus aliis secernitur. Porro hac ratione non omnia, sed multa de facto cognoscimus : v. g., cir-

1. **S. Thomas**, *De ente et essentia*, c. II ; — cf. **Aristoteles**, *VIII Metaphys.* ; — **S. Thomas**, *De potentia*, q. 9, a. 2, ad 5. — 2. **Locke**, *Essai*, L. III, ch. III, n. 13 et 15 ; — Item **Condillac**, *Art d'écrire*, IV, 5.

culi et trianguli figuras esse diversas aut bruta sensatione differre a plantis, et vegetatione plantas a lapidibus : ita de multis aliis sive artificialibus, sive naturalibus quorum proprietates et ideo essentias cognoscimus. Ergo et definitiones.

2° **Probatur** *ex natura scientiæ*. — Nam scientia proprie dicta non est de solis phænomenis, sed de principiis et causis rerum. Unde sic : scientia phænomenis non studet nisi ut noscantur eorumdem causæ ; atqui essentiæ sunt radices seu causæ phænomenorum, quas ideo in sensu dynamico moderni sumunt et vocant *naturas* ; ergo scientiæ studium est ut cognoscantur rerum essentiæ, proindeque, sublata essentiarum cognitione, ruit scientia seu cognitio per causas. — Ruit etiam stabilitas legum naturæ, ad quarum notitiam immerito scientiam contrahunt positivistæ, nam illa stabilitas in essentiarum stabilitate, non autem in mobilitate phænomenorum, fundari potest.

26. Utrum notiones essentiarum vim habeant OBJECTIVAM ?

Negant iidem philosophi ac supra (n. 25). — Item nominalistæ, kantiani, conceptualistæ (Crit., n. 61). — Ipse Gioberti docuit essentias rerum nominales seu « *les étiquettes* » solummodo cognosci, essentias autem reales esse « inintelligibiles seu inexcogitabiles ». Sed contra sit

THESIS

Essentiæ non sunt mera nomina sed aliquid objectivum et reale.

Prob. — Essentiæ considerari possunt vel physice seu concrete, vel metaphysice seu abstracte, vel reflexe et logice. Atqui **sub hoc triplici respectu** essentiæ non sunt mera nomina sed aliquid objectivum et reale. Ergo.

Major constat ex dictis supra (n. 24), necnon in Logica (n. 123) et in Critica (n. 23). — *Minor* probatur per partes ; nam

1° Certo datur in rebus singularibus et concretis aliquid objective reale quo sunt id quod sunt et ab aliis distinguuntur, v. g., hic homo ab hoc leone. Atqui hoc est quod vocamus essentiam concretam et physicam. Ergo essentiæ *physicæ* et concretæ non sunt mera nomina.

2° Essentia metaphysica nihil aliud est quam ipsamet essentia physica abstracte considerata, id est, independenter a notis (n. 24) individuantibus et singularibus. Atqui, ut fert axioma : « abstrahentium non est mendacium ». Ergo tam realis est essentia *metaphysica* quam physica, ideoque existit in rebus, licet non eodem modo ac in intellectu.

3° Essentia logica nihil aliud est quam essentia metaphysica, cui additur ab intellectu relatio rationis ad subjecta innumera in quibus invenitur aut inveniri potest ut genus, ut species... Ergo essentia *logica, quoad sui partem,* tam realis est quam essentia metaphysica, quippe quæ, licet formaliter non sit in rebus, tamen habet verum fundamentum in eis, ut alibi ostensum (Crit., n. 65).

27. QUALIS sit humana cognitio essentiarum ?

Certum est omnes essentias in se cognoscibiles esse, necnon

a Deo perfecte et intuitive cognosci. Hominis autem notitia de essentiis est *discursiva, imperfecta,* attamen *scientifica.*

1° Est **discursiva** — et principio causalitatis innixa. Etenim immediate phænomena tantum, i. e., actiones et passiones rerum percipimus. Hæ autem, effectuum instar, postulant principium a quo procedant quodque similem ipsis induat naturam ; nam *operatio sequitur esse,* gallice : *telle opération, tel agent* ; et hoc principium vocamus essentiam. Ergo ab experientia exordientes et principio causalitatis quasi manuducti, ex existentia et natura phænomenorum ad existentiam et naturam essentiarum certo assurgimus.

2° Est **imperfecta**. — Non solum quia paucas rerum essentias per suas manifestationes et operationes satis exploratas habemus ; verum etiam quia intellectus noster, utpote finitus, nullam essentiam perfecte et adæquate comprehendere valet, ut ait Pascal : « nous ne savons le tout de rien ».

3° Est tamen **scientifica**. — Nam scientifica methodus profecto ea est quæ ex effectibus ad causas, ex actionibus ad naturam agentis, ex phænomenis ad essentiam rei, inductionis ope, assurgit.

ARTICULUS III

De Dotibus essentiarum [1].

Ecce quæstio magni momenti contra sophistas in Logica, evolutionistas in Biologia, relativistas in Metaphysica, liberales in Ethica, fautores cujuslibet despotismi in sociologia..., qui omnes supponunt essentias non dari vel esse mutabiles.

28. Quænam sint DOTES seu proprietates essentiarum ?

Hujusmodi dotes ad quatuor puncta referuntur, prout essentiæ spectantur vel *idealiter* vel *physice*, vel *in intellectu* divino et humano, vel in earum *participatione* a rebus creatis.

PUNCTUM I

Essentiæ rerum materialium in abstracto *consideratæ, sunt compositæ sed indivisibiles, necessariæ, immutabiles et æternæ.*

Dico : *materialium*, nam substantias separatas esse sine materia et ideo non compositas adversus coævos plures suos asseveravit S. Thomas [2] : — materialium e contra essentiam omnem esse simplicem sed mutabilem, inter recentiores asseruit Cartesius.

A. — Sunt **compositæ**, sed **indivisibiles**. *Compositæ* quidem nam in qualibet notione entis finiti reperiuntur genus proxi-

1. **Balmès**, *Philos. fondam.*, L. IV, ch. 25 et 27. — 2. *De ente et essentia*, c. II, V ; — **Lottin**, *La composition hylémorphique des substances spirituelles*, in *Rev. néo-scol.*, 1932, p. 21-41.

mum et differentia specifica ; sed genus et differentia supponunt elementa aliquatenus distincta ; ergo essentiæ constant pluribus elementis. — *Indivisibiles*, nam elementa hujusmodi aut realiter non distinguuntur, aut ita inter se cohærent ut ne unum quidem addere aut tollere possimus, quin essentia esse desinat ; siquidem, « quocumque minimo addito vel ablato, est alia definitio et alia natura speciei » ; ergo merito dicunt essentias consistere in indivisibili. Sic enim, « substantia *animata sensibilis* tantum est definitio *animalis* : cui si addas et *rationale*, constituis speciem *hominis* : si autem subtrahas *sensibile*, constituis speciem *plantæ* ». Sic etiam « si aliquid addatur, vel subtrahatur alicui numero, etiamsi minimum, non erit idem numerus secundum speciem [1] ».

Confirmatur, nam sine varietate simul et unitate elementorum, periret totius universi ordo mirabilis et pulchritudo.

Erraverunt igitur Cartesius et Malebranche qui putaverunt essentias non pluribus elementis constitui, sed illas esse simplices, ita ut una tantum proprietas in quolibet ente reperiatur, sc. cogitatio in rebus incorporeis, et extensio in rebus materialibus.

B. — Sunt **necessariæ, immutabiles** et **æternæ**. — *a*) *Necessariæ*, nam non possunt existere aliter nec aliæ ac sunt, v. g., circulus est rotundus, nec potest esse quadratus, alioquin simul esset et non esset. — *b*) *Immutabiles* sunt, nam quod necessarium est, mutari nequit. — *c*) Imo et *æternæ* saltem negative, nam quod est necessarium, nunquam non potest non esse, v. g., semper et ubique verum fuit, est, erit circulum esse rotundum : quæ autem a tempore abstrahunt, ab ipso non mensurantur.

Ideo Cartesius duxit ad ruinam Metaphysicæ, quando asseruit omnes essentias a libera voluntate Dei pendere. « Il est inutile de demander comment Dieu eût pu faire de toute éternité que deux fois quatre n'eussent pas fait huit ; car il ne faut pas penser que les vérités dépendent de l'entendement humain, mais seulement de la volonté de Dieu [2]. »

PUNCTUM II

29. *Essentiæ, qualenus in rebus physicis et* in concreto *existunt, sunt mutabiles et contingentes quoad existentiam* : *sed immutabiles et necessariæ in principiis quibus constituuntur.*

I. Sunt **contingentes** in facto esse. — Revera essentiæ, quatenus existunt in rebus ipsis, participant eorum essendi

1. **S. Thomas**, *In VIII Metaphys.*, lect. 3 ; — **Sum. theol.**, I, q. 30, a. 2, ad 1. — 2. **Descartes**, *Œuvres* (édit. Cousin), t. II, p. 353-355.

modum, juxta illud : tale esse, talis essendi modus. Sed resphysicæ sunt *contingentes* : potuissent enim non existere. Ergo et earum essentiæ quæ statim pereunt ac pereunt res ipsæ.

II. Sunt **necessariæ** in fieri. — Revera, etsi Deus ea quæ sunt libere condiderit, creatione semel statuta, necesse fuit. Illum omnia condere secundum principia quibus intrinsece constituuntur. Resque, jam creatæ, destrui quidem possunt sed mutari non possunt quoad essentiam ; v. g., Deus potuisset non creare hominem, sed facere non potest ut, si creatur homo, non sit animal rationale : si mutatur, desinit esse homo.

PUNCTUM III

30. *Essentiæ rerum metaphysicæ in* intellectu *divino aut humano consideratæ, dici debent, sed diverso modo, indivisibiles, immutabiles, necessariæ et æternæ.*

A. — **In intellectu divino**, qui *locus essentiarum* dicitur, non differunt ab ideis seu archetypis divinis, nec ab essentia divina. In eo igitur sunt aliquid *absolute* simplex et immutabile, *positive* necessarium et æternum.

B. — **In intellectu humano**, idea, v. g., circuli vel trianguli, est repræsentatio contingens essentiæ immutabilis, æternæ et necessariæ, nam circulus aut triangulum nunquam aliter concipi possunt : secus non conciperentur sicuti sunt. Ergo essentiæ in intellectu humano sunt *aliquo vero sensu* immutabiles, æternæ et necessariæ (n. 58).

C. — Sed **diverso modo** ac in intellectu divino. Non enim in intellectu humano sunt aliquid undequaque immutabile, nec etiam *positive* necessarium et æternum : nil enim hujusmodi potest esse in creaturis. Unde hæc necessitas aut æternitas dicitur *negativa*, ex eo quod abstrahit ab omni limitatione temporis et loci, non autem *positiva* quia non ponit essentiam circuli et trianguli esse in mente ab æterno.

Hinc patebit error Platonis [1], juxta quem essentiæ rerum essent aliquid reale et existens in se, independenter a rebus et ab intellectu divino.

PUNCTUM IV

31. *Consideratæ in creaturis, essentiæ sunt diversæ, sed unius essentiæ divinæ* participationes, *analogæ et imperfectæ.*

Dixi : *unius essentiæ divinæ* ; hæc autem est simplicissima, necessaria, positive immutabilis et æterna (Theod., n. 54-68).

1. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 52.

1° Sunt **essentiæ Dei participationes**. — Deus enim solus est Ens Imparticipatum, habensque plenitudinem essendi ; cætera ergo ab Ipso recipiant oportet suum esse suumque gradum entis, sicut rivuli ab eodem fonte hauriunt [1].

2° Sunt **analogæ** ; siquidem Deum participant tantum per similitudinem, non per emanationem, quia Deus est omnino simplex, i. e., indivisibilis. Ideo *analogæ*, non univocæ dicuntur, quia similem, non vero formaliter eamdem habent naturam ; imo nec habere possunt, quin ipse Deus fiat lapis, planta, omnium denique rerum collectio. Nec tamen sunt *æquivocæ* ; secus nihil de Deo participarent (n. 8).

3° Necnon sunt **imperfectæ**. — Quidquid enim perfectionis habet unaquæque essentia, illud eminenter et modo inexhausto continetur in essentia Dei suprema, quæ proinde ad creatas essentias ita comparari debet sicut « numerus perfectus ad imperfectos sub ipso contentos [2] ».

CAPUT QUARTUM

DE NATURA EXISTENTIÆ [3]

32. Quid et quotuplex sit EXISTENTIA ?

Jam, ex dictis, naturam existentiæ determinare licet.

A. — **Existentia** (sistentia ex), quoad *nomen*, idem est ac esse aut sistere extra meram possibilitatem seu extra nihilum. — Quoad *rem* autem, existentia non est capax definitionis logicæ, sed merito nuncupatur : *Actus* aut *actuatio essentiæ*.

Dicitur : 1° *actuatio* seu perfectio quædam ; 2° *essentiæ* potentialis, cujus proinde perfectio est existentia. Revera melius est esse actu quam non esse actu, imo nihil melius. — Quare existentia, quæ enti possibili dat esse extra nihilum, revera perfectio est, imo dicitur ultima realitas in ratione entis (n. 26).

B. — **Duplici modo** essentia esse in actu seu actuari concipitur : vel *per seipsam* subsistit : vel, quum sit in potentia ad existendum, existentiam accipit *ab extrinseco*. Si prius, habetur Ipsum Esse per se et a se subsistens seu *Deus*, qui solus est essentialiter existens. Si posterius, habetur ens non a se subsistens seu *creatura*, cujus essentia utrum ab existentia distinguatur, annon, nunc quærendum venit.

1. **Balmès**, *Philosoph. fond.*, lib. IV, ch. 25 et 27. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 6, c. — 3. **Mercier**, *Ont.*, n. 46-51.

33. QUÆSTIO est de distinctione essentiæ et existentiæ [1].

1° **Non agitur** *de esse divino* ; nam in Deo essentia et existentia non realiter, imo nullo modo distinguuntur. — Nec dubium est etiam distinctionem saltem *rationis* seu conceptuum inveniri inter essentiam et existentiam. — Præterea, certum est essentiam ut mere possibilem inspectam, realiter differre ab essentia per existentiam in rebus physicis actuata.

2° **Quæritur** autem et controvertitur utrum essentia actualis, id est, in hoc aut in illo homine spectata, ab ejus existentia *realiter* distinguatur ; aliis verbis, utrum, v. g., hic homo *sit* unum et idem cum sua existentia, vel *habeat* existentiam a se distinctam. — Quæ si admittatur distinctio, duplex erit realitas in unaquaque creatura, videlicet *essentia* et *existentia*, realiter quidem distinctæ saltem sicut potentia et actus, etiamsi utraque ita altera indigeat ad subsistendum, ut ab ea separari non possit, quin esse desinat (cf. n. 51, 52).

3° In hac subtili quæstione, **pro utraque parte** militant doctores ingenio præstantissimi [2]. — Imprimis, et procul dubio S. Thomas et ejus discipuli asserunt distinctionem realem [3].

Nonnulli vero thomistæ veteres ut Durandus, Scotistæ [4] et nominales omnes, imprimis recentiores cum Suarezio, sed et alii philosophi fere omnes, præsertim Cartesiani, contendunt distinctionem non realem, sed virtualem admittendam esse inter essentiam actualem et existentiam. — Contra quos sit

THESIS

34. *Viget, in rebus creatis,* distinctio realis *inter essentiam et existentiam.*

Suadetur **auctoritate**, nam « historice constat S. Thomam docuisse distinctionem realem [5] ». — Quam « Angelicus habet tanquam veritatem fundamentalem philosophiæ christianæ sexcentisque locis vehementer propugnat [6] ». Cui quidam præiverant Neoplatonici, S. Augustinus et S. Hilarius, Arabes et præsertim Avicenna, Gulielmus Parisiensis ; quem vero secuti sunt a principio Dominicani generatim et præsertim Ægidius Romanus, hujusce

1. Cf. **Del Prado**, *De veritate fundamentali philosophiæ christianæ*, Friburgi, 1909 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, 1910, I, p. 282 et seq. — **Mandonnet**, *Les premières disputes*, in *Rev. thomiste*, 1910, p. 741-765 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 360 ; — **Aimé Forest**, *La métaphysique du concret*, 1931, p. 133-160 ; — **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, I, 105-119 ; II, 265-287 ; — **Gilson**, *L'esprit de la philosophie médiévale*, 1932, p. 45-87. — 2. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 173, 267, 282-IXe vel 317 C. 1°, 367, etc. — 3. **Goudin**, *Philos.*, t. IV, p. 318 ; — **Sanseverino**, c. II, a. 5, n. 92, 93. — 4. *Ox.*, I, 4, dist. 13, q. I, n. 38. — 5. **Grabmann**, *Acta primi congressus thomistici*, Romæ, 1925. — 6. **Gonzalez**, *Metaph.*, c. I, a. 2 ; — cf. *Del Prado*, *Op. cit.*

distinctionis antesignanus, — postea et inde a medio sæculi XIV thomistæ omnes, imo quidam Jesuitæ ut Conimbricenses, Alamanni et Fonseca — et jam a sæculo XIX multo plures in societate Jesu, sicuti Liberatore, cui olim opposita sententia arridebat [1], et alii, Cornoldi, Schiffini, De Maria, Remer, Billot, Mattiussi, etc. [2].

Prob. — 1º **Ex completa diversitate utriusque conceptus** *objectivi*. Differunt enim realiter quæ habent *notas* non tantum diversas, sed et *contrarias* (n. 51). Porro in contingentibus — *a*) per essentiam intelligitur *id quo aliquid est id quod est*; per solam existentiam *id quo aliquid est*: entia autem non tam differunt per id *quo* sunt quam per id *quod* sunt, « *non par le fait qu'ils sont, mais par ce qu'ils sont* »;

— *b*) existentia est *una*, essentia e contra sæpe *composita*; sic, v. g., Petrus, licet duobus, sc. anima et corpore compositus, unam tantum habet existentiam a qua præcise dicitur *unus*;

— *c*) essentia est *tota simul*, dum e contra existentia est *successiva*, mensuratur tempore, longior aut brevior est et recipitur quasi guttatim (goutte à goutte);

— *d*) tandem existentia sese habet ad essentiam tanquam *actus* ad *potentiam*: actus autem et potentia duo sunt bene distincta. Ergo essentia et existentia realiter distinguuntur [3].

Confirmatur **ex omnium modo loquendi**. — Sic enim loquuntur: « aliquis accepit vel amisit existentiam. » Ergo distinguunt essentiam quasi quoddam recipiens, et existentiam veluti aliquid receptum. — Similiter: « Petri existentia fuit brevis »; essentia autem non potest dici brevis, nam est vel non et stat in indivisibili (n. 21). — Tandem quærenti *an sit res*, respondent per existentiam, quærenti vero *quid sit res*, respondent per essentiam: ergo existentia *semper* distinguitur ab essentia, *nunquam* ingreditur definitionem rerum naturæ, *semper* prædicatur ut quid in eis non existens.

Nec dicant essentiam et existentiam esse gradus metaphysicos, ergo non magis inter se distinctos ac esse substantiale, corporeum, vivens, sensitivum, rationale, quorum unum includit aut supponit aliud. — Negatur enim *antecedens*, quia existentia et essentia sunt ordinis totaliter diversi, et ideo paritas et conclusio [4].

2º **Ex discrimine Dei et entis contingentis**. — Nam, ut probatur in Theodicea, solus Deus est ipsum esse subsistens, in quo existentia est essentialis, seu, in quo existentia et essentia idem sunt. Ergo « cætera cuncta, quæ ipsum esse participant, naturam habent qua esse coarctatur, ac, tanquam distinctis realiter principiis, *essentia* et *esse* constant [5] ».

1. **Liberatore**, *Metaph.*, c. I, a. 3, n. 16. — 2. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, II, c. IV. — 3. **Mercier**, *Ontol.*, n. 26; — cf. *Revue des sciences phil. et théol.*, an. 1909, p. 308; — *Contra gent.*, II, c. 52; — **Sertillanges**, *S. Thomas*, I, 282 et seq. — 4. **Mercier**, *Ibid.*, n. 48. — 5. **Thesis thomistica IIIª**.

Secus enim, *cur* non existerent creaturæ necessario seu essentialiter? « Eccur iste mundus non esset a se, ex se, vi suæ essentiæ existens? Undenam criminandi pantheistæ unum esse universale ponentes quod sui evolutione fit omnia? [1] » — Et *quomodo* explicaretur limitatio existentiæ in rebus creatis? siquidem existentia est perfectio simplex, quæ in suo conceptu nullam exhibet imperfectionem, ideoque limitari nequit nisi subjecto recipiente (n. 21, I, 4º) i. e., ab essentia.

Ergo tandem in rebus creatis existentia ab essentia differt sicut actus a potentia, et hæc distinctio sicut ad multiplicationem entium, ita ad discriminationem Dei et creaturæ metaphysice requiritur.

Confirmatur ex omni parte hæc thesis, — cujus *applicationes* in *Philosophia* sunt permultæ et maximi momenti, sicuti unitas entis (n. 45), ratio personalitatis (n. 109), compositio accidentium cum substantia (n. 96, 117), etc...; — sine qua in *Theologia* « unio duarum naturarum in uno eodemque supposito divino videatur undequaque inintelligibilis [2] ». Ergo in creatis « nisi *esse* realiter in essentia distincta reciperetur, multa intelligi non possunt [3] ».

35. Suarezianorum OBJECTIONES.

Dicunt: « Non potest res aliqua intrinsece et formaliter constitui per aliud distinctum ab ipsa [4] »; ergo ipsa res intrinsece non est distincta ab existentia sua.

Resp. *Nego suppositum*: non enim dicimus essentiam creatam intrinsece constitui per actum existentiæ, bene vero sub ipso consistere et per eum compleri tantum, juxta sanam actus et potentiæ theoriam, — quam nec ipse bene intellexit Suarezius (n. 18).

Inst. 1ª. — Atqui essentia creata, v. g., materia, est actualis: ergo est ipsamet existentia.

Resp. *Dist. cons.*: ergo essentia est vere in existentia, *conc.*, est ipsamet existentia, *nego*. — Quippe duplici modo aliquid dici potest actuale: vel quia actus est, vel quia informatur ab actu.

Inst. 2ª. — Non est medium inter nihilum et existentiam; atqui essentia realis non est nihilum; ergo est existentia.

Resp. *Dist. maj.* Non est medium inter nihilum et omnes existendi modos, *conc.*; inter nihilum et unum ex modis existentiæ, *nego*. — Conc. min. — *Dist. cons.* Ergo essentia est existentiæ actus, *nego*; est potentia ab actu existentiæ actuata, *conc.* et ipsa realis, haud secus ac ipse actus quo completur (n. 15-21).

Inst. 3ª. — Atqui existentiæ creatæ nulla propria realitas subest extra essentiam actualem. Ergo rursus est hæc essentia.

Resp. *Dist. min.* Existentiæ creatæ nulla propria realitas subest extra essentiam, *conc.*; in ipsa essentia, *nego*; essentiæ enim dat

1. **Billot**, *Oratio* 11 *martii* 1915, pro instauratione Academiæ S. Thomæ; cf. *De Verbo Incarnato*, p. 62-73. — 2. **Billot**, *Op. cit.*, p. 71. — 3. **Thesis thomistica Vª**. — 4. **Suarez**, *Disp. Metaph.*, XXXI, sect. I, n. 13.

subsistere extra statum possibilitatis ; quo nihil est magis reale in rebus creatis, et vi cujus non est quidem substantia, sed ad ipsam reducitur.

Inst. 4a. — Essentia actualis, si ab existentia sejungatur, nihilum fit et vicissim : ergo ab existentia minime differt.

Resp. *Dist. ant.* Si sejungatur *physice*, existentia nihilum fit, *conc.* : si sejungatur *mentaliter*, *nego*. — Essentia quidem et existentia creata separari physice non possunt ; sed exinde non inferas unam non esse ab altera distinctam ; alioquin in natura realitas multarum rerum, quæ per aliud et in alio tantum subsistunt, quin separari unquam possint, de medio tolleretur.

Ex quo vides thomisticam thesim nostram non parum roborari « debilitate argumentationis contrariæ ». Hæc enim « æquivocationes nonnullas continere videtur, quæ, si distinguuntur, vim omnem amittunt [1] ».

CAPUT QUINTUM

DE POSSIBILITATE [2]

Præter statum existentiæ, ens in statu possibilitatis inveniri potest, de quo duo sint articuli : Ius de *Possibilium conceptu* ; — 2us de *Possibilium fundamento*.

ARTICULUS I

De Conceptu Possibilium.

36. Quid, quotuplex sit possibile et undenam sit ?

A. — **Possibile est** *ens ideale aptum ad existentiam*. Videlicet inter existentiam et nihilum concipimus ens, quod non sit nihil, nec adhuc existat, quod tamen existere possit. Ens illud dicitur possibile, cui opponitur ens sive actu existens, sive impossibile seu ens quod actu esse repugnat. Unde valde differt tum *a nihilo*, quod nunquam ad existentiam transire potest, tum ab ente actuali vel in *potentia* subjectiva : nam ens in potentia sua involutum initialiter existit in rerum natura, v. g., pullus in ovo (n. 16).

B. — **Duplex est** possibile : *extrinsecum* et *intrinsecum*.

1° Ens *ab intrinseco* possibile illud est, *cujus essentia nullam involvit contradictionem* in notis quibus constituitur ; eo sensu circulus rotundus dicitur possibilis. Consequenter illud

1. **Liberatore**, *Metaph. gen.*, c. I, a. 3 ; — **Suarez**, *Disp. Metaphys.*, XXXI ; — cf. **Sum. theol.**, I, q. 3, a. 4 ; — **Contra gent.**, II, c. 52, 53.— 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 20-32.

est ab intrinseco impossibile, cujus essentia contradictionem importat, ut circulus quadratus.

2° Ens intrinsece possibile vocari solet *ab extrinseco* possibile vel impossibile, prout *habet vel non causam idoneam*, cujus virtute produci potest : quam si habet, tunc est *adæquate* possibile, seu « productibile », ut dicunt recentes ; v. g., mundus, homo, ante creationem.

Quapropter habetur, præter possibilitatem intrinsecam absolutam seu *metaphysicam*, possibilitas extrinseca quæ est *relativa*, id est, « per respectum ad aliquam potentiam ; sicut, quod subditur humanæ potentiæ, dicitur esse possibile homini [1] » et hæc quasi triplicem suscipit gradum :

Relative ad Deum, eadem sunt possibilia quæ *absolute*, sc. omnia quæ non intrinsece repugnant : v. g., creatio ex nihilo.

Relative ad creaturas, quædam sunt *physice* possibilia, quædam autem physice impossibilia, prout fieri possunt vel non juxta leges naturæ physicæ : v. g., resurrectio mortui.

Similiter illud habetur ut *moraliter* possibile vel impossibile, quod legibus naturæ moralis consonat vel contradicit : ex. g., possibile est aliquem, impossibile est omnes homines mentiri.

Hinc axiomata : Possibile relative est necessario possibile absolute ; — Possibile moraliter debet esse possibile physice et metaphysice, etc.

37. C. **Quoad suam originem**, notio *possibilitatis* — *a*) per *abstractionem* innotescit ; nam, primo cognoscismus ens actualiter existens, v. g., hunc triangulum ; postea vero, abstrahendo ab existentia singulari, concipimus illud quasi typum imitabilem aut possibilem.

Ideo — *b*) *posterior est* sive notione *essentiæ*, siquidem possibilitas intelligi debet quasi modus et quædam attributio essentiæ singularis ; sive notione *existentiæ*, nam ens dicitur possibile in ordine ad existentiam ; hæc ergo præsupponitur [2].

Quapropter, erravit Rosmini qui enixe propugnat ideam entis, quam appellat innatam, ens possibile nobis exhibere ; unde non possibilitas per existentiam, sed existentia per possibilitatem cognosceretur. « La simple idée de l'être n'est point la perception d'une chose existante, mais l'intuition d'une chose possible ; c'est l'idée de la possibilité de la chose [3]. »

1. **Sum. theol.**, I, q. 25, a. 3 ; — **Contra gent.**, II, c. 25. — 2. **Balmès**, *Philos. fond.*, L. V, ch. IV, n. 32 ; — **Kleutgen**, *La phil. sco.*, 1868, t. III, c. 1, a. 3. — 3. **Rosmini**, *Nouvel essai*, 1830, sect. V, p. I, c. III, a. 1 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 544.

ARTICULUS II

De Fundamento Possibilium [1].

Quæritur undenam possibilia desumant suam aptitudinem ad existendum ; cur, v. g., circulus rotundus sit *intrinsece* possibilis, nam, si intrinsece possibilis, erit etiam extrinsece.

38. Quot afferantur FALSÆ rationes possibilium ? Quatuor sunt, quas tuentur Hobbes et positivistæ, Kant et subjectivistæ, Occam et nominalistæ, Cartesius et Plato.

PUNCTUM I

Possibilitas intrinseca non pendet ab actuali rerum existentia.

Est **contra Hobbes** et **positivistas** omnes recentiores qui possibilitatem intrinsecam et extrinsecam minime secernunt. Juxta eos, possibilitas in genere est ipsa rerum existentium « productibilitas » ; unde, illa tantum possibilia dici debent, quæ in serie temporum existentiam sortiuntur, ergo in numero finito.

Prob. — Ratio rei non potest esse re ipsa posterior ; atqui existentia rerum eorum possibilitate posterior est : ergo non est ratio illarum possibilitatis, quam potius præsupponit. — Constat *minor*, nam quæ nunc sortiuntur existentiam, antea erant possibilia et, suppositione facta quod annihilentur, possibilia remanerent ; prius enim est posse esse quam de facto esse : hoc contingens, illud necessarium ; hoc in numero finito, illud indefinitum.

PUNCTUM II

39. *Possibilitas intrinseca non pendet ab intellectu humano.*

Est **contra conceptualistas** et **subjectivistas**, qui, ducibus Reid et Kant, docent possibilia nihil esse nisi entia rationis. Quapropter nihil est in se et a parte rei possibile aut impossibile cui respondeat possibile ab intellectu fictum ; jamque possibilitas pendet ab intellectu et via panditur idealismo.

Prob. — Illud non pendet ab intellectu hominis, quod eo prius est, eo invito perstat, et illius est mensura. Atqui talis est rerum possibilitas, nam — *a*) Ante omnem creatum intellectum omnia erant possibilia : imo et ipse intellectus erat possibilis ; — *b*) Possibilitas rerum, v. g., circuli rotundi, ita independens est ab intellectu, ut, contradicente intellectu, semper remaneat ; — *c*) Revera intellectus non mensurat objectum, sed ab objecto mensuratur. Ergo hoc ab illo non pendet.

1. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, I, p. 56-59.

PUNCTUM III

40. *Possibilitas intrinseca non pendet a divina potentia.*

Contrarium propugnant **Guil. Occam et nominalistæ** non pauci. Juxta eos, possibilitas intrinseca pendet a Dei omnipotentia ; unde aliquid dicitur possibile, quia Deus illud efficere potest.

Prob. — In explicatione Occami adest pro libitu *petitio principii* vel *circulus vitiosus* : nam « si dicatur quod Deus sit omnipotens quia potest omnia quæ sunt possibilia suæ potentiæ, erit *circulatio* in manifestatione omnipotentiæ ; hoc enim non erit aliud quam dicere quod Deus est omnipotens, quia potest omnia quæ potest. Relinquitur igitur quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute [1] ». Secus omnipotentia hæc erit ridicula.

PUNCTUM IV

41. *Possibilitas intrinseca non pendet a divina voluntate.*

Ita **adversus Cartesium** qui ex suis dictis de natura essentiarum (n. 28) concludit quod res quædam est possibilis quia Deus eam esse talem ab initio libere decrevit ; unde esset impossibilis, si aliter decrevisset, nam ex sese ejus essentia non est immutabilis.

Prob. — « Voluntas non est nisi alicujus boni intellecti. » Sed — ea quæ sunt secundum se *impossibilia*, non cadunt ut bona in intellectu, cum sibi ipsis repugnent. « In divinam ergo voluntatem non possunt cadere quæ secundum se sunt impossibilia [2] », — sed *possibilia* tantum : hæc autem talia sunt suis notis intrinsecis ante omnem voluntatem. Ergo nec impossibilia nec possibilia a voluntate divina pendent.

42. Quænam vero sint proxima et ultima RATIO possibilium ? A. — Possibilitas, ex dictis (n. 36-37), est aptitudo idealis cujusque rei ad existendum. Porro hæc aptitudo requirit primo et immediate convenientiam inter se notarum, quibus conflatur ejus essentia : hæ enim notæ secum conveniunt aut repugnant ex natura sua ; v. g., circulus rotundus, circulus quadratus. Ergo **proxima ratio** possibilium in notis rerum constitutivis reponenda est. — Hæc enim quid sint ? « Quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis... Nihil autem opponitur rationi entis, nisi non-ens. Hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti, quod implicat in se esse et non esse simul » [3].

1. **Sum. theol.**, I, q. 25, a. 3. — 2. **Contra gent.**, I, c. 84. — 3. **Sum. theol.**, loco cit. — **Mercier**, *Ont.*, n. 22.

B. — Quænam vero sit **ultima ratio** seu fundamentum possibilium — demonstrata semel existentia Dei — statuit

THESIS

Ratio possibilium ultima fundamentaliter in essentia Dei, formaliter autem in intellectu divino reponenda est [1].

I. **Fundamentaliter.** — Possibilia sunt participationes analogæ et imagines imperfectæ unius essentiæ divinæ, ut patet ex dictis de fonte essentiarum (n. 24). Sed res participatæ in suo fonte et imagines imperfectæ in exemplari perfecto fundamentum habent. Ergo pariter possibilia in essentia divina.

II. **Formaliter.** — Possibilia tamen, si formaliter sumantur :

a) *Non sunt* ipsa essentia divina *quoad se* sumpta : nam *formaliter et ex natura sua* destituuntur reali existentia ; sunt enim quid mere ideale, quod in aliquo intellectu reponi debet, sicut ideæ in mente artificis.

b) *Sunt* ergo essentia divina *considerata* quatenus participabilis in diversis gradibus. Sed hæc consideratio primordialiter et principaliter est in intellectu infinito qui solus comprehendere *potuit* essentiam infinitam ad eamque respicere debuit ab æterno. Ergo *ratio formalis ultima* omnium possibilium reponenda est in intellectu divino, qui regio est veritatum æternarum aut exemplarium juxta quæ omnia formantur [2].

Sic evertitur sententia **Platonis** quæ ponit essentias rerum independenter a Deo subsistentes, velut medium in quo ipse Deus et anima humana intuentur, aut a quo ideas suas hauriunt. — Non Deus extra se intuetur, sed nec in Deo anima, quæ proinde non eximitur a necessitate scrutandi notas cujusque entis ut pateat ejus intrinseca possibilitas.

1. Ita **S. Thomas**, *Quod.* VIII, a. 1 ; — **de Raeymaeker**, *Op. cit.*, I, p. 58. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 15, a. 2, et q. 14, a. 6.

LIBER SECUNDUS ONTOLOGIÆ

DE ENTIS PROPRIETATIBUS

Hactenus de entis natura et realitate in universum ; nunc autem, quia omnis natura suas habet proprietates ab ea dimanantes, de entis proprietatibus disserendum est. Aliæ sunt omnibus communes seu *Transcendentales*, aliæ tantum *Universalissimæ*. Unde duplex sectio.

SECTIO Iª

DE PROPRIETATIBUS ENTIS TRANSCENDENTALIBUS

43. Quid, quot et quanti momenti sint transcendentalia [1] **?**

Vi nominis (trans ascendens), *notio* transcendentalis ea est, quæ genericas omnes notiones pervadit et ideo transcendit ; sunt, præter *ens* : *res*, *unum*, *aliquid*, *verum* et *bonum* [2]. Unde

A. — **Sunt** proprietates transcendentales *attributa seu respectus, qui omni enti vere conveniunt.* — *a*) Sunt attributa seu *respectus* ; non enim possunt esse qualitas aliqua ab ente distincta, quum quidquid reale est, ens sit. — *b*) Vere conveniunt *enti* ; si enim essent aliquid mere a mente confectum, id male diceretur proprietas entis. — *c*) Conveniunt *omni* enti : ens enim ut sic et primum transcendentale est : ergo et proprietates cum ente necessario connexæ.

B. — **Tres sunt** *præcipuæ* entis proprietates transcendentales [3]. — Etenim, attributum ab ente non diversum est ipsum ens, vel in quantum consideratur in seipso ut est in se indivisum, vel in quantum refertur sive ad intellectum, sive ad voluntatem. Jamvero ens, si de eo negatur divisio, est *unum* ; si refertur ad intellectum, est *verum* ; si refertur ad voluntatem, est *bonum*. Ergo tres sunt palmares proprietates entis transcendentales : nempe, *unitas*, *veritas*, et *bonitas*. — *Res* et *ens* fere idem sonant, cum res sit essentia et ens res *existens* ; *aliquid* autem ad unum facile reducitur (n. 44). — *Brevi*

1. *De veritate*, q. 1, a. 1 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 61 ; — 2. Quibus Neoplatonici adjecerunt pulchrum ; cf. de **Raeymaeker**, *Op. cit.*, II, 250-4. — 3. **Mercier**, *Ontol.*, n. 129-131.

Ens dicitur :	I. *Absolute* et in se	1. *Positive*,	in ordine ad existentiam : *ens*. si significat essentiam : *res*.
		2. *Negative*, sub respectu indivisionis : *unum*.	
	II. *Relative* ad aliud	1. *Negative*, sub respectu distinctionis : *aliquid*.	
		2. *Positive*,	in ordine ad intellectum : *verum*. in ordine ad voluntatem : *bonum*.

C. — Quarum notio, cum sit **maximi momenti**, sedulo enucleanda est ; nam ex his tribus transcendentalibus defluunt tria principia transcendentalia totius scientiæ : ex unitate, principium *identitatis* ; ex veritate, principium *intelligibilitatis* seu rationis sufficientis ; ex bonitate, principium *finalitatis* (n. 48, 156, 168) [1].

Unde tria sunt capita : I^{um} *de Unitate* ; — II^{um} *de Veritate* ; — III^{um} *de Bonitate*.

CAPUT PRIMUM

DE UNITATE ENTIS TRANSCENDENTALI

Quoniam ens unum est sibi idem et divisum ab aliis, *unitatem* sequitur *identitas*, cui *distinctio* opponitur. Inde tres articuli : I^{um} de *Unitate* ; 2um de *Identitate* ; 3um de *Distinctione*.

ARTICULUS I

De Unitate [2].

44. Quid sit unitas ? — Unum opponitur pluribus ; pluritas autem per divisionem habetur ; unde, « *unum* nihil aliud significat quam *ens indivisum* [3] » et sic concipitur : statim ac intellectus habet ideam entis, concipit ejus contrarium seu non-ens ; dein utriusque oppositionem absolutam ; denique indivisionem entis relative ad seipsum : ulterius vero pluralitatem.

Unum autem abstracte sumptum idem est ac unitas, quæ merito dicitur : *entis indivisio* seu *indistinctio*. Quapropter

1° Ens in se unum *a quolibet alio* divisum est : hæc tamen divisio ab alio, vi cujus ens dicitur *aliquid* quasi *aliud quid*, est potius consectarium quam essentia unitatis (n. 50). Sic Deus ante creationem, unus quidem erat, quia in se indivisus ; post creationem tantum, ab aliis distinguitur.

2° Notio unitatis est *negativo-positiva*. Talis enim dicitur

1. **Mercier**, *Ontol.*, n. 132-133. — 2. *Ibid.*, n. 61-78 ; — **Sertillanges**, *Op. cit.*, p. 32 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 69 ; — *Rev. des sc. phil. et théol.*, 1925, p. 303. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 11, a. 1, a. 2 ; — *In X Metaph.*, lect. 1, 2.

notio, quæ, per negationem imperfectionis, absque alterius positivi additione exprimit perfectionem ; atqui notio unitatis, negando entis in seipso divisionem aut cum alio conjunctionem, haud parvam illi tribuit perfectionem, nempe indivisionem seu consistentiam maximam ; ergo est negativo-positiva.

3° Unitas, de qua hic agitur, est mera entis proprietas *transcendentalis*, non autem quid accidentale extra essentiam ejus ; nam convenit omnibus entibus, non addit supra ens rem aliquam sed tantum negationem divisionis [1]. E contra, unitas *numerica* est indivisio quantitatis et ideo, sicut ipsa, entitas accidentalis quæ addit enti et cuilibet parti et generat quantitatem aut continuam aut discretam [2]. — Jamque prior est principium *multitudinis*, quæ *constat ex unis quorum unum non sit alterum* [3] ; posterior est principium *numeri*, de quo infra (n. 124) et non dicitur de omnibus.

Ita contra Pythagoram, Platonem et Balmes [4], qui utramque notionem et ideo multitudinem et numerum permiscent, sed immerito, nam multitudo indivisionem plurium, numerus divisionem unius quanti et extensi importat.

45. Utrum et undenam omne ens sit unum ?

A. — Unum non est idem ac *unicum*. Unicum negat alterum : unde Deus est unicus, quia plures dii non sunt. Plura sunt entia, non est unicum ens, in ente tamen quolibet **adesse** unitatem transcendentalem statuit

THESIS

Omne ens est unum.

Prob. — « Omne ens aut est simplex, aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum (ergo unum) et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet esse quamdiu partes ejus sunt divisæ, sed postquam constituunt et componunt ipsum (compositum). Unde manifestum est quod esse cujuslibet rei consistit in indivisione (ergo in unitate), et inde est quod unumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem [5]. » Unde axioma : ens et unum convertuntur, seu materialiter et quoad extensionem coincidunt.

Quinimo, quæ sunt multa simpliciter, v. g., milites, sunt unum secundum quid, v. g., unus exercitus. Nam « ipsa mul-

1. **Sum. theol.**, I, q. 11, a. 1, ad 1. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 11, a. 2. — 3. **S. Thomas**, *De potentia*, q. 9, a. 7, ad 15. — 4. **Balmès**, *Phil. fond.*, L. IV, c. 2 ; — cf. **S. Thomas**, *In III Physic.*, lect. 7 ; — *In X Metaph.* — 5. **Sum. theol.**, I, q. 11, a. 1, c. et ad 3.

titudo non contineretur sub ente (nec ideo cogitari posset), nisi contineretur aliquo modo sub uno [1] ».

B. — **Undenam** vero ens naturæ sit unum, an per existentiam unicam, an vero primario per unicitatem subsistentiæ, disputatur [2]. Quidquid sit, ubi multa sunt unum, ibi aliquid est uniens, nam manifestum est plures realitates, v. g., plura membra corpus unum fieri non posse nisi per aliquid unum : quæ ergo secundum se sunt multa et dicuntur unum, reducuntur ad unitatem vel *idealiter* per unicum conceptum generis, speciei, etc., vel *realiter* per unitatem existentiæ (n. 34) aut subsistentiæ (n. 109).

46. QUOTUPLEX sit unitas transcendentalis ?

Totuplex est unitas, **quotuplex** gradus indivisionis.

1° Imprimis unitas est vel *per se* vel *per accidens*. Prior est indivisio essentiæ unum habentis esse, etiamsi pluribus principiis intrinsece unitis coalescat : talis est Deus, talis et essentia hominis. — Posterior est indivisio eorum quæ inter se uniuntur vi accidentium, puta ejusdem figuræ, v. g. domus, vel aliqua idea generica, v. g. numerus, multitudo (n. 124).

2° Præterea unitas per se duplex est : sc. unitas *simplicitatis* et unitas *compositionis*, quæ dicuntur a recentioribus *metaphysica* et *physica*. Ens unum unitate simplicitatis seu indivisibilitatis, non solum est de facto indivisum, sed dividi non potest ; tales sunt substantiæ spirituales [3]. Unum autem unitate compositionis, etsi de facto sit indivisum, potest tamen dividi : talis est substantia hominis, quæ corpore et anima constat.

3° Tandem unicitas, quæ est negatio pluralitatis, duplex est : unicitas *de facto*, si plura inter se quolibet modo vinciuntur, quo sensu universum dicitur unicum, et unicitas *essentialis*, si per essentiam multiplicari nequit, v. g., Deus.

ARTICULUS II

De Identitate.

47. Quid et quotuplex sit IDENTITAS ?

A. — Ex unitatis notione progredimur ad **notionem identitatis** ; nam eo quod ens est in se indivisum, concipimus illud idem esse sibi, nempe cum seipso consentire ; porro identitas proprie dicta (eadem entitas) consistit in eo quod ens cum seipso con-

1. **Sum. theol.**, *Ibid.* ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 69. — 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 52, 79-82. — 3. **Mercier**, *Ontol.*, n. 83.

sentit, seu res eadem cum seipsa manet, meritoque dicitur : *convenientia rei cum seipsa* [1].

Ut patet, res convenire cum seipsa dici nequit, nisi quia in diversis existentiæ suæ momentis consideratur aut in eodem momento per comparationem mentis quasi duplicatur.

B. — Identitas **triplicem gradum** suscipit, prout ens vel in toto suo esse, vel in essentia, vel in accidentibus tantum sibi consonat, et idem permanet : ideo dividitur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*. — Identitas metaphysica competit enti quod ne minimam quidem patitur mutationem ; qualis est solus Deus. — Identitas physica convenit enti cujus essentia physica saltem perseverat, v. g., anima vel angelus. — Identitas vero moralis convenit enti quod, etsi successive quoad materiam mutetur, idem tamen videtur quoad formam accidentalem et in existimatione hominum : v. g., communitas, quæ lapsu temporis ex integro renovatur, moraliter tamen eadem dici solet. — Secundam et tertiam habet homo (Psych., n. 214), non primam : hæc in Deo, cujus attributa et essentia idem sunt.

Jam hæc notio identitatis ducit ad principium identitatis.

48. Quid de PRINCIPIO identitatis seu contradictionis [2] ?

Hoc principium, post Heraclitum, rejiciunt plures recentiores.

A. — **Triplici formula** exprimi potest, sc. — *a*) positiva : *quod est est*, vel *ens est ens* et *non-ens est non-ens* ; — *b*) negativa : *idem non potest esse simul et non esse* ; — *c*) exclusiva : *quodvis est aut non est, non datur medium*. — Tertia formula est principium tertii exclusi ; secunda, quæ dicitur principium contradictionis, frequentius usitatur, sed cum cæteris duabus quadrat et in eas facile resolvitur (Log., n. 132).

B. — Cujus **objectiva certitudo** confirmatur, — *nam* datur relatio identitatis inter *ego* et *ego* ; hæc autem relatio habet terminum objectivum, nempe saltem ens phænomenicum a conscientia perceptum, etiam dato, sed non concesso, quod ens noumenicum nos fugeret. — *Insuper*, si conscientiæ fides, relatio hujus identitatis ut objectiva nobis evidenter apparet. — Sine qua *tandem* ruit omnis certitudo, etiam subjectiva seu concordia idearum nostrarum cum semetipsis. Si enim vera non est hæc propositio : *ens est ens*, seu *non-ens est non-ens*,

1. **Suarez**, *Disp. Metaph.*, VII. — 2. *In IV Met.*, lect. 6 ; **Sum. theol.**, I-II, q. 94, a. 2 ; — cf. **Farges**, *Théorie fond.*, p. 77-87 ; — **Maquart**, in *Rev. thom.*, 1926 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 101 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 149.

vera erit contradictoria, *ens est non ens*, seu *ens est nihilum* : quod est absurdum et ruina cujuslibet alterius affirmationis et negationis, et ideo omnis scientiæ (Crit., n. 57, II et n. 111).

Est **contra sophistas modernos**, qui principium contradictionis diruere nituntur. — Ita, post Hégel, Michelet : « L'Etre et le Néant sont identiques... [1]. » Ita, cum Schérer, Vacherot : « Tandis que le principe de contradiction est la loi de l'entendement, le principe de l'identité absolue est la loi de la raison [2]. » Denique E. Le Roy, juxta quem « Les contradictoires s'identifient dans les profondeurs supralogiques [3] ». — Sic et sophistæ veteres, sicut et moderni, dicebant : « omne quod videtur est verum, et sic quod contradictoriæ essent simul veræ [4] » (Log., n. 161).

49. Quid et quotuplex sit identitas RELATIVA ?

A. — Ex notione identitatis *absolutæ* exsurgit **notio identitatis relativæ** seu secundum quid, quæ est convenientia unius rei cum altera, seu duorum conformitas in eadem forma. *Relativa* dicitur, quia importat relationem plurium distinctorum, quæ *diversa* vel proprie *identica* dicuntur, prout de ipsis negatur vel asseritur identitas *individualis*.

B. — **Totuplex erit** identitas relativa seu *similitudo* late sumpta, quotuplex forma similis in pluribus dari possit.

Hæc autem duplex est : *essentia* vel *accidens*. Unde ea quorum essentia eadem est, identitate gaudent, vel *generica*, in individuis ejusdem generis, v. g., animal et homo ; vel *specifica*, in individuis ejusdem speciei, sc. Plato et Tullius.

Identitas autem accidentalis duplex præcipue habetur : *qualitativa* aut *quantitativa* : nam ea in quibus eadem est qualitas, *similia* stricte dicuntur et plus minusve sunt ; ex. g., papyrum nivi simile est albedine ; ea vero in quibus eadem est quantitas, sunt *æqualia*, v. g., duo pondera.

Nota. — Hic agitatur quæstio de principio identitatis **indiscernibilium**, nempe utrum dari possint duo entia perfecte similia [5]. Negat Leibniz, dicens ; duo entia perfecte similia inter se non « discernerentur ». — Affirmant Clarke et alii, dicentes : entia perfecte similia non essent identica : ergo numero saltem distingui possent. Hinc in omni casu datur distinctio numerica entium.

1. *Esquisse de logique*, p. 3, 4, 12 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 471, 479-B. — 2. *La métaph. et la science*, 1863, t. III, p. 14. — 3. **Le Roy**, *Revue de métaph. et de morale*, 1905, p. 200-204. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 85, a. 2. — 5. **Mercier**, *Ontol.*, n. 46, 77.

ARTICULUS III

De Distinctione [1].

50. Quid et quotuplex sit DISTINCTIO ?

A. — Identitati opponitur **distinctio**, quæ non potest proprie definiri, sed quoad nomen est separatio (δίς, δύο, *στίζειν* radere) et quoad rem in eo consistit quod unum ens *aliquid* est et non aliud et definitur : *carentia identitatis inter plura, sive in re, sive in mente.*

B. — Præter distinctiones mere nominales, ut inter Petrum et Cephas, sunt aliæ distinctiones quorum **triplex est genus** :

1° Ratione **objecti**, quatuor sunt ; nempe *diversitas, differentia, dissimilitudo* et *inæqualitas.* — Etenim si duo plurave carentiam identitatis habent in essentia completa, vocari solent diversa, v. g., lapis et homo ; si tantum in parte speciem determinante, differentia vocantur, v. g., leo et homo ; si in qualitate, sunt dissimilia, ut homo niger et homo albus ; si vero in quantitate, inæqualia nominari solent.

2° Ratione **gradus**, ea quæ non solum distinctione quadam afficiuntur, sed etiam inter se quodammodo pugnant, *opposita* dicuntur. Eaque oppositio est aut *contradictoria*, ut ens et non ens ; *aut contraria*, ut calor et frigus ; aut *privativa*, ut visus et cæcitas ; aut *relativa*, ut pater et filius.

3° Ratione **ordinis**, distinctio potest esse *realis* vel *logica* [2]. Distinctio realis existit inter realitates quarum una non est altera, independenter a consideratione mentis ; distinctio autem logica seu rationis est inter varios conceptus unius rei.

51. Quænam sint distinctionis REALIS species et signa [3] ?

A. — **Duplex est** : una sc. est **realis major** et absoluta, quæ reperitur inter rem et rem vel inter partes rei et — si inter individua reapse actu divisa, ut sunt Aristoteles et Plato, tunc dicitur major *adæquata* ; — si inter partes rei, i. e., inter res divisibiles saltem mentaliter, non tamen actu divisas, tunc dicitur *inadæquata*, sive illæ partes sint substantiæ, v. g., inter materiam et formam, corpus et animam, sive sint substantia et accidentia, v. g., inter substantiam et qualitates ejus, sive sint facultates, sive sint existentia et essentia. — Altera dici solet **realis minor** vel etiam modalis : viget non inter rem

1. **Contra gent.**, I, c. 17. — 2. *De potentia*, q. 8, a. 11. — 3. **Zigliara**, *Ontol.*, 1880, II, c. 2.

et rem, sed inter rem et modum ejus seu terminum intrinsecum rei, i. e., inter elementa inseparabilia physice ejusdem rei, v. gr. inter motus celeritatem et ejus directionem, inter lineam et punctum et curvitatem lineæ.

B. — **Signa** igitur distinctionis realis hæc sunt præcipua :

1. Separatio actualis ; ut v. g., inter duo corpora.
2. Separabilitas mutua ; v. g., corporis ab anima.
3. Separabilitas non mutua ; ita res mobilis a suo motu separari potest, non vicissim : una igitur ab alio differt.
4. Variatio independens rerum inseparabilium : sic in motu directio et celeritas separatim modificari possunt.
5. Origo unius ab altera ; v. g., potentiæ ab anima, cogitationes ab intellectu emanant, et ideo realiter distinguuntur.
6. Repugnantia notarum, quæ sibi invicem contrariantur ; v. g., quantitas et qualitas conceptibus suis alienantur, ergo diversæ sunt.

52. Quænam sint distinctionis LOGICÆ species et ratio ?

A. — **Duplex est** etiam distinctio rationis, nempe **rationis ratiocinatæ**, et **rationis ratiocinantis**, prout in ea magis passive aut active se præbet ratio. Prior seu celeberrima distinctio thomistica aut *virtualis* ea est quæ formaliter existit inter intellectus varios conceptus cum fundamento proximo in rebus ipsis ; eo sensu differunt justitia et bonitas Dei et in Petro humanitas et animalitas. Posterior seu *mere logica* est etiam distinctio a mente facta, quin adsit illius *proximum* fundamentum in re : ut si distinguamus hominem ab animali rationali, rationem subjecti et prædicati, 2 ab 1 + 1 : patet enim tales distinctiones ex ordine intellectuum desumi.

B. — **Fundamentum** vero distinctionis virtualis est, sive *perfectio* rei, quæ et in se æquivalet multis realitatibus et virtute sua effectus diversos producere potest, sic anima humana æquivalet triplici animæ, nempe vegetativæ, sensitivæ et intellectivæ ; sive *imperfectio* intellectus nostri, qui, propter imbecillitatem suam, rerum respectus non apprehendit nisi unum post alterum per conceptus formaliter diversos et, ut aiunt, præcisivos.

In utraque ratione innititur distinctio virtualis et duplex est : virtualis major seu *completa* inter diversos ejusdem rei conceptus qui se invicem non includunt et possunt designare res separatas in rerum natura, sicut in anima humana conceptus animæ vegetativæ et sensitivæ et intellectivæ ; virtualis minor seu *incompleta* inter diversos ejusdem rei conceptus qui

se invicem includunt ita ut unus exprimat explicite id quod alius implicite dicit, qui proinde non possunt designare res separatas in rerum natura, v. g., distinctio inter ens et proprietates transcendentales, inter varia attributa Dei. — Brevius,

Distinctio est :
- *Realis*
  - *major*
    - *adæquata* : inter res divisas.
    - *inadæquata* : inter res divisibiles.
  - *minor* : inter rem et modos ejus intrinsecos.
- *Rationis*
  - *ratiocinantis* : mere logica et in mente sola.
  - *ratiocinatæ*
    - *completa* : inter conceptus exclusivos.
    - *incompleta* : inter conceptus inclusos

53. Scholium de distinctione formali seu scotistica [1]. — Præter quatuor illas distinctiones, Scotistæ aliam distinctionem nec realem, nec rationis tantum, sed intermediam admittunt ; eaque nominatur **formalis** *ex natura sua*, **scotistica** aut **realis minima.**

Distinctio hujusmodi comperitur inter diversas ejusdem entis perfectiones, formalitates, realitates, quæ inter se non distinguuntur sicut res et res, sed talis sunt naturæ, ut, seclusa mentis operatione, tamen a parte rei distinctione non rationis tantum sed *actuali* formali secernantur, ita quod diversas definitiones exigant : v. g., facultates animæ inter se et ab essentia (Psych., n. 175-178) aut varia attributa Dei (Theod., n. 57).

Sed contra : omnis distinctio vel *est* in re et a parte rei, vel *fit* a mente et tunc *cum* vel *sine* fundamento objectivo : non datur medium. Unde distinctio scotistica, ut constat exemplis allatis, ad realem vel ad virtualem facile reducitur et ideo *inutilis* est in doctrina thomistica ; in se vero, judicio majorum neo-scholasticorum [2], nec *intelligibilis*, nec bene fundata est, imo quandoque *periculosa*.

CAPUT SECUNDUM

DE VERITATE ENTIS TRANSCENDENTALI [3]

Hactenus de ente *in se* : nunc consideratur *relative* et si ad intellectum, habetur *veritas* cui opponitur *falsitas* : unde

ARTICULUS I

De Veritate.

54. QUOTUPLICI SENSU veritas sumi possit ?

Veritas *fundamentaliter* est « id quod est [4] », sed, quia for-

1. Cf. **Scotus**, *In I Sent.*, dist. VIII, q. 4 ; — *In II Sent.*, dist. III, q. 1 ; — cf. **Minges**, *Duns Scoti doctrina philosophica*, I, 10, 16, 58, 71, etc. — 2. Cf. **Mercier**, *Crit. gén.*, n. 133, p. 328-332 ; — **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, II, 256-261. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 16 ; — cf. **E. Blanc**, in *Revue de philos.* : La vérité, sa définition, ses espèces, 1er av. 1901 ; — **Mercier**, *Critér. génér.*, n. 14-15 ; — *Ontol.*, n. 94-100 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 83. — 4. **Augustinus**, *Solil.*, c. v.

maliter dicit relationem ipsam inter rem et intellectum **in triplici sensu** accipitur :

1. Ex parte rei definitur : *conformitas seu adæquatio rei cum intellectu* ; et hæc est veritas in essendo seu ontologica, **metaphysica** et transcendentalis.

2. Ex parte intellectus est *conformitas cognitionis cum re cognita*, ecce veritas in cognoscendo seu **logica** (Crit., n. 6).

3. Ex parte sermonis est *conformitas loquelæ cum cogitatione mentis* : quo sensu est veritas in significando et **moralis**.

Sic hospes, v. g., vinum (ver. fundamentalis) offert amico — dicens : *hoc est vinum verum* (ver. metaphysica), — quod recte novit esse hujusmodi (ver. logica) — et tradendo more suo sincere loquitur (ver. moralis). — Veritas igitur triplex est : metaphysica cujus contrarium est *fraudulosum* seu imitatum, logica cujus contrarium est *error*, moralis et dicitur veracitas, cujus contrarium est *mendacium*.

Porro, in Ontologia, veritas sumenda est in primo sensu, quatenus importat relationem actualem rei ad intellectum divinum [1], possibilem seu intelligibilitatem ad intellectum creatum. — De qua sint tres quæstiones : de *Natura*, *Existentia* et *Fundamento* veritatis metaphysicæ.

§ I. — *De Natura veritatis.*

55. In quo præcise CONSISTAT veritas metaphysica ?

Juxta Wolf, veritas metaphysica non consistit in conformitate rei cum intellectu, sed cum suis principiis constitutivis. Hoc autem posito, jam non distingueretur ab entis possibilitate (n. 42). — Sed contra sit

THESIS

Ens dicitur verum, quatenus habet relationem ad intellectum.

Explic. — Veritas idem est ac res quatenus cognoscibilis seu tribuitur rebus per *ordinem* ad intellectum.

*Arg. I*um. — Invenire est **in ore omnium** hujusmodi locutiones : hoc est verum aurum, hic est verus homo, aut verus panis. Sed ex omnium consensu, iste loquendi modus nihil aliud significat, nisi quod aurum, homo, panis, perfecte respondent eorum essentiæ, qualis repræsentatur in mente Dei et hominis. Ergo res dicuntur veræ per ordinem ad intellectum.

*Arg. II*um. — Idem ratione et **via eliminationis** probatur.

1. **Suarez**, *Disp. Metaph.*, XXV ; — **S. Thomas**, *De veritate*, q. 1, a. 1 et 2 ; — **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 6.

Nam verum est quid additum enti vel non : si autem secundum, est ipsum ens consideratum absolute vel relative. Porro

1° Verum non est *nova qualitas* enti superaddita ; nam de ea, quum esset ens, rediret quæstio an sit vera vel non, et sic in infinitum. Ergo verum est ipsum ens.

2° Sed verum non potest esse ipsa *entitas rerum ut sic* et absolute sumpta. Ens enim concipitur ut id quod est simpliciter ; verum autem ab omnibus agnoscitur ut id quod est intelligibile. Ergo veritas non est ipsum ens *ut sic*. — Nisi verum dicatur vox inanis et redundans ; sed omnes sentiunt voces *verum* et *ens* non esse omnino synonymas. Ergo verum ab ente differt per aliquam *relationem*.

3° Porro verum non consistit in relatione entis *ad voluntatem* ; nam ens, si referatur ad appetitum, « addit rationem appetibilis supra ens », et dicitur bonum.

Ergo superest ut verum sit **relatio entis ad intellectum** : realis quidem ad intellectum divinum a quo mensuratur proprie, rationis autem ad intellectum creatum quem mensurat ; relatio enim mensuræ non est mutua (n. 128). Ast alterutra necessaria : nam « si uterque intellectus intelligeretur auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret [1] ».

§ II. — *De Existentia veritatis.*

56. Utrum OMNE ENS sit verum [2] ?

Quæstio in præfato sensu ponitur, nempe utrum omne ens ab intellectu saltem divino cognoscatur, etiamsi multa, sicuti eventus in potentia futuri et non paucæ rerum materialium essentiæ de facto ad intellectum humanum nullam habeant relationem. Porro juxta ontologistas, post Malebranche, una est veritas, nempe Deus ; res autem creatæ propria veritate destituuntur, et in Deo tantum intelligibilitate gaudent et cognosci possunt. Sed contra

THESIS

Omne ens est verum.

Prob. — Ens dicitur verum in quantum est cognoscibile (n. 55). Sed omne ens est cognoscibile. Ergo verum.

Constat *minor* ; nam ut ens cognosci possit, duo requiruntur et sufficiunt ; nempe 1 — necesse est ut habeat aliquam realitatem, i. e., non sit nihilum, nam nihilum non habet in

1. *De veritate*, q. I, a. 2 ; — cf. **Wébert**, *Op. cit.*, p. 83 ; — **Sertillanges**, *Op. cit.*, I, p. 39 ; — **Gredt**, *Op. cit.*, II, n. 540-543 ; — **de Tonquédec**, *La notion de la vérité dans la philosophie nouvelle*, 1908. — 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 101-102 ; — **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 3, c. et ad 1.

se unde cognosci possit ; et 2 — secerni possit a qualibet alia entitate. Porro omne ens habet notas quibus intrinsece constituitur, et est aliquid in se unum et a quolibet alio distinctum. Ergo omne ens cognosci potest, saltem a Deo.

Corol. — Hinc axioma : ens et verum convertuntur. « Si autem est verum, est cognoscibile : unde omne ens est cognoscibile, imo unumquodque in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile [1]. » — Rursus autem est cognoscibile (saltem pro intellectu proportionato) non tantum in facto suæ existentiæ (an sit ?), sed etiam in omnibus suis modis essendi : 1° in modis suæ *essentiæ* (quid sit ?) ; 2° in modis suæ *existentiæ* (unde sit ? ad quid sit ?) hæc enim sunt ens aut aliquid entis (cf. n. 6, 147, 156.)

§ III. — *De Fundamento veritatis.*

57. Quodnam sit FUNDAMENTUM veritatis metaphysicæ ?

Lockiani et *positivistæ* veritatis essentiam reponunt in convenientia rerum naturalium cum intellectu nostro [2]. — Juxta *kantistas* et quoslibet liberæ cogitationis fautores, ratio humana est autonoma et ab ordine objectivo independens. — Quare, juxta *pantheistas* et fautores progressus indefiniti, verum nihil est nisi evolutio intellectus humani. Contra quos omnes sit

THESIS

Veritas metaphysica essentialiter pendet ab intellectu divino, non ab intellectu humano.

Explic. — Res intellecta potest habere ordinem ad aliquem intellectum dupliciter ; primo per se, secundo per accidens. *Per se* quidem, res quælibet habet ordinem ad intellectum a quo dependet ut sit ; *per accidens* vero ad intellectum a quo dependet tantum ut cognoscatur ; sicuti, v. g., domus prout comparatur ad intellectum artificis qui eam concepit vel ad intellectum alicujus alterius, qui tantum ipsam cognoscit [3].

I. **Essentialiter.** — Veritas, cum sit modus essentialis rerum, essentialiter dependet ab intellectu a quo res ipsæ dependent in esse. Sed in esse suo res omnes essentialiter dependent ab intellectu divino : imo « unumquodque in tantum habet de veritate suæ naturæ in quantum imitatur Dei scientiam, sicut artificiatum in quantum concordat arti » [4]. Veritas igitur essentialiter pendet ab intellectu divino.

II. **Non essentialiter.** — Id quod potest cognosci aut non cognosci ab aliquo intellectu, ab eo non pendet nisi per accidens. Atqui veritas potest cognosci aut non cognosci ab intellectu creato : hic enim, quum sit contingens, potest esse vel non esse, quin ideo cesset omne ens, omne verum. Ergo veritas accidentaliter tantum refertur ad intellectum hominis.

1. **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 3. — 2. **E. Littré**, *Conservation*, p. 37 et 61. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 1. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 12, a 3.

Corol. — *Deus seu Prima veritas est mensura omnis veritatis.*

Revera veritas est in rebus ipsis, in intellectu creato, in sermone. Sed res mensurantur ab intellectu divino, intellectus creatus a veritate rerum, sermo a veritate intellectus. Ergo omnis veritas proxime aut remote ab intellectu divino mensuratur : « *l'intelligence divine est la mesure de la vérité qui mesure à son tour l'intellect humain* [1] ». — Hinc veritas logica et moralis ontologicam veritatem semper præsupponit.

58. Hinc patet cur IMMUTABILITAS sit dos veritatis.

Negant iidem ac supra (n. 57). Revera, ut aiunt modernistæ (Cosmol., n. 158), intellectus humanus est aliquid contingens et relativum, i. e. mutabile pro conditione personarum, temporum, regionum : ergo pariter veritas « non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quæ cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur [2] ». Sed contra hujusmodi relativismum sit

THESIS

Veritas, etiam in intellectu humano, æterna, necessaria et immutabilis quodam sensu dici debet.

Prænot. — Dicitur *quodam sensu* ; nam sola veritas divina est quid *positive* et *in se* æternum, necessarium et immutabile ; veritas autem humana non est æterna, necessaria, et immutabilis nisi *idealiter*, in quantum est participatio veritatis divinæ [3].

Prob. — In veritate participata *tria* sunt : essentiæ rerum creatæ, intellectus creati, necnon adæquationes inter essentias rerum et hos intellectus. Porro 1. — *essentiæ* rerum indivisibiles, æternæ, necessariæ et immutabiles, certo quodam sensu, dici debent (n. 21) ; 2. — *intellectus* creati habent essentiam suam pariter immutabilem ; 3. — denique *operatio* intellectuum, ex qua completur ratio veritatis seu judicium, quibusdam necessariis subditur legibus. Ergo veritas humana, multiplici de causa, æterna, necessaria et immutabilis dici debet.

Confirmatur, nam si veritas poneretur contingens et mutabilis, jam evanesceret omnis certitudo ; proindeque nulla scientia, nulla moralitas, nullaque societas permanere posset.

ARTICULUS II

De Falsitate.

Eædem fere sunt quæstiones de falsitate ac de veritate. Unde

1. **Dupont**, *Ontologie*, Louvain, 1872, p. 95. — 2. **Pius X**, Decr. *Lamentabili*, prop. 58 ; — **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 202 et seq. — 3. **Mercier**, *Ontol.*, n. 107-109.

59. Quid de NATURA falsitatis metaphysicæ ?

Sicut veritas consistit in adæquatione rei et intellectus, ita **falsitas in eorum inadæquatione** formaliter consistit [1]. — Esset ergo falsitas *metaphysica* : *inadæquatio* seu *absentia conformitatis rei cum intellectu divino*, ut circulus quadratus.

His verbis *falsitas metaphysica* distinguitur a falsitate *logica* et *morali*. Nam

1. Falsitas *logica* est absentia conformitatis intellectus cum rebus ; hæc falsitas in *cognoscendo* vocatur *error*.

2. Falsitas *moralis* est absentia conformitatis sermonis cum ideis loquentis : hæc falsitas *in dicendo* est *mendacium*.

60. Quid de EXISTENTIA falsitatis metaphysicæ ?

Dari *mendacium* et *errorem* satis constat : de rebus ipsis sit

THESIS

Omnia in se et respectu Dei vera sunt, sed respectu intellectus creati per accidens quædam falsa videri possunt.

A. — **Omnia in se** *vera sunt*. Nam omne ens est verum seu intelligibile. Unde non datur falsitas fundamentalis (n. 54, 1°).

B. — *Nihil est falsum* **respectu intellectus divini** [2]. Nam quidquid est, vel est opus Dei vel creaturarum. Si prius, Deus cognoscit omnia ut sunt, eo quod condidit universa secundum ideas suas ; secus enim non esset artifex sapientissimus. Si posterius, opera causarum secundarum Illum latere non possunt : secus non esset prima omnium causa. Unde non datur falsitas metaphysica.

C. — Sed *per accidens* aliquid potest esse falsum **respectu intellectus creati** ; quum enim intellectus noster accipiat veritatem a rebus ope sensuum aliorumve cognoscendi mediorum, fieri potest ut, apparentiis deceptus, *judicet* aliquid esse, quod revera non est. Ideo « res per se non fallunt, sed per accidens : dant enim occasionem falsitatis, eo quod similitudinem eorum gerunt, quorum non habent existentiam [3]. » Unde per accidens falsa ponuntur.

61. Quid de ORIGINE seu causa hujusce falsitatis ?

Quoniam, ex dictis, aliqua, v. g., falsum aurum, per accidens falsa dicantur, quæ nata sunt facere de se opinionem falsam, sit

THESIS

Falsitas quæ partim a re ipsa, partim a sensu oritur, ordinarie a voluntate gignitur.

A. — *Falsitas* **a rebus** *oriri potest* ; nam, etsi res in se sint veræ, nos tamen, propter apparentiam fallacem, in errorem inducere queunt ; nempe : « Quando in aliqua re apparent sensibiles qualitates demonstrantes naturam quæ eis non subest, dicitur res illa esse falsa [1] » ; ita aurichalcum videtur esse aurum, propter similitudinem coloris, sed est falsum aurum et cuprum omnino verum.

B. — *Falsitas etiam partim* **a sensibus** *oritur*. Etenim « cognitio nostra initium a sensu sumit, cujus per se objectum sunt sensibiles qualitates [2] » ; sed in perceptione sensuum apparentia falsa inveniri potest propter impedimentum sive in organo, sive in medio, sive in ipsis rebus existens, sicque, ex. g., baculus in aqua videtur fractus ; ergo perceptio sensuum præbet intellectui occasionem errandi (Crit., 9 et 46).

C. — *Falsitas tandem* **a voluntate** *gignitur*. Non enim falsitas rebus imponeretur, nisi prius de vera ipsarum natura deciperetur intellectus ; porro omnis error intellectus a voluntatis motione aliquatenus originem habet (Crit., n. 9) : ergo etiam falsitas logica seu error judicii (Crit., n. 7).

Unde quod est causa falsitatis logicæ est etiam et ulterius ratio cur aliqua per accidens falsa dicantur, cum revera non sint.

1. S. Thomas, *De veritate*, q. 1, a. 10 ; — **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 1. — 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 103 ; — **Sum. theol.**, I, q. 17, a. 1. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 17, a. 4, ad 2.

CAPUT TERTIUM

DE BONITATE ENTIS TRANSCENDENTALI

Defectu *boni* est *malum* ; duo sint igitur articuli.

ARTICULUS I

De Bono [3].

62. Quid et quotuplex sit BONUM ?

A. — Bonum **proprie non definitur** : est ens quatenus appetibile et ideo dicitur *ea rei convenientia seu aptitudo, qua movetur appetitus* : « bonum enim est quod omnia appetunt [4] ». — In hac declaratione, *fundamentum* objectivum, ratio *formalis*, necnon *effectus* bonitatis exprimuntur. Nempe

1° Bonum in objectis inspectum est ea convenientia seu perfectio fundamentalis, per quam res apte disponitur ad finem suum, aut ad finem alterius, et fit bona vel sibi vel alteri.

2° Convenientia hujusmodi appetitum allicit, movet, trahit ; et ita bonum specifice et formaliter discriminari debet a vero, quod refertur ad vim cognitivam.

3° Bonum movet appetitum et in cognitivo gignit amorem ut effectum ; dum e contra verum parit cognitionem.

1. **Sum. theol.**, I, q. 17, a. 1 ; — *De veritate*, q. 1, a. 1 ; — q. 1, a. 11 ; — **Aristoteles**, *VI Metaphys.* — 2. *De veritate*, q. 1, a. 10. — 3. Cf. **Sum. theol.**, I, q. 5 ; — **Contra gent.**, I, c. 37 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 87 ; — **Sertillanges**, *Op. cit.*, 1, p. 55. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 5, a. 4, ad 1.

B. — **Multæ sunt boni species**; ecce vero præcipuæ :

1. Ratione *ordinis*, bonitas est metaphysica, physica aut moralis (n. 67, B), prout est attributum *omnium* rerum, vel perfectio debita *individuæ* rei, vel moralium *actuum* : physica autem est multiplex, v. g., sensibilis, spiritualis...

2. Ratione *veritatis*, utilior est divisio, qua bonum partimur in *verum* et *apparens*. Bonum illud dicitur verum, quod reapse tale est in rebus, quale existimatur, ut amare Deum ; bonum autem apparens, quo sæpe homines falluntur, est illud quod revera non est bonum, etsi tale appareat, ut sunt voluptates.

3. Ratione *finis*, præstantior adhuc est divisio boni in *honestum*, *utile* et *delectabile*. Bonum sc. in se sumptum, quatenus per se et ratione sui desideratum, nuncupari solet honestum, sive sit morale, ut virtus, sive sit naturale, ut quælibet perfectio consona rationi. Bonum autem quod appetitur ratione alterius boni seu tanquam medium ad quemdam finem obtinendum, est utile : sic medicina relative ad sanitatem est bonum utile. Denique bonum quod desideramus propter quietem aut fruitionem ei annexam, delectabile nuncupamus, ut sanctorum felicitas.

63. Utrum OMNE ENS sit bonum ? — Respondet affirmative

THESIS

Omne ens est bonum,
bonum tamen proprie dicitur de rebus existentibus.

A. — **Omne ens est bonum**. — *Prob.* ex duplici ejus nota :

1° *Indirecte ex intelligibilitate entis.* Nam omne ens est verum seu intelligibile. Atqui ens, omni aptitudine tum activa tum passiva destitutum, proindeque non bonum, v. g., ad aliquid agendum aut patiendum, esset sine modo essendi, proinde inintelligibile. Ergo omne ens est bonum, saltem sibi.

2° *Directe ex appetibilitate entis.* Quidquid est appetibile est bonum. Porro omne ens, cum sit actus et ideo quidam perfectionis gradus, est appetibile, tanquam finis aut medium, vel ab humana voluntate, vel saltem a Deo quatenus ab Eo volitum et approbatum. Ergo omne ens est bonum [1], etiam alteri.

Hinc illud axioma : bonum et ens convertuntur.

B. — *Bonum est* **in rebus et quidem existentibus**. — Etenim verum potius est in mente, bonum autem in rebus ; sed cognitio et amor in hoc differunt, quod cognitio terminatur ad objectum etiam ideale ; amor autem quasi *pondus* quo amans trahitur a re amata, fertur tantum in rem realem ut ea fruatur ; v. g., non in cibum idealem, sed realem : ergo bonum proprie dictum est ens, sed quatenus existit aut existere potest [2] (Psych., n. 98).

1. **Sum. theol.**, I, q. 5, a. 1, c. et ad 1 ; a. 3. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 1.

ARTICULUS II

De Malo.

64. Quid et quotuplex sit MALUM ?

A. — Quoniam bonum dicitur perfectio, **malum vocari potest** : *defectus perfectionis cuidam subjecto debitæ.*

1° Est *defectus perfectionis.* Videlicet « malum non est aliquid in rebus [1] ». Est quidem negatio cujusdam entitatis realis et objectivæ : in se vero nihilum est.

2° Est defectus perfectionis *cuidam subjecto debitæ.* Id est, malum non est nihilum mere negativum ; nihilum enim hujusmodi tantummodo significat non-ens, et ideo neque bonum, neque malum est. Est autem nihilum privativum, et proprie designat privationem qualitatis cuidam subjecto debitæ. Sic, v. g., cæcitas seu privatio visionis, in Petro malum est, non autem in petra [2].

Immerito Leibniz malum *metaphysicum* vocat finitudinem entis creati seu carentiam perfectionis non debitæ, quasi, v. g. malum esset pro lapide non habere sensationem aut intellectum ; dum e contra Spinoza contendit malum esse simpliciter nihil et omnia sub respectu divino necessaria et bona.

B. — **Tot sunt mala**, quot privationum species. Unde

a) Malum non datur *absolutum*, sed potest esse *relativum*. Malum relativum est illud quod, licet in se bonum sit, est tamen malum respectu cujusdam subjecti ; ex. g., judicis sententia in se bona est, sed, relative ad sontem, mala nominari solet.

b) Præterea, malum dicitur *turpe*, *nocivum* et *dolorosum*, prout opponitur bono honesto, utili et delectabili. Ex. g., vitium est turpe ; venenum est nocivum ; cruciatus est malum dolorosum.

c) Insuper, malum dicitur *physicum* vel *morale* ; eaque divisio est utilissima. Malum physicum est privatio boni physici sive sensibilis ut dolor, sive spiritualis ut ignorantia. Malum autem morale seu peccatum est privatio boni moralis, et consistit in actus deformitate cum regula morum ; v. g., furari, mentiri, pejerare.

Jamvero malum physicum ex se est *malum naturæ* : si ex culpa, est *malum pœnæ* : si *mere naturæ*, est malum *secundum quid*, ita mors agni, agno malum est, sed lupo bonum.

65. Utrum et quodnam sit mali SUBJECTUM ?

Zoroaster [3], Manichæi et alii nonnulli, etiam apud recentiores, v. g. Schopenhauer, propugnant principium ex se summe malum, a quo mala cuncta prodeunt. — Interea Ch. Renouvier declarat

1. **S. Thomas**, *De malo*, q. 1, cf. a. 1 ; — **Petavius**, *De Deo*, L. IV, c. 4 ; — **Sertillanges**, *La philosophie morale de S. Thomas d'Aquin*, p. 39. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 48, a. 5, ad 1. — 3. **Huby**, *Christus*, c. VII ; — **Barbedette**, *Histoire de la phil.*, n. 9.

malum esse aliquid positivum : « Il y a un mal positif [1]. » Sed contra sit

THESIS

Malum esse non potest, nisi in subjecto bono, sed defectibili.

A. — **Non** *subsistit in se.* — Malum enim est privatio perfectionis cuidam subjecto debitæ ; sed privatio in se non est aliquod ens, licet ejus subjectum sit ens : unde necesse est ut malum non sit ens, sed defectus in ente quodam.

Nec est aliquid positivum. « Dico quod id quod est malum, non est aliquid ; sed id cui accidit esse malum, est aliquid, in quantum malum privat nonnisi aliquod particulare bonum ; sicut et hoc ipsum, quod est cæcum esse, non est aliquid ; sed id, cui accidit cæcum esse, est aliquid [2]. »

B. — **Est** *in subjecto bono.* — Nam existit in ente reali ; sed omne ens est bonum (n. 63) ; ergo malum fundatur in subjecto bono. — Nec *dicas* malum, utpote bono contrarium, non posse cum bono simul esse : non enim idem est bonum et malum sub eodem, sed sub diverso respectu.

Sed in subjecto defectibili, — sc. in creatura quæ per se imperfecta ad peccatum prona est. Unde Causa prima nequit esse subjectum mali, quia non potest deflectere a bono.

Hinc bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.

66. Quænam sit causa seu ORIGO mali ?

Contra eosdem philosophos, et præsertim Manichæos, contra etiam Petrum Bayle in suo *Dictionnario* et Proudhon qui noviter laudes mali decantavit, sit

THESIS

Mali causa *non est malum, sed bonum, et quidem non per se, sed per accidens, aut quatenus deficiens.*

A. — **Non est malum.** — Etenim malum est mera privatio seu nihilum. Sed a nihilo nihil fit. Ergo malum, nullius rei nec ipsius mali, potest esse causa.

B. — **Est bonum.** — Nam omnis causa efficiens est aliquid reale et positivum, et consequenter bonum. « Esse causa, non potest convenire nisi bono : quia nihil potest esse causa, nisi in quantum est ens ; omne ens autem in quantum hujusmodi bonum est [3]. »

1. *Histoire des problèmes métaphysiques*, 1901, p. 364. — 2. *De malo*, q. 1, a. 1 ; — **S. Leo**, *Serm.* IV, *De quadrag.*, Item, *Epistola ad Turribium*, c. VI, ap. **Journel**, n. 2180 ; — **Augustinus**, *Confess.*, L. IV, c. XV, n. 24 ; *De unitate Dei*, L. XI, c. XXVII ; *De vera religione*, c. XXIII. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 49, a. 1 ; — *Quæst. disp.*, *De malo*, q. 1, a. 3.

C. — *Causat malum* **per accidens.** — Agens enim a quo malum patratur, non potest intendere malum ; malum enim appetitui repugnat ; ergo per se vult quoddam bonum saltem apparens ; ex. g., leo qui occidit cervum, nutritionem intendit. Unde axioma : omne agens propter bonum operatur ; vel : malum est præter intentionem et indirecte volitum.

D. — *Aut causat* **quatenus deficiens.** — Ita, quoniam multiplex est causa, malum enascitur : — 1º ex defectu virtutis in *causa efficiente* sive principali ut ignorantia ex defectu virtutis intellectivæ, sive instrumentali ex defectu capacitatis in organo, ut claudicatio ex curvitate cruris ; — 2º ex defectu dispositionis in *materia*, ut monstra in evolutione incompleta fœtus aut deformitas statuæ ob duritiem marmoris ; — 3º ex defectu *formæ* propter incompossibilitatem unius cum altera, ut extinctio ignis in ligno humido ; — 4º ex defectu *finis*, ut insufficientia magisterii in rudi juvene.

Hinc *bonum prius est malo*, nam causa prior est effectu suo.

SECTIO IIª

DE PROPRIETATIBUS ENTIUM UNIVERSALISSIMIS

Sunt proprietates quæ in transcendentalibus fundamentum habent, easque proxime sequuntur ; sed, quia entis sunt evolutiones aut gradus, possunt ab ente aliquando deficere ; quapropter universalissimæ tantum dici debent. Tres autem numerantur : — Iª est *Ordo* qui *unitatem*, — IIª *Pulchritudo* quæ *veritatem*, et — IIIª *Perfectio* quæ *bonitatem* supponit.

CAPUT PRIMUM

DE ORDINE

67. Quid et quotuplex sit ORDO ?

A. — **Ordo est** apta dispositio mediorum ad finem. Unde fusius declaratur : « *parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio* » *ad finem communem* [1].

1. Est *parium dispariumque* dispositio, nempe ordo supponit pluralitatem elementorum, imo distinctionem ; nam « ordo absque distinctione non est [2] » ; et hæc sunt *materia* ordinis.

2. Est *dispositio sua cuique loca tribuens*, vi cujus res distinc-

1. **S. Augustinus**, *De civitate Dei*, L. XIX, 13 ; — **Mgr Chollet**, *De la notion de l'ordre*, 1899. — 2. **S. Thomas**, *De potentia*, q. 10, a. 3, c.

tæ ita disponuntur, ut, attenta earum natura aut dignitate, aut origine, etc... unaquæque locum suum occupet et una sit post alteram et talis relatio successionis est *forma* ordinis.

3. Est dispositio *ad finem*, ex quo desumitur *ratio sufficiens*, unitas seu regula præcedentis dispositionis ; — sed ad finem *communem*, ad quem sicut ad *terminum ultimum*, refertur partium ad invicem dispositio. Sic « ordo partium exercitus ad invicem, est propter ordinem totius exercitus ad ducem [1] ».

Hæc tria facile invenies in rebus bene ordinatis, v. g., in bibliotheca, in exercitu, in regimine politico.

Consonant definitio S. Thomæ : « Ordo est recta ratio rerum ad finem [2] » et illa Aristoteles : « Ordo nihil aliud dicit quam rationem prioris et posterioris in distinctis sub aliquo uno principio [3] » : utraque enim exhibet tria prælaudatæ ordinis elementa, objectum sc. materiale, formale quod et formale quo ordinis, sive iste statice sive dynamice sumatur.

B. **Ordinis divisiones** ex hoc triplici capite sumuntur :

1° Ratione *materiæ*, tot sunt ordines quot species rerum. Unde, præter ordinem supernaturalem, datur ordo naturalis qui quadruplex distinguitur : ordo *physicus*, *logicus*, *moralis* et *artificialis*. Ordo physicus existit in rebus naturæ ; ordo logicus in operationibus intellectus ; ordo moralis in actibus voluntatis ; et ordo artificialis in opificiis affabre confectis [4].

2° Ratione *dispositionis*, tot sunt ordines quot modi secundum quos aliquid altero prius dicitur relate ad aliquod principium : si secundum tempus, habetur ordo *chronologicus* ; si secundum locum, *localis* ; si secundum principium, *causalis*...

3° Ratione *finis*, qui est principium ordinis, ordo qui dicitur *teleologicus* seu *finalitatis* totuplex est quotuplex finis, sive sit ordo *subordinationis* mediorum ad finem attingendum (hierarchia, exercitus), sive sit ordo *coordinationis* partium in uno toto constituto, v. g., domus, bibliotheca.

68. Quænam sit ordinis CAUSA cognoscitiva et efficiens [5] ?

THESIS

Ordo per se *ab intellectu tantum cognosci et produci potest.*

A. — *Ordo ab intellectu tantum* **cognosci potest.** — Revera generatim et *a priori* relationes medii ad finem sunt conceptus

1. *In II Phys.*, lect. 13. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 47, a. 2 c. — 3. **S. Thomas**, *In I Eth.*, lect. 1 ; — *De potentia*, q. x, a. 3, c. — 4. *In II Eth.*, lect. 1. — 5. **Mercier**, *Ontol.*, n. 255-258.

universales aut saltem immateriales, sicuti est relatio similitudinis ; sed sensus animalium aut etiam hominis vi reflexiva et ideo ideis universalibus destituuntur ; ergo prædictas relationes percipere nequeunt. Ideo *de facto* « ordinem unius rei ad aliam cognoscere est solius intellectus aut rationis [1] ».

B. — *Ab intellectu tantum* **procedere valet.** — Ex *casu* enim sequitur quodcumque et non ordinatio rerum permanens : sed res, quæ ex se sunt indifferentes ad istam vel illam dispositionem, inveniuntur plerumque ita ordinate dispositæ ut ex earum unione sequatur bonum et bonum optimum ; ergo hoc fieri nequit ex casu sed ex intentione causæ intelligentis.

Revera talis rerum ordinabilium dispositio exigit *triplicem comparationem*, nempe elementorum inter se, eorumdem cum regula, regulæ tandem, quia est medium, cum ultimo fine. Hæc autem comparatio fieri nequit nisi ab intellectu, qui solus v. g., in ordine politico, leges omnes et decreta in bonum totius communitatis prædeterminat. Ergo.

Dicitur **per se**, nam 1° Animalia res sensibiles ordinatas, quatenus sunt singulares et concretæ, *apprehendere* possunt necnon aliquos effectus ordinatos, sub influxu instinctus et ideo Dei, per accidens *producere* valent, neutrum tamen sub ratione ordinis proprie et formaliter cogniti et intenti ; — 2° Cunctæ res mundanæ, licet indifferenter ad plura, vi suæ inclinationis ideoque causalitatis finalis, mire sociantur in syntheses constantes et regulares sicque constituunt ordinem universalem hujusce mundi « κόσμος » (Cosmol., n. 140). Jamvero iste ordo universalis nunquam *casu* aut *causis per accidens* explicari potest, ut fusius evolvetur ubi de finalitate (n. 180), ad quam refertur ordo, sicut etiam ad pulchrum, de quo nunc.

CAPUT SECUNDUM

DE PULCHRO

Dicendum est quid sit pulchrum, et quomodo exprimi possit in operibus arte confectis. Unde duo sint articuli ; nempe : 1us *Pulchri theoria* ; — 2us de *Arte*.

ARTICULUS I

Pulchri Theoria [2].

Theoria pulchri quatuor quæstiones complectitur ; sc., *an* sit, *quid* sit, *quotuplex* sit, et ad quasnam *facultates* referatur.

1. **S. Thomas**, *In I Eth.*, lect. 1. — 2. Cf. **S. Franciscus Salesius**, *Traité de l'amour*

§ I. — *De Objectivitate pulchritudinis.*

« *Pulchra* dicuntur, *quæ visa placent* [1] » : an et *quænam sit* ratio talis complacentiæ seu *existentia* et *essentia* pulchri.

69. Utrum pulchrum EXISTAT et sit aliquid OBJECTIVUM ?
Juxta Cartesium, varii pulchritudinis gradus pendent omnino ex dispositionibus subjecti et præsertim phantasiæ [2]. Ita multi, v. g., Kant : « Il n'y a pas de science du beau... La beauté n'est rien en soi, et indépendamment de la relation au sentiment du sujet [3]. » **Contra quos** sit

THESIS

Pulchrum est in rebus seu aliquid objectivum.

Prob. 1° *Experientia* communi, quæ non potest esse falsa (Crit., n. 90). Homines enim universaliter autumant quasdam res esse pulchras, alias vero deformes, denique alias aliis pulchriores. « Quæram utrum ideo pulchra sunt, quia delectant ; an ideo delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur ideo delectare quia pulchra sunt [4]. »

2° *Ex origine notionis pulchri.* — Hæc enim notio est generalis et eam haberi per abstractionem omnes conscii sumus. Sed notiones generales quæ abstractione innotescunt, non sunt formæ mentis mere subjectivæ, sed vim habent objectivam (Crit., n. 56-57). Ergo sunt res pulchræ, ut homo, statua, rosa, templum, ex quibus vel aliis hujusmodi, notio pulchri primo particularis, deinde generalis comparata fuit.

« Quæram ergo deinceps *quare* sunt pulchra [5] », *saltem aliqua.*

Dico : **saltem aliqua.** Utrum enim omne ens sit pulchrum controvertitur. *Alii* affirmant, juxta quos pulchrum est transcendentale, quia in se et idealiter omne ens habet perfectionem, saltem pro Deo resplendentem [6]. *Alii* negant, quia hæc resplendentia homini impervia est et sæpe non realisatur, etiam fundamentaliter : inde in rebus naturæ multis obscuritas, deformitates, imo monstra [7].

Si prioribus fides, ens fundat triplicem relationem transcendentalem : verum, relationem *adæquationis* ad intellectum divinum ; bonum, relationem *convenientiæ* ad appetitum ; pulchrum, relationem *complacentiæ* ad utrumque. At posteriores prætendunt hujusmodi complacentiam non oriri a contemplatione cujuslibet

de Dieu, L. I, ch. I ; — **P. André**, *Essai sur le beau*, 1741 ; — **Jouffroy**, *Cours d'esthétique*, 1863 ; — **Burke**, *Recherches philos. sur l'origine de nos idées du sublime et du beau*, trad. de l'anglais par **Lagentiel de Lavaisse**, 1803 ; — **Cousin**, *Du vrai, du beau et du bien*, 1853 ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 266-282. — 1. **Sum. theol.**, I, q. 5, a. 4, ad 1 ; I, II, q. 27, a. 1, ad 3. — 2. Lettre 72e. — 3. *Critique du jugement*, t. I, p. 248, et p. 32. — 4. **S. Augustinus**, *De vera religione*, c. XXXII, n. 59. — 5. **S. Augustinus**, *Ibid.* — 6. **Maritain**, *Art et scolastique*, 1927, p. 46-276 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 91 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aquin*, I, p. 30. — 7. **Mercier**, *Ontol.*, n. 77 ; — **De Wulf**, *L'œuvre d'art et la beauté*, p. 206.

entis, sed entis utique perfecti : hinc est cur satis complexa sint pulchritudinis elementa, quæ determinavit Angelicus, sc. :

70. Quænam sint objectiva pulchritudinis ELEMENTA ?
Philosophorum ea de re magna est dissensio. Quidam enim in magnitudine, quidam in imitatione naturæ, alii in ordine et proportione, alii in unitate et varietate, multi tandem in splendore sive veri, sive boni, sive ordinis, rationem formalem pulchri reponunt. Sit igitur, in conflictu opinionum, cum Angelico [1]

THESIS

Ad pulchritudinem tria requiruntur et sufficiunt : primo quidem integritas, secundo debita proportio ; et tertio claritas seu formæ resplendentia.

Prob. — Hæc enim ad pulchritudinem requiruntur et sufficiunt elementa, quibus positis semper habetur, quibus sublatis semper aufertur complacentia mentis contemplantis. Atqui cum tribus elementis in thesi enumeratis res visa placet, sine iis autem nec placet, nec placere potest. Ergo tres conditiones enumeratæ ad pulchritudinem *requiruntur* et *sufficiunt.*

Constat major : pulchrum enim non in se, sed potius ex effectu, videlicet ex complacentia quam universaliter excitat in cognoscente, *vi legitimæ inductionis*, dignoscere licet.

Minor probatur — I. Imprimis hæc **tria requiri** constat :

A. — **Experientia.** — Non enim placent, nec pulchræ dicuntur, — res quæ integritate carent : quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt, v. g., vultus hominis naribus aut oculis carens ; — item inordinata quæ proportionem debitam seu unitatem in varietate non servant, v. g., virtus in medio rationis non consistens ; — tandem quæ quasi occultantur et sufficientem non habent resplendentiam, v. g., pictura coloribus aut linearum expressione deficiens. — Quinimo fœdæ et deformes merito reputantur sive substantiæ, sive vires, sive actiones omnes, quæ ex toto vel ex parte sub hoc triplici respectu deficiunt.

B. — **Ratione** seu ex natura complacentiæ æstheticæ. Est enim complacentia quietudo jucunda cognoscentis in objecto apprehenso. Sed quietudo hujusmodi, sine objecti integritate, proportione et claritate haberi non potest :

1° *Non sine integritate.* — Nam defectus integritatis malum est objecti : sed malum apprehensum a facultate, illam jucundare non valet : ergo nec objectum quod integritate caret.

1. **Sum. theol.**, I, q. 39, a. 8.

2° *Non sine rei proportione.* — Nam defectus proportionis, harmoniæ et ordinis est etiam malum objecti, et ideo jucunditatem in subjecto cognoscente etiam generare non potest.

3° *Non sine objecti claritate.* — Nam, sicut deficiente evidentia, veritas recognosci nullo modo potest, ita, deficiente resplendentia formæ seu essentiæ idealis, pulchrum difficulter aut incomplete apprehenditur, et consequenter æsthetica delectatio vix aut ne vix quidem sentitur. — Ergo sine tribus enumeratis elementis, nulla res placere potest cognoscenti.

II. Hæc vero **tria sufficere** probatur inductione contraria : cum his enim tribus, nempe cum « resplendentia formæ super partes materiæ *proportionatas* vel super diversas vires aut actiones [1] »... habetur complacentia pulchri : *brevius*, clara rei perfectio est quæ placet et in qua pulchrum consistit. Ergo tandem tres conditiones *requiruntur*, sed *sufficiunt*.

§ II. — *De Definitione Pulchri.*

71. Quænam sit vera pulchri DEFINITIO et quotuplex falsa ? Juxta nos, pulchrum ex dictis **definiri** potest : *clara rerum perfectio, quatenus visa placet, aut placere potest.*

A. — **Explicatur.** — 1° Est *perfectio rerum* : ecce *radix* pulchritudinis quæ ideo habetur ut bonum appetibile ; — sed perfectio *clara* seu præfulgens ; non ergo quælibet et vulgaris, sed in gradu resplendenti.

2° Est perfectio quatenus *visa* ; pulchrum enim, tum claritatem objecti, tum ipsius visionem ope facultatis cognoscitivæ supponit : et hæc est *ratio* formalis pulchri.

3° Est perfectio quatenus visa *placet*, aut placere potest. Unde pulchrum est relatio sicut verum et bonum, sed specialis : pulchri enim visio non simplicem cognitionem, ut veritas, nec amorem ut bonum producit, sed primario excitat cognitionis complacentiam, et ea mediante appetitum.

Uti vides, in pulchro duplex est elementum, unum *objectivum*, alterum autem *subjectivum*. Porro ex parte objecti, fundatur in dotibus maxime objectivis, proportione præsertim et splendore ; ex parte vero subjecti, petit quasdam aptitudines et dispositiones ad percipiendum illas dotes et ad delectationem experiendam.

B. — **Probatur** autem hæc pulchri definitio, nam

1° Convenit *soli* definito : his enim verbis, pulchrum ab ente, a vero et a bono secernitur ; ab *ente*, quia non significat

1. **S. Thomas, Opusc. apoc.** *De bono et pulchro* (cf. *Rev. néo-scol.*, 1909, p. 259) ; — **Vallet,** *L'idée du beau dans la philos. de S. Thomas d'Aquin*, 1888.

rem quatenus in se est ; a *vero*, quia non producit tantum cognitionem ; a *bono*, in cujus possessione, et non in solo aspectu aut cognitione, quietatur appetitus [1].

2° Convenit *toti* definito : nam *prima* pars, id est : « clara rerum perfectio » rebus sive materialibus, sive spiritualibus et proinde diversis pulchri speciebus, merito applicatur. — Sed *secunda* pars : « quatenus visa placet » facultates cognoscitivas respicit primo : nam omnis cognitionis actus visio quædam est formæ rerum, et suam habere potest complacentiam [2].

72. Multæ sunt FALSÆ pulchri definitiones. — Inter quas,

a) Aliæ sunt *nimis subjectivæ*. — Non pauci enim pulchrum dicunt quidquid consonat instinctui quem appellant sensum artis (gallice, le sentiment esthétique) ; et ea est schola sentimentalis (Hutcheson, Burke).

b) Aliæ sunt *nimis objectivæ*. — Quidam enim philosophi cum Jouffroy et Cousin in proportione et ordine partium ; aut cum S. Augustino, in rerum unitate cum varietate, reponunt pulchri rationem. Merito quidem, sed requiritur etiam resplendentia quæ movere possit complacentiam facultatis æstheticæ ; nam pulchrum non est ens simpliciter, sed ens, *quatenus visum placet* et ideo *splendor sit entis, veri, ordinis*.

Cæterum omnes hæ et istæ definitiones *incompletæ* sunt, sicut illa kantiana, sat ambigua : « Le beau est une finalité sans fin », finalitas interna sine externa seu in solo ordine interno se tenens.

§ III. — *De Speciebus pulchri* [3].

73. QUOTUPLEX sit SPECIES, FORMA, GRADUSVE pulchri ?

A. — **Multas species** pulchri philosophi distinguunt :

1° Ratione *objecti* seu ordinis, pulchrum *ideale* et pulchrum *reale*. Pulchrum ideale est quædam pulchri idea typica seu exemplar, cui cætera comparamus, et eo pulchriora esse æstimamus quo magis ad exemplar illud accedunt. Hoc ideale considerari potest in Artifice Increato, vel in creato homine, et ita distinguitur pulchrum *ideale divinum*, et *ideale humanum*.

Pulchrum reale illud est quod rebus de facto inest ; et iterum duplex est : *Deus*, qui est Ipsa pulchritudo et *ens creatum*, sive sit *spirituale*, quod pertinet ad ordinem mere intellectualem et moralem, sive *sensibile*, quod existit in corporibus et ope sensuum ex parte innotescit.

2° Ratione *originis*, pulchrum est *naturale* seu *physicum*, *intel-*

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 27, a. 1 ; — Iª, q. 5, a. 4, ad 1. — 2. Cf. **Duboscq,** *Théorie des beaux-arts*, in *Revue de philos.*, n. 1. — 3. **C. Levêque,** *Le spiritualisme dans l'art*, 1864 ; — **C. Gay,** *De la vie et des vertus chrétiennes*, 4e éd., 1876, t. II, ch. x : de la chasteté ; — **Sum. theol.**, I, q. 22 a. 3.

lectuale, *morale* et *artificiosum*, quatenus a natura, a ratione, a voluntate, ab arte procedit ens vel cogitatio vel actio vel opus affabre confectum ; — imo *supernaturale* et *divinum* sicuti est status gratiæ et unio hypostatica : quo sensu Jesus-Christus est omnium pulcherrimus, utpote pulchritudinis sensibilis, spiritualis, supernaturalis et divinæ mira synthesis.

74. B. — **Triplex est FORMA pulchri** : quare nuncupatur *sublime*, *pulchrum simpliciter* et *venustum*. Nam pulchrum sub triplici respectu exhibetur : quandoque, summo gradu præfulgens mentis nostræ mirationem aut quasi stuporem excitat ; talis est imprimis Deus, talia sunt etiam ingenium in ordine intellectuali, martyrium in ordine morali, elationes maris in ordine physico. — Sæpius vero pulchrum manifestatur secundum modum consuetum et captui nostro proportionatum : ut si dicas rem pulchram esse virtutem, vultum hominis, fluminisve cursum. — Denique pulchrum invenitur etiam in rebus quæ gratia vel amœnitate præstant, aut in sua evolutione metam connaturalem et proportionem debitam nondum attigerunt. Eo sensu, rivulus, flos campi, vultus infantis et alia similia sunt venusta [1].

C. — **Utrum specie** vel **gradu** tantummodo differant sublime, pulchrum et venustum, *controvertitur* inter philosophos [2]. Verisimilior videtur opinio quæ discrimen in gradu tantum ponit ; nam eadem virtus et in eodem homine, v. g., castitas, potest esse primario venusta, deinde ordinaria et pulchra simpliciter ; tandem, in summo gradu, fit heroica et sublimis.

Ratio autem illius distinctionis in tres formas generales gradusve pulchritudinis, duplex esse videtur. *Una est* ex parte objecti, prout nempe intrinseca illius perfectio majorem gradum perfectionis divinæ manifestare nata est, ejusdemque splendor vel excedit, vel adæquat, vel non attingit captum virtutis cognoscitivæ. *Altera* autem et formalis repetitur ab effectibus quos pulchritudo in facultatibus nostris producit ; nempe, stupemus in contemplatione sublimis ; pulchrum miramur ; et venusto delectamur.

§ IV. — *De Apprehensione pulchritudinis.*

75. Quid, quænam et quotuplex sit FACULTAS ÆSTHETICA ?

A. — Vocatur **æsthetica** (*αἰσθάνομαι*, sentire), facultas, cui pertinet apprehensio pulchritudinis, quia pulchrum non tam cognoscere quam sentire videtur.

B. — Hic quæritur utrum sit potentia animæ specialis.

Alii affirmant, inter quos quidam admittunt quemdam sensum qui solus pulchrum attingere et gignere potest ; nonnulli vero

1. Cf. P. André, Burke, Kant, Cousin, Jouffroy, Levêque, *Op. cit.* — 2. *Ibid.*

computant « divinum instinctum » (l'enthousiasme) inter facultates æstheticas. Negant autem *plerique* et merito, nam specialis potentia perceptiva pulchri esset inutilis et contradictoria.

1. Esset *inutilis*. — Nam elementa pulchritudinis sunt vel ordinis sensibilis vel ordinis intellectualis : si prius, ut, v. g., varietas, colores et imagines rerum materialium, a sensibus percipi possunt ; si posterius, ut, v. g., conceptus idealis et proportio formæ sensibilis cum ideali, ab intellectu apprehenduntur. Ergo nihil facultatis æstheticæ apprehensioni superest.

2. Esset *contradictoria*, — utpote sensibilis simul et spiritualis. Sed uni tantum facultati adscribi nequeunt objecta formaliter diversa : unde vel facultas æsthetica est spiritualis et pulchrum sensibile percipere nequit ; vel est sensibilis, et pulchrum suprasensibile captum ejus superat.

Ergo non una, sed multiplex esse debet æsthetica facultas.

76. C. — **Sunt facultates æstheticæ** : 1. — inter sensus externos, *auditus* et *visus*, « maxime cognoscitivi [1] » ; per quos sc. pulchrum in rebus physicis expressum percipimus, sicut per tres alios utilitates vitæ.

2. In sensibus internis, *phantasia* ; per illam enim formas rerum sensibilium carpimus et eas in nobismetipsis quasi pingimus. — Hinc est cur potentiori imaginatione præditi reputentur, qui in artibus præcellere visi sunt.

3. Demum *intellectus*, qui est *præcipua* facultas æsthetica, tum quia solus pulchrum ideale (n. 73), ordinem (n. 68) et rationem pulchri (n. 70) percipere potest ; tum quia imaginatio, quum illusionibus sit maxime obnoxia, lumine rationis dirigi debet ; tum quia sensus intellectui inservire nati sunt.

4. Quatuor illæ facultates, auditus sc., visus, phantasia, et intellectus, constituunt facultatem æstheticam, quæ sæpius appellatur gustus seu sapor artis, propter sensum ex ipsis descendentem in *appetitum*, etiam sensibilem, qui, consecutive saltem, pertinet ad eamdem facultatem.

77. Quid et qualis sit SENSUS PULCHRI seu æstheticus [2] ?

A. — **Sensus æstheticus est** *actus statusve animi in pulchro sibi resplendente contemplantis, et complacentis, admiratione quidem et amore plenus.*

1. Est *actus statusve* animi, aliquatenus perdurans, sicut et contemplatio quam præsupponit et sequitur ille sensus.

1. Sum. theol., I-II, q. 27, a. 1, ad 4 ; a. 2, ad 3. — 2. Cf. *Le sentiment esthétique*, in *Revue thomiste*, an. 1900, p. 400.

2. Est *in pulchro resplendente contemplatio* sive sensus, sive intellectus, vel utriusque simul : hæc est origo sensus æsthetici.

3. Est actus *complacentiæ in pulchro*. — Ideo sensus pulchri non est sensus boni, nec etiam sensus veri. Nam complacentia intellectualis specificatur ab objecto et ideo formaliter distinguitur tum a delectatione appetitus in bono adepto, tum a complacentia in veritate simpliciter cognita.

4. Denique actus ille *admiratione* et *amore* perficitur. — « Non enim per voluntatem appetimus solum ea (bonum) quæ pertinent ad potentiam voluntatis, sed etiam ea (verum et pulchrum) quæ pertinent ad singulas potentias, et ad totum hominem [1] ». Quare sensus pulchri ultimo ad appetitum refertur, in quo etiam proprie subjectatur.

B. — **Dotes sensus æsthetici** sunt igitur egregiæ. Revera

1° *Præcelsus et nobilis* est, quia ex objecto in se perfectissimo procedit, et in intellectu, quo nobilior non est in homine facultas (Psych., n. 99), primariam habet originem.

2° Est *plenus*, eo quod præcipuas potentias, sensum sc. imaginationem, intellectum et appetitum ideoque totum hominem pervadit ejusque activitatem occupat : quare in ejus aspectu quietatur appetitus [2].

3° *Liberalis* (désintéressé), gratuitus, non lucrifaciens, nam in contemplatione objecti pure satiatur : bonum enim assequi cupimus ut eo, si utile sit, *uti* possemus ; pulchrum autem, v. g., cælum et stellas, intueri, ut delectemur eoque *fruamur*.

4° Tandem *amicus est ordinis, lucis* et *perfectionis*, omnium denique pulchri qualitatum, quas revereretur, particeps est.

ARTICULUS II

De pulchri Expressione seu de Arte.

Breviter de pulchro sensibili et quod magis ad theoriam attinet dicemus, i. e., *notionem, species, objectum* et *regulas* artis.

§ I. — *Notio artis* [3].

78. Quid sit ars stricto sensu et quisnam finis artium ?

A. — **Generatim, ars** designat complexionem regularum

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 10, a. 1, c. — 2. *Ibid.*, q. 27, a. 1, ad 3. — 3. **J. Maritain**, *Op. cit.*, 1927 ; — **E. de Bruyne** *Esquisse d'une philosophie de l'art*, trad. **Breckt**, 1930.

quibus homo dirigitur in quolibet opere conficiendo. — Brevius, ars est *recta ratio factibilium*, et opponitur naturæ, quæ est opus Dei : prudentiæ, quæ est recta ratio agibilium : scientiæ, quæ est recta ratio speculabilium.

Speciatim vero : 1. sunt artes quibus labor manuum et vis mechanica diriguntur : vocantur *serviles, manuales* et *mechanicæ*. Harum porro finis directus est bonum utile. « Il y a des arts sans noblesse dont le but est l'utilité pratique et matérielle ; on les nomme des métiers. L'art véritable s'y peut joindre, y briller même, mais seulement dans les accessoires et les détails [1]. »

2. Sunt strictiori sensu artes *liberales* et *ingenuæ*, quæ ingenio coluntur et propterea dignæ sunt liberis hominibus [2].

3. Inter quas eminent *pulchræ artes* (beaux-arts, arts plastiques), quarum scopus immediatus est pulchrum sensibilibus formis exprimendum, et in quibus ingenium aliæque dotes egregiæ præcellunt. Propterea pulchræ artes dicuntur etiam artes simpliciter. « Les arts s'appellent les beaux-arts, parce que leur seul objet est de produire l'émotion désintéressée de la beauté, sans égard à l'utilité ni du spectateur, ni de l'artiste [3]. »

Hoc in ultimo sensu, ars merito **definitur** : *habitus intellectualis* seu *disciplina, qua homo dirigitur in pulchris operibus affabre concinnandis*. Artis enim objectum formale est pulchrum, sensibili forma exprimendum ; et ideo, specifice differt ab aliis omnibus disciplinis, quæ circa pulchrum præcise et directe non versantur. Sic medicina, logica, grammatice, politica non sunt pulchræ artes, aut artes simpliciter ; sunt tamen artes liberales.

B. — **79. Duplex est finis artium** : — proximus et ultimus.

1. *Proximus* seu *intrinsecus* artium finis est ipsamet pulchri expressio, ideoque differt, tum a Scientia et Ethica, quæ verum et bonum respiciunt ut finem, tum a variis praxibus, quæ unum aut alterum exprimere debent. Hinc, etiamsi per accidens formas æstheticas important, non sunt pulchræ artes : — *a*) eloquentia, cujus finis est convincere intellectum et commovere voluntatem [4] ; — *b*) historia et opera didactica, quæ per narrationem factorum aut doctrinæ expositionem lectoris instructionem intendunt ; — *c*) item hagiographia, nam gesta sanctorum, — etsi pulchri mira sint expressio, — tendunt ad beatitudinem.

2. *Ultimus* seu *extrinsecus* artis finis est incitare ad bonum et virtutem : quum enim munus sit artis dirigere artificum actus *humanos* seu morales, illos a regulis morum retrahere nefas est [5].

1. **Cousin**, *Du vrai, du beau, du bien*, 9e leç. — 2. **Plinius**, *Historia naturalis*, L. XIV. — 3. **Cousin**, *Ibid.* — 4. **Cousin**, *Ibid.* ; — Contra **P. Longhaye**, *Théorie des belles-lettres*, 1885, p. 104. — 5. **P. Longhaye**, *Ibid.*, ch. 4 ; — **Sertillanges**, *L'art et la morale*, 1904, p. 9 ; — *Art et morale*, in *Rev. de phil.*, 1931, p. 611, 1932, p. 184.

— Scientia quidem est de bono et malo, quia ad intellectum solum dirigitur ; non ita opera artis, quæ complacentiam sollicitant.

Hæc quidem adversus **fautores artis autonomæ**, aut etiam *sensualis*. — Non enim sunt omni ex parte audiendi qui, ut Cousin, volunt « artem coli pro arte » : nam impossibilis est, saltem generatim loquendo, et illicita semper erga bonum et malum indifferentia. — A fortiori perniciosus est sensualismus, ex quo solus finis artium esset sensationem jucunde delectare : « Tout ce qui ne produit pas une sensation n'est qu'une abstraction et une énigme [1]. »

§ II. — *De Divisione artium.*

80. Quotuplex sit artium SPECIES et ordo DIGNITATIS ?

A. — **Tres species sunt**, nam duo sensus, qui vocantur sensus artis, pulchrum sensibile, operibus affabre confectis expressum, percipere possunt ; sc. auditus et visus. Unde, artes liberales dividi solent in artes *auditus*, in artes *visus*, in artes *visus simul et auditus*.

Revera totuplex est ars, quotuplex forma sensibilis ad pulchrum exprimendum. Hæc autem est triplex : videlicet sonus ad auditum, imago colorve ad visum, et signum quod ad utrumque refertur. Unde, 1. — ars auditus unica est, videlicet *musica* ; 2. — artes autem visus sunt *pictura*, *sculptura*, *architectura* et *horticultura* ; 3. — quidam autem *poesim* et *artem dramaticam* ad auditum simul et visum referunt, easque vocant artes mixtas : prior enim verbum orale aut scriptum, posterior autem gestus, cantus et sermonem simul adhibet.

81. B. — **Quoad ORDINEM DIGNITATIS**, non unica est responsio ob diversos rei aspectus. — Nam

1. Ex parte *jucunditatis*, quam artes afferunt animo, prior, juxta multos, musica esse videtur. « Le domaine de la musique est le sentiment : il a été donné à la musique de remuer et d'ébranler l'âme plus profondément que la peinture [2]. »

2. Ex parte *claritatis* primatum tenet pictura, quia colore præsertim utens, vividam pulchritudinis imaginem efformat.

3. Ex parte tandem *expressionis*, ars dramatica omnes alias antecellere nobis videtur ; vim enim poesis simul et artis pantomimicæ in se includit. — Porro poesis tenet secundum locum : hæc enim, quia signa adhibet arbitraria, quæ omnes pulchritudinis species, designare possunt, alias artes in se includit. — Aliunde pantomimica varietate gestuum motuumque corporis multa exprimere valet [3].

§ III. — *De Objecto artis.*

82. Quid sint REALISMUS et IDEALISMUS in artibus ?

De objecto artis, seu de pulchro in artibus exprimendo, disputant duæ famosiores scholæ, *realismus* sc. et *idealismus*.

1. Ita **Stendhal** ; — cf. **Maritain**, *Op. cit.*, n. IX. — 2. **Cousin**, *Ibid.*, leç. 9e. — 3. Cf. **Tullius**, *De oratore*, III, 23.

1. **Realismus** est systema eorum, qui *naturam serviliter imitantur* et ideo artem *imitationis* excolunt. Hoc innituntur principio quod, quum omne ens in natura pulchrum sit, unicum artificis studium debet esse ut naturam adamussim imitetur. Unde illius opera, nedum sapientiæ divinæ opera corrigere velint, eo erunt pulchriora quo magis realitati similia.

Ad realismum pertinent artifices e schola vulgo dicta *Ecole flamande*, Molière, Walter-Scot et *romantismi* fautores plerique.

2. **Idealismus** e contra est systema eorum qui pulchrum ipsum *ideale*, in quantum fieri potest, *operibus humanis exprimere*, seu artem *expressionis* colere nituntur. Juxta eos, naturam perficere licet : nam, ex una parte, pro singulis entibus existit typus quidam pulchritudinis perfectissimus ; ex altera autem, in natura complete nunquam realisatur, imo non omne ens in mundo pulchrum est (n. 69).

Exempla notissima habes apud veteres græcos, in symbolismo Ætatis mediæ, in operibus dramaticis, vel picturis recentiorum [1].

83. Media via, — hac in re, sicut in multis, est eligenda.

THESIS

Verus est in artibus idealismus mitigatus.

Prob. — 1° *E scopulis* realismi simul et idealismi absoluti. Prior enim, si solus remanet, est servilis imitatio naturæ, inspirationem præfocat, perfectibilitatem artis impedit, et ad pulchritudinem infinitam evehere mentes non valet. Posterior autem, si nimis urgetur sub prætextu idealitatis, naturam destruit, phantasiæ traditur, licentiam in artes inducit, et defectu signorum naturalium, inaccessum facit ideale.

2° Ex utriusque *commodis*. Dum enim realismus typorum veritatem, idealismus earumdem elevationem sibi vindicat ; — hic inspirationi favet et, ut aiunt, ingenio ministrat alas ; ille præbet regulas quibus libertas, ingenium, aliæque dotes opificis et artificis dirigantur ; — uni fidelitas, alteri claritas in expressione debetur.

Ergo ars, sicut imitari debet naturam, ita etiam eam interpretari et transfigurare : secus esset semper inferior naturæ et umbra umbræ, ut ait Plato. Unde sit, ut merito vocata est, **interpretatio et transfiguratio naturæ** ». Ideale enim est majus verum quam reale : prosequamur ergo ideale ; nec tamen realis naturæ (le naturel) obliviscamur.

§ IV. — *De Regulis artis.*

84. Quænam sint artis REGULÆ ?

Aliæ ex parte *subjecti*, aliæ ex parte *objecti* desumuntur.

1. Cf. **Winkelmann**, *Histoire de l'art dans l'antiquité*, trad. **Jansen**, 3 vol., 1798-1803, t. II, L. IV, c. 6 ; — **Tullius**, *De oratore* ; — **Dante Alighieri**, *La commedia* ; — **J. Racine**, *Esther*, *Athalie*, etc. ; — **Raphael**, *La transfiguration* ; — **André Michel**, *Histoire de l'art*, 8 tom. et index, 1905-1929 ; — **Em. Mâle**, *L'art religieux*, 4 vol., 1924-1932.

A. — Ex parte **subjecti**, duplex requiritur aptitudo : in *inventione*, imaginatio dives sed imprimis præcellens habitus pulchri in intellectu ; in *exsecutione*, fidelitas et intensitas expressionis ; in utraque autem, optima sensus æsthetici rectitudo, quæ ex harmonia quatuor facultatum æstheticarum, modo sufficienter excolantur, resultat.

B. — Ex parte **objecti**, tres assignari solent regulæ, quæ ad tres proprietates transcendentales entis referri possunt.

1° *Unitas* est conditio essentialis in expressione pulchri ; nam, ut vidimus (n. 70), fundamentum pulchritudinis reponitur in debita rerum proportione ; sed, unitate sublata, debita proportio superesse nequit. Ergo, nec pulchritudo.

2° Secunda conditio est *veritas*, ut ait poeta :

« Rien n'est beau que le vrai, le vrai seul est aimable. »

Pulchrum importat complacentiam, ergo verum ; nam falsum est malum intellectus, cujus complacentiam aliquando sub specie veri gignere valet, sed per se nequit [1].

3° Ultima conditio est objecti *bonitas*. Scilicet regulæ morum servandæ sunt in pulchris operibus faciendis ; id enim quod offendit morum regulas, non est debite proportionatum cum lege æterna, et proinde non est perfecte pulchrum.

Unde leges Æstheticæ non pendent ab hominum arbitrio.

85. Scholium de vera ÆSTHETICÆ notione [2]. — Vox illa tribuitur philosopho Baumgarten e schola Wolf [3]. Porro

Per æstheticam *stricte* sumptam intelligere debemus *eam Ontologiæ partem, quæ de pulchro disserit, et investigat sive pulchri naturam, sive artis fundamenta* : — *lato* sensu, complectitur seriem regularum, quibus artifex dirigitur in suis operibus conficiendis, necnon nobis tradit præcepta, quorum ope judicium ferre possumus de hominum opificiis.

Adæquate sumpta, æsthetica constituit scientiam specialem quæ in duas partes dividitur : una scilicet theoretica, de pulchro et arte in genere ; altera vero practica, de regulis et præceptis, quibus homo in pulchri æstimatione vel expressione dirigitur.

Hinc, sicut Logica et Ethica, pertinet ad philosophiam practicam (I, Præn., n. 6, 7, 10) et, si longior, ultima tractari deberet. Primam tamen partem, utpote metaphysicam, supra retulimus ; secundam vero obscurius, quia minus speculativam.

CAPUT TERTIUM

DE PERFECTIONE

Sicut pulchritudo veritatem, ita perfectio sequitur bonitatem, nam gradus bonitatis perfectionem præcipue constituunt. Dicemus : 1° de *Natura* ; 2° de *Conceptu* Perfecti et Infiniti.

1. Cf. **Ch. Sentroul**, *La vérité dans l'art*, in *Revue néo-scolastique*, 1908. — 2. **Levêque**, *La science du beau*, 1861 ; — **Jouffroy**, *Cours d'esthétique*, 1843 ; — **M. de Wulf**, *L'histoire de l'esthétique*, in *Revue néo-scolastique*, mai 1900 ; — **Cousin**, *Leçon sur le beau*. — 3. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 429.

ARTICULUS I

De Natura Perfecti et Infiniti [1].

86. QUID et QUOTUPLEX sit perfectio ?

A. — **Quoad nomen**, perfectum idem est ac *totaliter factum* ; — *imperfectum* autem, quod *non est totaliter factum*, seu cui deest aliqua perfectio debita. Unde perfectio non est speciale quoddam entis attributum, sed potius omnium complexus.

Quoad rem igitur perfectio est *plenitudo enti debita secundum modum naturæ suæ*. Eo sensu, non tantum Deus, sed ens creatum, cui nihil deest eorum quæ debet habere secundum essentiam, virtutem et finem suum, perfectum dicitur [2].

B. — Perfectio est *absoluta* vel *relativa* secundum aliquam speciem, v. g., secundum esse, accidentia... — Est *simpliciter simplex* aut *secundum quid*, prout non involvit in suo conceptu limitationem seu imperfectionem, v. g., vita, intellectus, amor, vel e contra aliquam implicat, v. g. sensatio, ratiocinium, fides, spes. — Præterea

87. Quintuplex est respectus sub quo considerari potest [3].

1° Sub respectu **independentiæ**, ens est *a se* vel *ab alio*, prout in esse et in operari dependens est ab alio vel non. — Unde *aseitas* est perfectio, vi cujus essentia entis ex seipsa, non aliunde, habet existentiam.

2° Respectu **existentiæ**, ens in quo essentia et existentia sunt unum et idem, vocatur *necessarium* ; secus, dicitur *contingens* (n. 34). — Hinc *necessitas* est perfectio entis cujus existentia in sua essentia continetur. Et ideo, sicut necessitas aseitatem, ita contingentia implicat « abalietatem [4] ».

3° Ratione **constitutionis**, ens vocatur *simplex* aut *compositum* prout uno vel pluribus elementis constat, constituitur, aut perficitur. — Quare *simplicitas* est perfectio, vi cujus ens nec pluribus elementis constat, nec in plura resolvi potest.

4° Relative ad **motum**, prout mutationibus obnoxium est vel non, ens dicitur *mutabile* aut *immutabile*. — Ideo *immutabilitas* est perfectio entis in quo non est transitus ab esse ad non esse, nec ab uno modo se habendi ad alterum modum.

5° Secundum **gradum** perfectionis, ens est *finitum* aut *infinitum*, quatenus habet aut non habet limites. De quo fusius.

1. **Ch. Huit**, *Les notions d'infini et de parfait*, in *Revue de phil.*, déc. 1904. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 73, a. 1 ; q. 4, a. 1 ; q. 6, a. 3. — 3. **Mercier**, *Ontol.*, n. 193-197. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 3, a. 4.

88. Quid sint FINITUM, INFINITUM et INDEFINITUM ?

Vi nominis, finitum (τέλειον) rem completam et perfectam significat, dum infinitum (non finitum, ἄπειρον) rem designat incompletam et imperfectam [1], et indefinitum dicit indefinitam.

Quoad rem e contra et juxta morem loquendi modernum, finitum pro re limitata et imperfecta, infinitum autem pro perfecta et sine limite usurpantur. Quas tamen notiones pressius definire et ab indefinito sedulo distinguere necesse est.

1° *Finitum* definiri potest : *quod habet limites actu* ; v. g., homo, numerus decem millia millium.

2° *Indefinitum*, est *id quod non habet limites in potentia*, tantum, sed in se semper est limitatum, sicuti mens humana, quæ est in potentia ad indefinite cogitata, aut materia prima quæ capax est recipiendi indefinite formas substantiales [2].

Tria sunt præcipua *exempla* : series numerorum integralium, quibus semper addi potest unitas ; progressio geometrica, quæ augetur sine fine ; vel limes idealis hujus progressionis seu quantitas major qualibet data quantitate sunt quid actu indefinitum. Hæc tamen tria sæpissime dicuntur *infinitum mathematicum*, quia *habent limites in potentia tantum, sed non in actu per abstractionem et fictionem mentis*, in qua tantum existunt.

3° Ab utroque differt *infinitum*, quod *neque actu neque potentia habet limites*, propter perfectionem seu plenitudinem entis sui. Unde a cæteris entibus non distinguitur negative seu limitibus suis, sicut finita a finitis distinguuntur, sed positive et modo singulari, sc. sua ipsamet plenitudine entis, cujus cætera non sunt nisi imitationes participatæ et imperfectæ.

89. Quodnam sit hujusce infinitatis SUBJECTUM ?

Est aliquid vel quantitativum vel qualitativum. Sed quantitas infinita esse nequit, ut probat sequens

THESIS

Necesse est ut ens infinitum sit absolute simplex [3].

Prob. — Subjectum infinitatis, vel esset aliquid simplex, vel aliquid compositum. Porro secundum, quocumque modo propugnetur, sive sit numerus infinitus, sive magnitudo infinita, sive multitudo infinita, admitti non potest :

1° Repugnat *numerus actu infinitus*. Illud non est actu infinitum cui potest semper unitas addi ; atqui numero sive pari, sive impari, semper potest unitas addi ; ergo dari nequit infinitus. Hinc axioma : « finitum per additionem finiti non potest evadere infinitum » (n. 93). — Aliunde, ut probatur in mathesi, conceptus numeri infiniti multis absurditatibus scateret.

2° Repugnat etiam *magnitudo* actu infinita, et probatur iisdem argumentis. — Præterea magnitudo duplex est, naturalis et mathematica : sed corpus naturale formam substantialem et ideo quantitatem, et corpus mathematicum formam accidentalem seu figuram habet *determinatam* seu *terminis comprehensam* [1] ; ergo nulla magnitudo potest esse infinita.

3° Denique repugnat *multitudo* actu infinita. Hæc enim esset simultanea ut spatium, vel successiva ut tempus. Si prius, daretur numerus partium non solum in potentia sed actu infinitus ; si posterius, non esset infinita in actu sed tantum indefinita, cum singulis instantibus et sine fine augeretur [2].

Hinc contra thesim non militat controversia de possibilitate creationis ab æterno, et ideo multitudinis infinitæ dierum. Nam, ex omnium consensu, talis multitudo, si sit possibilis, non est quantitas vere infinita sed indefinita, quia saltem ex una parte, seu, ut aiunt, *a parte post* limites habet (Cosmol., n. 120) [3].

Corol. — Infinitum, si simplex, est *actus*, non *potentia* quæ est tantum capacitas perfectionis, imo est *actus purus*.

ARTICULUS II

De Conceptu Perfecti et Infiniti.

90. Quænam esse POSSIT ORIGO conceptus perfecti et infiniti?

Cartesiani et Ontologistæ, sic ratiocinari solent : infinitum in finito, perfectum in imperfecto contineri non potest ; unde intellectus ascendere nequit e finito et imperfecto ad infinitum et perfectum. — Ut funditus evertatur hæc difficultas, sit prævia

THESIS I

Perfectum ex imperfecto *cognosci potest*.

1° Probatur **modo generali**. — Perfectum ex imperfecto cognosci potest, modo adsit realis inter utrumque nexus ratione humana cognoscibilis. Porro inter notiones imperfecti

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 313, note ; — **Jo. a S. Thoma**, *Philos. naturalis*, Iª, q. 15. — 2. Cf. **Gredt**, *Op. cit.*, I, n. 365. — 3. **Dario**, *Prælect. cosmologiæ*, 1923, n. 47.

1. **Sum. theol.**, I, q. 7, a. 3. — 2. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 4. — 3. *Ibid.*, I, q. 46, a. 2 ; — **Contra gent.**, II, c. 38 ; — cf. **Sum. theol.**, III, q. 1, a. 12 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, 1915, p. 79.

et perfecti viget *nexus affirmationis* et *negationis* ejusdem attributi : hunc autem nexum seu ordinem dependentiæ detegere valet ratio, quæ componere et dividere potest notiones inter se. Ergo indubium est mentem ex imperfecto ad perfectum ascendere posse.

2° Probatur **per singula.** — Etenim in rebus sensibilibus manifestæ sunt proprietates imperfectæ, e quibus ascendere licet ad varias notiones perfecti. Nam quædam — 1° sunt ab alio, v. g., nascuntur filii a parentibus ; atqui, negata eorum « abalietate », habetur *ascitatis* notio ; — 2° possent non existere : v. g., hæc vel ista entia possunt non esse ; jamvero *necessitas* est negatio contingentiæ ; — 3° sunt composita, ut omnia corpora materialia : sed *simplicitas* est negatio compositionis ; — 4° mutationi multiplici subjiciuntur : porro *immutabilitas* est negatio mutationis. — Ita de aliis, v. g., *æternitas* est negatio temporis ; *spiritualitas* negatio corporeitatis, etc... Itemque de *infinitate*, sed, quia peculiarior est difficultas, sit

THESIS II

91. *Infinitum ex finito cognosci* potest.

Prob. — Notio enim inadæquata infiniti, qualis habetur a nobis, **tria** supponit : conceptum *entitatis*, conceptum *limitis*, conceptum *negationis* omnium limitum. Sed hæc tria concipere possumus e contemplatione rerum mundanarum.

Primo quidem e contemplatione rerum mundanarum concipere possumus notionem *entitatis in genere* (n. 10).

Similiter e comparatione rerum mundanarum concipere possumus notionem *limitis in genere*. Etenim omnia in orbe terrarum nobis apparent ut determinata et circumscripta limitibus ; ex. g., minerale est plantis inferius ; animal est imperfectius homine ; inter homines quidam statura minores. Unde nihil obstat quominus e contemplatione orbis physici notionem limitis in genere concipiamus.

Tandem concipere possumus *negationem omnium* limitum. Intellectus enim, propter vim abstrahendi qua præditus est imperfectionem seu limitem in uno ente spectatum ab alio ente removere potest. Atqui nihil impedit quin *omnis* limitis negatio concipiatur. Sed entitas sine limite est ens infinitum. Ergo infinitum ex finito cognosci potest.

92. Quænam sit DE FACTO ORIGO conceptus infiniti ? Juxta Ontologistas, Deus primum a nobis cognosceretur ; Car-

tesiani autem ideam infiniti innatam, Lockiani acquisitam esse per additionem finiti ad finitum falso contenderunt. Sed contra

THESIS I

Mens humana e finito ad infinitum reapse *ascendit.*

Prob. — 1° *Ex origine idearum.* — Id enim primum a nobis cognoscitur, quod magis accommodatum est naturæ humanæ. Sed intellectus noster, quum sit finitus ac limitatus, primario apprehendit ea quæ sunt finita et limitata : secus enim non esset proportio inter ipsum intellectum et objectum illius proprium, ut probatur in Psych. (n. 72). Ergo intellectus humanus e finito ad infinitum assurgere debet.

2° *Ex natura notionis infiniti.* — Notio scilicet infiniti inadæquata, qualis nunc habetur, est partim positiva, partim negativa seu positivo-negativa : est in se quidem positiva nam infinitum in se est absolute positivum ; attamen est negativa quoad nos, eo quod mens nostra, in statu præsenti, non potest apprehendere infinitum quatenus in se est. Porro concipi nequit cur notio infiniti sit partim negativa, nisi hauriatur e finito per negationem intellectus, nam idem sonat ac *non finitum*, et « voces sunt signa intellectuum [1] ». Ergo, quoad nos notione directa finiti posterior est notio negativa infiniti.

THESIS II

93. *Notio infiniti non habetur per additionem finiti ad finitum, neque per subtractionem, sed* per negationem *limitum.*

Prob. — Hæc thesis determinat *modum* quo ex finito hauriatur notio infiniti. Porro hæc notio infiniti non habetur :

1° *Per continuam additionem* finiti ad finitum. — Nam id cui fit additio, limites habet, quia finitum est, et id quod additur, quia et ipsum est finitum, limites pariter habet ; consequenter ex illa additione habetur utique major entitas, semper tamen limitata. Ergo per additionem finiti ad finitum non potest haberi notio infiniti.

2° Neque per meram *subtractionem* ; nam subtractio, sicut additio, est operatio mathematica, quæ quantitatem infinitam dare non potest (n. 89). — Ergo per *negationem* omnis limitis.

1. **S. Thomas,** *De veritate,* q. 8, a. 3.

LIBER TERTIUS ONTOLOGIÆ
DE ENTIUM CATEGORIIS

De ente in genere descendamus ad ens contingens et finitum.

94. Quid sint CATEGORIÆ [1] ?

Quoad nomen, categoria, κατηγορέω, enuntio, prædico... idem est ac *prædicamentum* seu attributum entis. — **Quoad rem**, categoriæ recte dicuntur *modi generales entis realis et contingentis.*

1° Sunt *modi entis*, non autem species : non enim exhibent rerum genus proximum et differentiam : ex. g., categoria substantiæ non denotat essentiam hominis, sed modum quo essentia hominis in rerum natura est.

2° Sunt modi *generales* seu *suprema genera* modorum, ita ut nullum sit rerum genus, nulla entium species, et, mediante sua specie, nullum individuum quod in aliqua harum categoriarum non comprehendatur. — Sed sunt generales *tantum*, et in hoc differunt a modis transcendentalibus, qui omnibus et singulis entibus conveniunt, et a modis universalissimis, qui competunt pluribus generibus supremis entium, v. g., contingens, finitum (n. 86-7).

3° Sunt modi *entis realis*, sc. modi qui e realitatibus hujus mundi sunt abstracti et ideo secundum quos res existunt in rerum natura. Si enim, more Kantistarum, entia rationis ut objectum Ontologiæ sumantur, ad categorias mere logicas et ad idealismum devenire necesse esset.

4° Sunt modi *entis contingentis* seu requisita intrinseca ad entium finitorum activitatem. Sed in Ente Infinito esse et modus essendi sunt unum et idem. Unde, ut aiunt, Deus non cadit sub prædicamento, nec a fortiori, ut voluit Hegel, dici debet suprema categoria, seu categoria genus cujus cætera essent determinationes (cf. n. 8 et 14).

Duplex est autem generalior essendi modus, qui statim « ad occursum rei sensatæ appehenditur intellectu [2] » (Psych., n. 25), sc. esse *in se* et esse *in alio*, seu *substantia* et *accidens*. Unde duplex caput : I^um^ *De Substantia* ; — II^um^ *De Accidentibus.*

1. **Aristoteles** et **S. Thomas**, *De categoriis* ; — **S. Thomas, Opusc. apoc.** : *Super prædicamenta, De principio individuationis, De natura accidentis* ; — **Piat**, *Les catégories d'Aristote*, in *Revue de philos.*, juin 1901 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 67. — 2. **S. Thomas**, *In III De anima*, lect. 13.

CAPUT PRIMUM
DE SUBSTANTIA [1]

De substantia quæritur *quid sit, an sit*, et *quotuplex* sit ; insuper quomodo fiat *individua*, et quomodo *subsistens* : unde

ARTICULUS I
De Notione substantiæ.

95. QUID sit substantia quoad nomen et quoad rem ?

A. — **Quoad nomen**, substantia (*sub stare*), nihil significat nisi illud quod in rebus substat, et variis accidentibus aut modificationibus fulcimen subministrat [2]. Similiter et Græci dicunt ὑποκείμενον, aut frequentius οὐσία, seu id quod est in se.

B. — **Quoad rem** vero, substantia definiri solet : *res cui convenit esse in se et non in alio tanquam in subjecto* [3] *cui inhæret.*

1° Dicitur *res*, non autem simplex notio quæ sit mere subjectiva ; imo substantia prima designat res individuas : est quidam modus determinatus essendi, sicut accidens.

2° Substantia est res cui *convenit esse* ; nam substantia dicit ordinem ad esse, at, sicut ipsum accidens, non dicit necessario existentiam actualem, ut volunt pantheistæ.

3° Est res cui convenit esse *in se* seu *per se.* Hæc autem vocabula non idem sonant ac esse *a se*, nec significant substantiam non esse *ab alio* ente ; substantiæ enim contingentes originem sumunt a Deo, sed designant rem quæ in se stat, nec indiget aliquo subjecto seu substrato cui hæreat.

4° Est res cui convenit esse *in se et non in alio*, et sic distinguitur ab accidente, cui convenit esse in alio, in substantia tanquam in subjecto. Unde substantia, nedum sit in alio, est quidditas quæ stat in se ipsa et alia in ipsa sunt : i. e., negative subjectum non habet, positive est subjectum alterius.

5° Denique substantia non est in alio tanquam in *subjecto*, sc. inhæsionis ; nihil enim impedit quominus sit in alio tan-

1. **Farges**, *Théorie fond.*, p. 88-93 ; *La philosophie de M. Bergson*, 1912, 180-202 ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 137-153 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 201 ; — **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, I, p. 135 et *Rev. néo-scol.*, 1932, p. 208, 213 ; — **Jolivet**, *La notion de substance*, 1923. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 29, a. 2. — 3. **S. Thomas**, *De potentia*, q. 7, a. 3, ad 4 ; — cf. **Kleutgen**, *La Phil. scol.*, diss. VI, c. III ; — **Suarez**, *Metaph.*, *Disp.* XXXII-XXXVI ; — **Jo. a S. Thoma**, *Logica*, p. II, q. 15.

quam pars in toto, v. g., anima in homine, vel contentum in continente, v. g., aqua in amphora.

96. Quotuplex sit functio substantiæ RELATIVE AD ACCIDENS?

A. — Substantia **duplicem habet functionem** relative ad accidens; sc. functionem *staticam*, ut ita dicam, et *dynamicam*.

1° Si prius, substantia est subjectum, substratum seu τὸ ὑποκείμενον accidentium: et ideo quid unum, permanens et identicum relative ad accidentia, quæ sunt varia et mobilia.

2° Si posterius, substantia dicitur fons et radix vel principium productivum accidentium, quæ ab ea « per naturalem resultantiam [1] » emanare vel efficienter produci videntur [2].

Primum *substantia* dicitur, secundum potius *natura* (nascor).

Unde patet notionem *subjecti*, ab omnibus accidentibus abstracti, — non esse vacuam, nam illud subjectum se habet ad accidentia velut fons ad rivulos vel causa ad effectum, et, in utroque casu, tanquam potentia ad actum; — non tamen esse rationem substantiæ veram, hæc enim primario importat esse per se, secundario esse subjectum, saltem in creaturis.

B. — Hæc causalitas substantiæ relative ad accidentia docetur a S. Thoma [3] cum omnibus scholasticis; apud quos tantum controvertitur **natura hujus efficientiæ**, sc. utrum sit causa efficiens *principalis*, an *instrumentalis* tantum [4]. Sic, v. g., utrum, quando generatur substantia, duplex sit actus: unus quo substantia producitur, alter quo substantia producit sua accidentia (ita Suarezius); an tantum sit unicus actus, quo generans producit simul substantiam et accidentia, sed accidentia mediante substantia, tanquam causa quasi instrumentali seu ratione substantiæ quæ exigit accidentia, juxta illud: qui dat esse, dat consequentia ad esse (ita melius S. Thomas et thesis XVII[a]) (cf. Psych., n. 147).

Sed *in utraque opinione* remanet sufficiens substantiæ causalitas, ita ut e natura accidentium ad naturam substantiæ concludere possimus: secus cum Kant noumena fiunt incognoscibilia.

97. Substantiæ sunt FALSÆ definitiones triplicis generis [5]:

A. — Sunt enim qui, **excludendo causam efficientem**, substantiam rerum creatarum non satis discriminant a substantia divina et consequenter pantheismo, forsan inscii, favent.

Imprimis *Cartesius* intellexit per substantiam « rem quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum [6] » (cf. n. 100).

Quare *Baruch Spinoza* definit substantiam: « id quod in se est et per se concipitur; hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat »; — et ideo etiam *a se* est [7].

1. **Thesis thomistica XVII**[a]. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 3, a. 4. — 3. **S. Thomas**, *Quodlib.*, IX, a. 5; **Sum. theol.**, I, q. 77, a. 7; I-II, q. 77, a. 1; *De virtut.*, q. 1, a. 3; *De veritate*, q. 14, a. 5; *In IV Sent.*, q. 1, a. 1. — 4. **Urraburu**, *Institutiones philos.*, Vallisoleti, 1891: *Ontol.*, n. 319-325. — 5. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 395, 406-1°, 384-B, 495, 497. — 6. **Descartes**, *De princip.*, 1a p., n. 51, n. 62-64; — cf. **Gilson**, *Discours de la méthode de Descartes*, p. 302-305. — 7. **Spinoza**, *Ethic.*, p. 1, defin. 3.

Vicinius adhuc pantheismi scopulos legit *Cousin*, qui substantiam definit: « ens nihil relativi includens in suo esse, seu quod nihil ultra se supponit relative ad existentiam ».

B. — Alii vero post Leibniz et Kant, notionem substantiæ **a notione vis in actu** *aut actionis haud sufficienter secernunt*; et ideo substantiam appellant; vim, per quam ens extra nihilum sistitur; seu: vim agendi semper in actu.

Jamvero, etsi omnis substantia sit etiam radix activitatis, ejus tamen *actus* in creatis non est substantialis; sed nec ejus *virtus*, sunt enim permultæ vires, ut calor, electricitas, etc., mere accidentales quæ adduntur substantiæ. Hæc ergo non definiatur per ordinem ad operationem, quia prius est esse quam agere.

C. — Alii denique ansam præbent phænomenistis seu negatoribus substantiæ, juxta quos substantia nihil esset nisi **collectio qualitatum** seu *phænomenorum* (Locke, Hume, Condillac, Taine). Sic, v. g., — *a*) Criticistæ (Kant, Renouvier) reponunt *vinculum* hujus collectionis in *lege* mere *subjectiva* mentis nostræ; — *b*) Stuart Mill in *possibilitate permanente* eorumdem phænomenorum; — *c*) Fonsegrive [1] in relatione quadam permanente inter phænomena seu in *lege objectiva*.

Sed hæc vincula sunt quid mere ideale aut quid reale. Si prius, hoc ideale nihil reale producere potest, fitque vinculum inane. Si posterius, illa realitas non est quid mere accidentale; ergo est quid substantiale. Unde non datur medium inter affirmationem aut negationem substantiæ (cf. Psych., n. 174).

ARTICULUS II

De Realitate substantiarum.

98. Utrum veræ et reales EXISTANT substantiæ in natura?

Negant *sensistæ* et empiristæ, qui tamen nomen substantiæ retinent. — A fortiori Taine et alii *positivistæ*: « Nous croyons qu'il n'y a point de substance, mais seulement des systèmes de faits. Nous regardons l'idée de substance comme une illusion psychologique [2]. » — Sed, etiam *idealistæ*, v. g. Brunschvicg, substantiam de medio tollunt. Contra quos sit

THESIS

Veræ ac reales dantur substantiæ in natura [3].

Prob. — I. Imprimis **experientia**, tum *interna*, tum *externa*.

A. — Nemo est qui, *ope conscientiæ*, clare non percipiat in seipso τὸ ἐγώ, seu entitatem quamdam duplici functione substantiarum erga phænomena conscia præditam. Scilicet

a) percipit se ipsum tanquam subjectum unum et permanens sub continuo fluxu cogitationum, volitionum, etc., nam hæc phænomena in memoria retinet et inter se comparat;

1. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 233. — 2. *Le positivisme anglais*: Etude sur Stuart Mill, 1864, p. 114; — cf. *De l'intelligence*, t. I, p. 388. — 3. **Farges**, *Théorie fond.*, p. 88-93; *La philosophie de M. Bergson*, p. 180-202.

b) percipit se ipsum tanquam principium productivum horum phænomenorum, præsertim in conatu attentionis, aut volitionis. Nec unquam percipit suas cogitationes aut suas volitiones separatas ab agente quod cogitat aut vult.

B. — Similiter manifestum est *extra nos* existere entia quæ :

a) subsistunt et eadem sub diversis phænomenis permanent;

b) horum phænomenorum tanquam causa productiva habentur. Sic, v. g., sol remanet idem, quamvis quotidie novam lucem producat ; arbor remanet eadem, dum seminatur, germinat, crescit, fructificat, multiplicatur et perit [1].

II. **Ratione.** Etenim permultæ sunt realitates in mundo : hæ autem vel in se subsistunt singulæ, et causam habemus ; vel in alia re, quæ ipsa vel in se subsistit et substantia est, vel rursus in alia quæ, nisi admittatur regressus in infinitum, substantia demum sit oportet : requidemvera disjunctio perfecta est, nam inter esse in se et esse in alio non datur medium ; ergo substantia non est figmentum mentis.

Dicit Taine : Una qualitas in se subsistere nequit, centum vero possunt, eodem modo ac unus miles non valet urbem capere, centum autem valent [2]. — Sed apparet sophisma ; siquidem unus miles aliquid confert ad urbis captionem, unum autem accidens, cujus essentia est inesse, in linea substantiæ nihilum est.

99. Utrum substantiæ sint COGNOSCIBILES ?

Hume enixe contendit substantiam esse nobis penitus ignotam. Item Voltaire, dicens : « Le mot substance veut dire ce qui est dessous ; mais ce dessous nous sera éternellement caché [3]. » — Contra quos sit

THESIS

Substantiæ sunt cognoscibiles.

1º **Suadetur** *ex sensu communi.* — Omnes enim, sive docti sive indocti, quasdam substantias, saltem confuse, ad occursum rei sensatæ, cognoscere putant. — Imo neque vox *substantia* in linguis hominum deest neque definitiones quarumdam substantiarum deficiunt in humanis scientiis [4].

2º **Probatur** *ex natura substantiæ.* — Nam, ex dictis (n. 96), substantia se habet ad accidentia sua tanquam causa ad effectum, tanquam potentia ad actum. Atqui ex effectibus ad causam, ex actu ad potentiam assurgere licet, inductionis ope, cum effectus sint causæ manifestationes, sicut et actus manifestatio potentiæ : ex quo accidentia recte dicuntur *phænomena* seu manifestationes (*φαίνομαι, appareo*) noumenorum. Hæc ergo cognosci valent (Crit., 43-44, 56-57).

1. **Meyerson,** *De l'explication dans les sciences*, 1927, c. I, p. 40-44 ; — **Garrigou-Lagrange,** *Dieu*, p. 166. — 2. **Taine,** *De l'intell., Ibid.* — 3. **Franck,** *Dict. des scienc. phil.*, mot : *Substance.* — 4. **Hilaire de Barenton,** *L'origine des langues*, 1933.

ARTICULUS III

De Speciebus substantiæ.

100. Quænam sint VARIÆ species substantiæ ?

Substantia materialis, *stricto sensu*, ea est quæ partibus extensis constat et dicitur corpus, ut stamnum et argentum. *Lato* autem *sensu*, ea est quæ, quamvis simplex et non corporea, a corpore pendet sive quoad esse, sive quoad agere specificum, ut forma corporum aut anima brutorum. Substantia vero *spiritualis* seu immaterialis *ea est quæ absque corpore subsistere et suas operationes specificas exercere potest* : sic angelus et anima humana.

Hæc distinctio est maximi momenti *contra Eclecticos* qui, post Cartesium, simplicitatem cum immaterialitate confundentes, admiserunt quidem animam brutorum, sed nullam distantiam inter ipsam et animam humanam, cum maxima idearum confusione.

101. Substantia simplex *ea est quæ non resultat ex pluribus substantiis*, ut anima humana, angelus, Deus. Substantia vero *composita ea est, quæ ex pluribus principiis substantialibus constat*, ut homo, brutum et alia corpora.

Porro substantia composita idem sibi vult ac compositum *substantiale*, cui opponitur compositum *accidentale*. Utrumque complexio quædam est, sed primum est conjunctio principiorum substantialium in substantiam completam quorum exigit tam intrinsecam unionem, ut ex ipsis, tanquam ex potentia et actu, exsurgat unicum principium passionis et actionis, v. g., materia et forma in corpore (n. 171) ; secundum autem est unio mere accidentalis et extrinseca substantiarum completarum quæ totidem sunt naturæ distinctæ, ut, v. g., vinum aqua mixtum.

102. Substantia completa *ea est quæ rem integram e natura sua constituit, nec ordinatur ad constituendum compositum substantiale* ; ita angelus, homo. Substantiæ vero, quæ *sunt partes totius integri et ordinantur ad constituendum compositum substantiale, nuncupari solent incompletæ* ; tales sunt, ex. g., materia et forma in rebus corporeis.

Præterea, Thomistæ distinguunt substantiam completam et incompletam *in ratione speciei*, et *in ratione substantialitatis.*

1. Substantia quæ per se potest existere et ex se exercere actiones conformes suæ naturæ, v. g., angelus, est completa in ratione utriusque simul.

2. Substantiale principium, quod *subsistere* valet, quin constituat *naturam* completam, seu substantia quæ exercere potest quasdam operationes sibi speciales, sed non omnes ad quas nata est, completa in ratione substantialitatis dicitur, sed non in ratione speciei : hujusmodi est anima humana, quæ ex se sola intelligit et vult, sed sentire non potest.

3. Substantia quæ ex se sola nec potest existere nec operationes suas exercere, sc. anima brutorum, est totaliter incompleta ratione utriusque simul.

103. Quid sint NATURA, SUPPOSITUM et PERSONA ?

Hæc tria sunt substantiæ completæ, diverso gradu. Nam

A. — Substantia, quatenus est *principium intrinsecum quo* agens activitatem suam exerit, vocatur, **natura**, etiamsi nec individuationem, nec *esse* reale, nec ideo accidentia haberet. — Si ulterius ab his tribus completur sicque totaliter subsistens fit ipsum subjectum *quod* agit aut patitur, nomen genericum *suppositi* usurpat seu *individui*, nam « individuum est quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum [1] ». Porro suppositum potest esse irrationale, vel rationale : hoc autem, utpote nobilius, nuncupari solet persona.

B. — **Suppositum** et quidem specifice sumptum, est *substantia individua, completa et incommunicabilis, sed non rationalis, quatenus est subjectum operationum sibi propriarum.* — Dicitur substantia :

1° *Individua* ; ergo realiter existit in rebus naturæ ;

2° *Completa*, et ideo *subsistens*, sc. non eget alio subjecto cui uniatur ad esse vel agendum, sicut anima, pes, manus ;

3° Imo *alteri incommunicabilis*, i. e., nec alteri communicatur per modum complementi, ut pars toti, principium principio, anima corpori ; nec fit communis pluribus distinctis, ut animalitas leoni et homini ; nec ab alia subsistentia altioris ordinis, ut humanitas a Verbo, assumi potest, quin sua careat ;

4° *Subjectum operationum* : id est subjectum *quod agit aut patitur* ; et proinde quodammodo differt a natura quæ vocatur principium *quo* agentis operationes eliciuntur ;

5° Tandem *subjectum operationum,* actionum sc. aut passionum, *sibi propriarum* ; unde dicitur sui juris ; et quidquid agit, ei tribuitur ;

6° Sed *non rationalis* est, unde differt a persona.

C. — Persona, græce ὑπόστασις, definitur a Boetio : « rationalis naturæ individua substantia », i. e., *completa, incommunicabilis et rationalis, qualenus est subjectum operationum sibi propriarum.* Persona sc. complectitur quidquid importat notio suppositi : hoc est *genus* definitionis ; insuper ad ordinem entium rationabilium pertinet, cæteraque supposita excellenti modo præcellit : unde vox « rationalis » *differentiam*, saltem materialem, suppositum inter et personam exhibet. — Brevius et melius S. Thomas : persona est « distinctum subsistens in aliqua natura intellectuali [1] ».

1. **Sum. theol.**, I, q. 29, a. 4.

ARTICULUS IV

De Individuatione substantiæ.

104. Quænam sit quæstio de INDIVIDUATIONE substantiarum [2] ?

Duplex est substantia : *prima* (οὐσία πρώτη), quæ est individuum et ideo non convenit pluribus subjectis, v. g., *Petrus* ; *secunda* quæ convenit pluribus et ideo de aliis prædicatur, v. g., *homo*, humanitas. Quæritur quomodo in eadem specie, v. g., duo homines *numero* distinguantur : seu quomodo substantia prima sit individua ? An per aliquid ab ipsa realiter distinctum, vel per aliquid ipsi intrinsecum ?

Porro **principium individuationis** vocatur *illud intrinsecum* per quod *substantia individua, in se quidem indivisa, distinguitur a qualibet alia in eadem specie.* — Dico : substantiæ *intrinsecum*, sicque differt a *notis individuantibus* seu signis, quibus substantia, aliunde individua, recognoscitur [3]. Hæc enim, ex omnium consensu, sunt accidentia extra substantiam individuam, et numero septem :

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen :
Hæc ea sunt septem, quæ non habet unus et alter.

105. Quænam sint præcipuæ philosophorum OPINIONES [4] ?

Sex præsertim numerantur, nam, omissa illa Platonis, qui Ideam subsistentem, vel Averrois, qui unicum intellectum vere non multiplicari putat.

1° Alii volunt ex *collectione accidentium* substantiam fieri individuam (Psych., n. 174). — Sed contra : accidentia jam supponunt individuationem, nedum illam constituant, nam sunt extra substantiam jam intrinsece individuam et ipsa potius « fiunt indi-

1. *De potentia*, a. 9, a. 4, a. 2 ; — **Sum. theol.**, I, q. 29, a. 1 ; — *I Sent.*, Dist. XXIII, a. 3 ; — **Piat**, *La personne humaine*, 1897. — 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 35-42. — 3. **S. Alb. Magnus**, *De prædicabilibus*, tract. IV, c. 7. — 4. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, II, c. VIII ; — cf. **Urraburu**, *Ontol.*, n. 100 ; — **De Maria**, *Philosophia peripatetico-scholastica*, Roma, 1893 : *Ontol.*, p. 516 ; — cf. **Suarez**, *Disp. Metaph.* V, Sect. 6, n. 2, sq.

vidua ex subjectis quibus inhærent »: nihil aliud sunt ac notæ individuationis (n. 104), quæ confundi non debent cum principio individuationis.

2° Alii ex ipso *facto existentiæ* (Fénelon, Rosmini). — E contra existentia est quid omnino commune, nedum possit esse principium distinctionis inter hanc et illam essentiam. Aliunde jam supponit essentiam et quidem *hanc* seu individuam.

3° Alii ex *forma* (Godefredus de Fontibus et Zarabella). — Sed forma est per se communicabilis : ergo *per se* non individua. Præterea rebus specificam dat universalitatem : ergo non individuationem, nisi tamen sit separata, ut angelus (n. 106, B).

4° Alii ex *hæcceitate* (Scotus), scilicet ex quadam entitate, qua ens *hoc* est potius quam *illud*. — Sed illa entitas, v. g., *Petreitas* in Petro, nunquam clare definita fuit : juxta Scotum, est ultima realitas entis [1] ; sed ista quid sit ? an ipsamet subsistentia substantiæ (n. 108) ?

5° Alii *ex individui tota sua entitate*. Ita olim R. Baco et Franciscani generalius, Occam et nominales, ipse Leibniz ; ita hodierni scholæ Suarezii defensores, juxta quos principium individuationis debet esse quid *commune* omnibus rebus individuis, sive substantiis (corpori, animæ, angelis, Deo), sive accidentibus, sive rebus mere possibilibus. Porro his omnibus nihil commune dari potest, nisi *ens* ipsum quatenus *unitate* transcendentali præditum, id est *in se indivisum*, et consequenter (quando cum aliis comparatur) *divisum a quolibet alio*. Ergo quodlibet ens *ex seipso* individuatur, quatenus est *unum* (n. 45), et sicut unum sequitur ens, ita individuum sequitur unum. — Hinc materia prima, sicut et forma, haberet suam ex seipsa individuationem : sic per totum confunditur unitas transcendentalis cum numerica ; sic forsan asseritur individuatio, minime vero explicatur.

6° Restat sexta et solidior sententia thomistica : unde

106. Quæ sit SENTENTIA S. THOMÆ de principio individuationis [2] ?

Principium individuationis est *ratio numericæ distinctionis unius individui ab alio in eadem natura specifica.*

A. — **In substantiis corporeis,** *principium individuationis est materia, signata quantitate* seu prout ex ea fluit quantitas.

En *præcipuum* argumentum : In substantiis corporeis duo semper inveniuntur, materia et forma. Sed (Cosmol., n. 35) principium quo res materiales sunt talis vel talis speciei, est forma ; ergo principium per quod sunt individuæ est materia ; sed materia prima per seipsam non est individua, ergo est materia signata quantitate [3] : hæc enim signatio seu designatio aut limitatio individuat materiam sive sit *hæc* radicaliter et

1. **Scaramuzzi,** *Duns Scoto summula*, 1932, p. 106. — 2. Cf. **S. Thomas,** *Compendium theol.*, c. 154 ; — **Salmanticensium** *Cursus theol.*, t. I, tract. I ; — **Roland-Gosselin,** Commentaire in *De ente et essentia*, p. 104-127. — 3. **D. Nys,** *Cosmol.*, II, p. 124-134.

prius distincta quam quanta (Cajetanus) sive fiat *hæc* tantum sub tali talive quantitate actuali (Ferrariensis).

Confirmatur *experientia* : nam totus multiplicationis rerum materialium processus in divisione materiæ consistit, v. g., in lapidibus, in vermiculis. Sed id ex quo res numero multiplicatur, est etiam id ex quo res in suo esse individuo constituitur [1]. Ergo est materia sub tali vel tali quantitate *actuali*, de cujus ratione est ut sit divisibilis in partes, sicque *hæc* materia divisa ab *illa*.

B. — **In puris spiritibus,** *non datur principium individuationis.* Secus enim esset eorum forma, quatenus specifice diversa : nam in angelis, præter esse, nihil est nisi forma spiritualis ; ergo unum idemque principium illis dat specificationem et individuationem. Porro, si utrumque principium identificatur, diversitas individuorum a sola diversitate specierum repetenda erit ; tot ergo angeli, quot species. « Sequitur quod impossibile sit esse duos angelos unius speciei », nec in eis est numerica distinctio in eadem natura specifica : ergo nec principium individuationis [2].

Brevi : materia ex signatione *quantitatis* ; forma ex materia ; anima separata ex aptitudine ad corpus ; angelus ex specie sua, Deus ex seipso individuantur.

ARTICULUS V

De Subsistentia substantiæ.

107. Quid et qualis sit substantiæ SUBSISTENTIA ?

A. — **Subsistentia** est modus substantiæ quo fit incommunicabilis omnino, ita ut non solum non sit *in* substantia ut accidens, sed nec *cum* substantia quia completa, nec *de* substantia utpote individua, nec *ab* alia assumptibilis. Est ergo *ea perfectio vi cujus natura, jam completa necnon singularis, ultimo completur et fit sui ipsius et sui juris,* seu autonoma.

1. Est *perfectio* : revera subsistentia sumi potest vel concrete, vel abstracte ; si prius, idem est ac substantia perfecte subsistens, quæ duplex est, suppositum et persona. Si posterius, concipi debet ut perfectio actusve naturæ irrationalis aut rationalis, et suppositalitas aut personalitas vocatur.

2. Est *vi cujus natura jam completa necnon singularis* (n. 102-

1. **S. Thomas,** *Quodlib.* VII, c. 10 ; *In Boet. de Trin.*, q. 4, a. 2 ; — **Pesch,** *Inst. Log.*, n. 1283. — 2. **Thesis thomistica XI**a.

104) *possidet* supremam perfectionem in linea essendi substantiæ : tunc evadit principium *quod* operationum.

3. *Fit sui ipsius seu existit propter se*, non propter aliud suppositum, a quo assumatur : assumi tamen non repugnat præternaturaliter substantia etiam singularis et completa, si non est subsistens seu persona ; sic, teste fide, humanitas Christi, licet singularis et completa, a Verbo divino assumpta est.

4. Denique *fit sui juris* seu *propter se operatur*. Sic homini tribuitur quidquid corpus vel anima agit, nam pariter dicimus, ego ambulo, sentio, cogito.

B. — Consequuntur ex notione præclaræ **dotes subsistentiæ**.

1° *Actiones sunt suppositorum et personarum*. Nam actio in ultimum principium a quo procedit, refundi debet : porro persona est præcise principium ultimum quod operatur ; ergo et centrum attributionis.

2° *Actiones participant dignitatem vel indignitatem personæ*. Nam actio, quia quasi pullulat ex agente et est agens seipsum evolvens, illius, cujus est, refert honorabilitatem ; ergo et ejusdem dignitatem aut indignitatem. Ideo, si actiones sunt theandricæ seu divinæ personæ, ut in Christo, infinite meritoriæ sint oportet.

3° *Denominationes sunt personales*. Nam qualitates, sicut et actiones, sunt etiam illius cujus est substantia. Unde dicitur : « *Petrus* est albus, *Ego* sum sapiens, etc. »

108. Utrum subsistentia sit positive a natura DISTINCTA ?

Quæritur undenam habeat substantia individua, quod sit perfecte subsistens : an ab aliqua perfectione positiva (*thomistæ*) ? an vero sola negatione unionis naturæ singularis cum ente nobiliori (*scotistæ*) [1] ? Quæstio est metaphysica quam, historice loquendo, suscitavit unicitas personæ in duplici natura Christi. Unde

THESIS

Subsistentia est aliquid in substantia positivum, necnon, in rebus creatis, a natura singulari realiter distinctum.

I. — Est aliquid **positivum**. — Imprimis enim, in *verbis* quibus designatur, nihil negativi invenio. Ita subsistentia, hypostasis, persona, nihil negant in substantia ; item vocabula, *ego, tu, ille*, aut nomina propria personarum.

Revera, ex dictis de utraque (n. 103, 107), subsistentia naturam perficit ; sed mera negatio naturam perficere nequit :

1. Cf. **Minges**, *Duns scoti doctrina phil. et theol.*, II, p. 220.

proinde subsistentia dici non potest mera negatio. — Quod autem ab alio supposito assumi nequeat, hoc est tantum sequela subsistentiæ sed ipsam non constituit : nempe quia sum meiipsius et mei juris, ideo non sum alterius, sed non vicissim.

II. — Est aliquid **realiter distinctum a natura**, etiam singulari. — *Revera* subsistentia naturæ individuæ addit existentiam et accidentia, etiam in angelis. — *Sic*que est principium *quod* naturaliter agit, dum natura est principium *quo* seu quasi instrumentum quo agimus. — *Hinc* est cur actiones et denominationes sint personæ, non naturæ quæ et ipsa refertur ad personam [1]. — Ergo, in rebus creatis, quia imperfectis, persona et natura notis oppositis, et ideo realiter (n. 51) discriminari debent.

Thesis *fide* illustratur mysterio SS. Trinitatis et Incarnationis [2].

109. Utrum subsistentia sit MODUS vel ACTUS essendi [3] ?

Qui admittunt distinctionem realem inter personam et naturam, disputant utrum adsit tantum modalis vel major aliqua distinctio (n. 45, B).

Juxta **omnes**, *subsistentia non differt a natura* — 1° sicut substantia a substantia : non enim novam substantiam supra naturam addit ; — 2° nec sicut accidens a substantia : subsistentia enim una est et complet substantiam in suo ordine, nec ei contingit secundario tantum sicut multiplex accidens. Hoc admisso,

A. — Juxta **recentiores**, *subsistentia est modus tantum substantialis*. Ast ille modus vel adderetur naturæ jam existenti ad sensum Suarezii, vel naturæ antequam actum essendi recipiat ad sensum S. Thomæ et Cajetani. — Si prius, duo tantum (n. 33) *realiter* distinguuntur, sc. essentia actualis et modus iste substantialis [4], superveniens naturæ jam existenti, et ideo extraneus substantiæ. — Si posterius, tria *realiter* sunt distincta, sc. essentia, modus substantialis et actus existentiæ [5].

B. — Juxta **veteres**, nempe Capreolum et probabiliter ipsum Angelicum [6], *subsistentia est ipsemet actus essendi* a natura quidem individua omnino distinctus (n. 34). Placet pluribus hæc sententia *simplicitate* sua : per hunc enim *actum* natura trahitur in communionem essendi, sicque sub esse suo subsistit, fit *id quod est* et incommunicabilis etiam superiori supposito ; *modus* e contra *substantialis* apparet in natura *jam individua*, præter esse proprium substantiale, revera inutilis ; ideoque veteribus ante Cajetanum ignotus fuit.

1. **Sum. theol.**, III, q. 2, a. 2. — 2. *Ibid.*, q. 4, a. 2, ad 3. — 3. **Michel**, *L'évolution du concept de personne*, in *Revue de phil.*, oct. 1919. — 4. *La science catholique* ; *Suarez métaphysicien*, an. 1898, p. 830. — 5. **S. Thomas**, *Quodl.*, II, a. 4 ; IX, a. 2, 3 ; **Contra gent.**, II, c. 52 ; **Sum. theol.**, III, q. 17, a. 2 ; — **Salmanticenses**, *De Incarnat.*, Disp. VIII, dub. 1. — 6. Ita **S. Thomas** juxta **Billot**, *De Verbo Incarnato*, ed. IVª, p. 81, 129 ; — **Capreolus**, *Defensiones*, 7 vol., Tours, 1900-1908 : *IV Sent.*, Lib. III, dist. v, p. 109-119 ; — **Vasquez**, in IIIam *Sum. Theol.*, Disp. 41, c. 4, n. 22.

Hoc in ultimo sensu suppositalitas novam compositionem afferret nullam : remanet compositio in ordine *entis* (essentia et existentia), in ordine *quidditatis* (materia et forma), in ordine *activitatis* (substantia et accidens).

110. Consequenter subsistentia non est ACCIDENS.

Est contra philosophos recentes qui, post Cartesium, **in operatione mere accidentali** reponunt personalitatem, nempe

1° Persona falso definitur « *natura sui conscia* » a Gunther et aliis, præsertim apud Germanos. *Etenim* conscientia est actus vel habitus relative ad personam ; ergo supponit personam jam constitutam eique posterior est. — *Aliunde*, infans non est sui conscius ; verumtamen est persona ; idem est dicendum de homine sopito, vel mentis hebetudine capto. — *Unde* prior est persona : conscientia existentiam et unitatem τοῦ ἐγώ sane percipit, sed non facit ; demonstrat, sed non constituit.

2° Similiter persona *non in libertate, nec in voluntate* aliave *facultate* reponi debet, ut volunt fere omnes recentiores. Sic de Biran : « Le moi est ce qui veut et ce qui agit » ; — Fabre : « La personne est... fille de la volonté [1] » ; — Cousin : « La volonté est l'être de la personne..., on ne peut trouver l'élément de la personnalité ailleurs que dans la volonté [2]. » — Denique alii, singuli juxta suum systema, v. g., Condillac : « Le moi est ce qui *sent* » ; — Locke : « Le moi est la *mémoire* du passé ; c'est aussi en cela seul que consiste l'identité personnelle [3] » ; — ante omnes ipse Cartesius : « persona est id, quod *cogitat* ».

Hinc et **paucis verbis** : persona « significat id quod est perfectissimum in tota natura [4] » ; est enim essentia (n. 16), et hæc substantia (n. 95), et hæc completa (n. 102), et individua (n. 104), et subsistens (n. 107), in natura rationali (n. 103), nec simpliciter est natura (n. 108).

CAPUT SECUNDUM

DE ACCIDENTIBUS

E consideratione substantiæ primaria logice progredimur ad considerationem accidentium, 1° *in genere*, 2° *in specie*.

1. *Notions de philos.*, 1874, p. 429. — 2. *Fragments phil.*, préface ; — **Liberatore**, *Du comp. humain*, 1865, ch. I. — 3. *Essai sur l'entend. hum.*, L. II, c. 27, n. 9. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 29, a. 3.

ARTICULUS I

De Accidentibus in genere [1].

De accidentibus in genere quatuor recensere oportet : nempe *quid sit* accidens, *quotuplex* sit, quomodo a *substantia secernatur* et utrum ab ea *separari* possit.

§ I. — *De Natura accidentium* [2].

111. Quid sit ACCIDENS et quænam sint ejus PROPRIETATES ?

A. — **Quoad nomen**, accidens, e verbo « accidere », designat id quod defluit a substantia etiam necessario (*proprium*), vel illi quasi fortuito adjicitur (*accidens prædicabile*) (cf. Log., n. 126).

Quoad rem, accidens prædicamentale definiri solet : *res cui convenit vel debetur esse in alio, tanquam in subjecto* [3].

1° Accidens dicitur *res* ; ideo non est tantum ens rationis.

2° Est res *cui convenit vel debetur* esse. Videlicet, sicut substantiæ non debetur essentialiter existentia actualis, ita nec accidenti inhærentia de facto, sed aptitudo tantum ad inhærendum : nam, « licet Deus posset aliquod accidens separare a subjecto, ut communiter tenetur de accidentibus hostiæ consecratæ (n. 119), quod tamen illa accidentia non habeant aptitudinem ad subjectum, hoc est impossibile [4] ».

3° Est res cui debetur *esse in alio tanquam in subjecto*, sc. inhæsionis ; et sic distinguitur a substantia in qua est, non sicut pars in toto, nec sicut contentum in continente vel locatum in loco, sed sicut in subjecto cui inhæret et quo sustentatur. — Hinc accidentis est inesse : *inesse* autem dividitur contra *subsistere*, at, sicut ipsum, *actus* est essentiæ, in qua accidentia sunt unum [5] (n. 45).

Nota. — Sicut substantia simpliciter definiri posset *res quæ est in se*, ita accidens *res quæ est in alio* : nam in universum verba in definitionibus non significant actum, sed aptitudinem.

112. B. — **Proprietates** accidentis illustrant tria axiomata.

1° Accidens *non est ens simpliciter, sed potius « ens entis [6] »*. In hoc porro differt a substantia, nam substantia est ens simpliciter, accidens autem ens secundum quid ; substantia est id

1. **S. Thomas, Opusc. apoc.** *Summa totius Logicæ*, I, c. VII : — **Suarez**, *Disp. Metaph.*, XXXVII-XXXIX ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 154-159. — 2. *De spirit. creat.*, a. 11 ; **Opusc. apoc.** *De natura accidentis*. — 3. *IV Sent.*, dist. XII, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 2 ; — **Kleutgen**, *La philos. scol.*, t. III, p. 112 ; — **Suarez**, *Disp. Metaph.*, *supra cit.* — 4. **Opusc. apoc.** *Summa totius Logicæ*, tract. I, c. VIII. — 5. **Thesis thomistica V**ª. — 6. *VII Metaph.*

quod est, accidens id quo aliquid est tale aut tale ; substantia per se fit, accidens autem fit in alio.

2º *Accidens e subjecto in subjectum migrare non potest.* Etenim accidens ex uno subjecto accipit esse et individuationem (n. 96) : « unde non potest fieri quod idem numero manens, sit quandoque in hoc, quandoque in illo subjecto [1] ».

3º *Modus essendi sequitur esse*, id est : *accidens naturam substantiæ participat* ; et ideo, si immateriale est, ex substantia spirituali dimanet, vel in ea recipiatur oportet (n. 96).

§ II. — *De Divisione accidentium.*

113. Utrum accidentia reduci possint in CLASSES generales ? Innumera quidem sunt accidentia quæ substantiam afficere valent : hæc tamen ad nonnullas classes reduci possunt. Unde Pythagorici distinxerunt *viginti* rerum classes, Plato *quinque*, Stoici *quatuor*, Cartesius, Spinoza et Locke *tria* (substantiam, attributum, modum aut relationem), Kant autem *quatuor* fundamentales conceptus rationis et *duodecim* categorias (Crit., n. 55). Contra quos post Aristotelem cum S. Augustino sit, sæculorum usu et auctoritate scholasticorum consecrata, sequens

THESIS

Novem sunt accidentia et ideo decem categoriæ.

Prob. — Quidquid enim accidit substantiæ, vel ab ipsa procedit in ordine ad ipsam, vel ab ea in ordine ad aliud, vel ab alio in ordine ad ipsam substantiam.

Si primo consideratur substantia absolute quatenus in se est, duo accidentia immediate dimanant ab elementis substantiæ constitutivis, quantitas sc. et qualitas ; *quantitas* emergit e materia, et *qualitas* e forma ; et hæc **absoluta** dicuntur.

Si secundo consideratur substantia relative, quatenus est principium comparationis ad aliud, quatuor accidentia ab ea defluunt, immediate vel mediante quantitate aut qualitate : *relatio*, sc., *actio*, *passio* et *situs*. Etenim substantia integra ad aliud relationem intrinsece habet, per formam ordinatur ad agendum, per materiam ad patiendum, denique situm sortitur e coordinatione suarum partium ad locum extrinsecum. Inde, naturæ satis diversæ, accidentia **relativa**.

Si tertio substantia spectatur ut terminus comparationis aliorum ad ipsam, tria alia exsurgunt accidentia, videlicet, *ubi*, *quando* et *habitus*, prout ab extrinseco illam mensurant

1. **Sum. theol.**, III, q. 77, a. 1, c.

spatium aut tempus, vel illi applicatur adjacens ornamentum [1] et, sub hoc respectu, aliquatenus **extranea** sunt (n. 117).

Equidem Kant categorias rerum cum nativis intelligentiæ legibus confundens, eas ad quatuor genera revocare voluit novo quidem sensu nempe subjectivo (Crit., n. 55). — In hoc autem pejus se gessit ac ille qui annum in pauciores pluresve menses aut hebdomades dividere vellet, non sine magna scientiarum perturbatione [2].

114. Ecce, SCHEMATIS instar, divisio decem categoriarum.

Ens	I. — **In se** existens, est			. . . .	1. **Substantia.**
	II. **In alio** existens est **Accidens**	1. *Absolutum*		1. in materia	2. *Quantitas.*
				2. in forma	3. *Qualitas.*
		2. *Relativum*	*a)* si ad aliud refertur	tota substantia . . .	4. *Relatio.*
				forma activa	5. *Actio.*
				materia passiva . . .	6. *Passio.*
				pars quantitatis . . .	7. *Situs.*
			b) si ad ipsum refertur	mensura extensionis .	8. *Ubi.*
				mensura durationis. .	9. *Quando.*
				adjacens substantia .	10. *Habitus.*

115. Quid sit et non sit accidens accidentis seu MODALE ?

A. — Variæ quidem sunt species horum novem accidentium : inter quas, ratione *suæ entitatis*, præstantior est accidentium divisio in accidentia **absoluta** et in accidentia **modalia.**

Accidens absolutum est entitas realis et specialis, distincta a substantia cui sive immediate sive medio alio inhæret et quam perficit, ab ea tamen dependens quoad existentiam ; tales sunt quantitas et qualitas in rebus mundanis. Accidens vero modale nihil est nisi modus essendi accidentium absolutorum : v. g., esse rotundum, sedere, curvitas lineæ, digitorum extensio..., sunt modi quibus terminatur ipsa quantitas [3] ; celeritas motus et intensitas caloris sunt modi qualitatum.

B. — Porro **triplex est discrimen** inter accidens et modum :

1. Accidens est realitas quædam, modus autem est determinatio hujus rei, v. g., celeritas major vel minor motus.

2. Remanente eodem accidente, modi sæpe variantur, v. g., intensitas in calore. Ergo non sunt unum et idem.

3. Actu inhæsionis privari potest accidens quin pereat, ut statim dicendum est (n. 119) : non autem modus, qui sine re modificata existere non potest. Ergo accidens et modus realiter distinguuntur.

1. **S. Alb. Magnus**, *De prædic.*, tr. I, c. 6. — 2. Cf. **Pesch**, *Inst. logic.*, 3 vol., 1888-1890, n. 248, 1445, 1448 ; — cf. *Une nouvelle critique des X catégories*, in *Revue thomiste*, 1899, p. 674 ; — *Revue de philos.*, juin 1901 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 73, 282-xɪɪɪᵉ, 460. — 3. **Kleutgen**, *La philos. scol.*, t. III, p. 194-200 ; — **S. Augustinus**, *De genesi ad litteram*, L. IV, c. ɪɪɪ, n. 7.

§ III. — *De Distinctione accidentium a substantia.*

116. Status quæstionis de DISTINCTIONE accidentium.

A. — **Indubium** est accidentia, sive relativa, sive absoluta, substantiæ ita inhærere, ut unum cum illa efficiant individuum, aut ens in se indivisum et a quolibet alio distinctum. — Præterea, certum est distinctionem saltem rationis esse ponendam inter substantiam et accidentia ; nam concipimus substantiam ut rem cui convenit esse in se ; accidens autem intelligitur ut res cui convenit esse in alio.

Sed **controvertitur** utrum accidentia realiter etiam differant a substantia : solutio pendet ab auctorum metaphysica. — Hic autem non quæritur utrum accidentia a substantia possint separari, annon : hæc enim quæstio valde diversa est, et de separabilitate accidentium infra dicemus (n. 118).

B. — *Jamvero* pantheistæ et materialistæ, rationalistæ cum Cartesio [1], et deinceps moderni fere omnes [2], empiristæ ut Locke, Hume, Stuart Mill et Taine, criticistæ ut Kant, Bergson, docuerunt accidentia nihil esse nisi substantiæ modificationes : juxta quos, phænomenis ablatis, substantia non est. — *E contra* peripatetici et scholastici omnes, exceptis cum Occamo nominalistis, duce S. Thoma, invicte propugnant differentiam realem inter substantiam et accidentia [3] : quibus etiam Leibniz, re melius perpensa, consensit, et, licet accidentia modificationes seu determinationes substantiæ esse dicat, easdem a substantia distinctas esse asseruit [4]. Sit igitur cum scholasticis.

THESIS

117. *In rebus creatis sunt accidentia sive absoluta, sive modalia, quæ a substantia realiter distinguuntur.*

Probatur thesis e quatuor accidentium causis, quæ eorumdem *finem*, *naturam*, *subjectum* et *originem* explicant.

1° Ex **fine** accidentium. — Nam Substantia Increata habet quidem plenitudinem perfectionis : substantia autem creata est *imperfecta* et suas acquirit perfectiones, sed non nisi gradatim et per additiones successivas. Sed quod acquiri debet, ab acquirente distinctum sit oportet. Ergo et accidens a substantia creata, et, sicut ejus agere ab esse, ita actio ab ejusdem essentia distinguitur.

2° Ex **natura** accidentium. — In hoc enim stat accidentis

1. *Principes*, n. 53. — 2. **Franck**, *Diction. des sciences philos.*, art. *Accident.* — 3. Cf. **Liberatore**, *Metaph. gener.*, c. II, a. 1, n. 67 ; — **Sanseverino**, *Ontol.*, c. III, a. 4, n. 237. — 4. Cf. *Essais de théodicée*, p. III, n. 393 ; — *Systema theologicum*, n. 49 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 405-II°.

causa formalis seu ratio, quod sit *forma* inhærens subjecto. Entitates autem hujusmodi substantiæ inhærere, et consequenter ab ea distingui, testantur — *a*) *experientia* : quod enim aliqua entitas corpori addatur, dum plus minusve calefit, lucet aut movetur, factum obvium omnibus est, confirmatum *scientia*, quæ variis experimentis demonstrat multas actualitates e potentia substantiæ ad existentiam educi ; — b) *conscientia*, quæ nos docet operationes mentis, ut volitiones, esse quid reale in nostra anima ab eaque distinctum ; et hoc testimonium est sensus communis, nam, ut fatetur ipse Angelicus, « nullus unquam opinatur, nisi insanus, quod habitus et actus animæ sunt ipsa ejus essentia [1] ».

3° Ex **subjecto** accidentium. — Nam subjectum seu *causa materialis* accidentium est substantia *permanens* et *una* : e contra, 1 — accidens est mutationi obnoxium, quod essentiæ adjicitur ut actio, quod augetur aut minuitur ut quantitas, quod plus minusve perficit ut qualitas ; 2 — item accidentia sunt plura et inter se discrepant ; nam, ut jam notavit S. Augustinus : « aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura : potest enim, diminuta magnitudine, manere idem color et eadem figura ; et, mutato colore, manere eadem magnitudo et figura ; et figura eadem non manente, tam magnum esse et eodem modo coloratum [2] ».

4° Ex **origine** accidentium. — Videlicet accidentia duplicem habent *causam* quasi *effectricem* : vel enim a subjecto, cui insunt, ortum habent, et, ut sic, nominantur *propria* ; vel ipsi subjecto adjiciuntur, et tunc vocari solent *extranea*. Sed, in utroque casu, verum discrimen agnoscendum est inter accidens et substantiam, scilicet accidens proprium differt a substantia ut « productum a producente » ; dum accidens extraneum a substantia discrepat ut « receptum a receptivo ».

Ergo tandem « est in omni creatura realis compositio subjecti subsistentis cum formis secundario additis sive accidentibus [3] », eaque sequitur distinctionem inter essentiam et existentiam.

Confirmatur thesis — omissa analogia fidei et rationis [4] — ex *consequentiis adversæ sententiæ*. Negata enim accidentium entitate, mutationes mundanas, quæ quidem negari nequeunt, in ipsis substantiis fieri necesse est. Hoc autem posito, paulatim deveniendum est ; — *a*) ad *evolutionismum* seu mutationem essen-

1. *De spirit. creat.*, a. 11, ad 1. — 2. **S. Augustinus**, *De Trinit.*, L. VI, c. VI. — 3. **Thesis thomistica V^a**. — 4. Cf. **Kleutgen**, *La philos. scol.*, t. III, p. 199 et 200 ; — **Conc. Trid.**, sess. VI, *De justificat.*, c. 7.

tiarum, quia, cum ex hypothesi accidens idem est ac substantia, mutatio quæcumque realis non potest esse nisi substantialis; — b) ad *pantheismum*, nam substantiæ, si cunctæ et intrinsece mutantur, phænomena dici debent, quæ ab unica et divina substantia sustentantur: mutatio enim supponit subjectum mutatum (Crit., n. 71): — c) ad *scepticismum*, qui ex admisso fluxu essentiarum continuo, et ideo relationum inter ipsas, logice defluit (Cosm., n. 58).

§ IV. — *De Separabilitate accidentium a substantia* [1].

118. Status quæstionis de SEPARABILITATE accidentium.

1. **Sensus.** — Non omnia, quæ sunt distincta, separari possunt. At de facto, et est de fide, in Eucharistia et post conversionem totius substantiæ panis et vini, « manent dumtaxat species panis et vini [2] »: quæ quidem non sunt sensuum illusiones, sed ipsamet panis et vini accidentia separata. Hinc apud philosophos christianos, qui præter facta naturæ admittunt facta supernaturalia, nascitur quæstio, utrum accidens a substantia separari repugnet annon.

2. **Sententiæ** — Jamvero separabilitas accidentium duo supponit: eorumdem distinctionem a subjecto cui inhærent et actionem Dei supernaturalem; unde Cartesiani, qui primam et Rationalistæ qui secundam negant, contendunt accidentia a sua substantia separari nullo modo posse. — Scholastici autem omnes, hanc recentiorum opinionem ut erroneam impugnantes, tria de separabilitate accidentium asserunt:

1° Accidens *modale* separatim existere nequit; nam, etsi modus revera distinguatur a re, cujus est modus, tamen sine ea nunquam esse potest, quia modus est quædam mensura, quæ rei præfigitur ac proinde repugnat aliquid esse modum alicujus rei, quam revera non mensurat (n. 115).

2° Præterea, nullum accidens, etiam *absolutum*, a substantia separari potest secundum ordinem naturæ consuetum: nam ex aptitudine sua exigit subjectum cui hæreat, sine quo individuationem et existentiam connaturaliter non habet.

3° *Quantitas* autem, quæ est entitas realis, a substantia separari potest *ex virtute Dei infinita* per miraculum, necnon in esse servari, quin ulli adhæreat subjecto; et respectu aliorum accidentium dici solet quasi-substantia, cui inhærent alia accidentia, v. g., figura, sapor, color, et aliæ proprietates panis et vini [3]. His positis, — quæ ex principiis theologiæ

1. **Farges**, *L'idée de continu*, p. 91-99; — **Suarez**, *Disp. metaph.*, XL. — 2. Cf. **Denz.-Banw.**, n. 884. — 3. **S. Thomas**, *In IV Sent.*, dist. XI, q. 1, a. 2, sol. 3.

convincitur esse vera [1], — rationi etiam naturali indubia apparet sequens

THESIS

119. *Quantitas, et, ipsa mediante, cætera accidentia, ex infinita Dei virtute a substantia separari possunt.*

Prob. A. — **Arg. negativo.** — Deus efficere potest quidquid intrinsece non repugnat; sed quantitatis separabilitas a substantia nullam contradictionem involvit; ergo fieri potest.

Probatur *minor.* — Nam si daretur contradictio, esset vel quia accidens unum et idem esset cum substantia; vel quia ei essentialiter adhæreret; vel quia nulla esset causa, nisi substantia, per quam existere possit. Tria vero hæc sunt falsa: — videlicet, accidens non est unum et idem cum substantia; nam ab ea realiter differt, ut vidimus (n. 117): — item, accidens substantiæ actu non adhæret essentialiter: sufficit ut servetur ejus aptitudo ad inhærendum (n. 111); — denique adest, præter virtutem substantiæ, virtus causæ infinitæ, per quam accidens existere potest. Ergo nulla contradictio.

B. — **Arg. positivo.** — Deus seu causa prima potest servare effectus, saltem non formales, causarum secundarum, sine ipsis causis secundis; nam causa prima est ex se efficacissima. Sed accidens absolutum habetur ad substantiam ut effectus ad causam secundam sive efficientem, sive materialem (n. 96) [2]; substantia enim vel accidentia, si sint propria, aliquatenus producit, vel illa, quæcumque sint, in se recipit. Ergo, sublata substantia, Deus in esse quantitatem servare potest.

Ad rem egregie **S. Thomas**: « Cum effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, sublata substantia per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam [3]. » — Et expressius alibi: « Causa prima est vehementioris impressionis supra causatum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda. Unde quando causa secunda removet influentiam suam a causato, adhuc potest remanere influentia causæ primæ in causatum illud. Et ideo absque omni dubitatione dicendum est, quod Deus potest facere accidens sine subjecto [4]. »

120. DIFFICULTAS Cartesii et recentiorum.

Cartesiani, ut olim adversarii S. Thomæ, sic argumentari solent:

1. Cf. **Denz.-Banw.**, *Errores Joan. Wicleff*, n. 581 et 582. — 2. **S. Thomas**, *In IV Sent.*, dist. XII, q. 1, a. 2, sol. 1, ad 1. — 3. *In I Sent.*, dist. XVII, q. 2, a. 1, ad 2; — **Sum. theol.**, I, q. 77, a. 6, ad 2. — 4. **Sum. theol.**, III, q. 77, a. 1.

Deus absurda facere non potest : atqui absurdum est accidentia esse sine subjecto ; ergo Deus non potest illud facere [1].

Resp. *Conc. maj.* — *Dist. min.* : absurdum est accidentia esse sine subjecto. in sensu Cartesianorum, *conc.* ; in sensu Thomistarum, *subdist.* : secundum ordinem naturæ, *conc.* ; ex virtute Dei infinita, *nego*. Unde *nego cons.* — Revera Cartesiani dupliciter peccant, nam primo accidens absolutum ab accidente modali non secernunt ; deinde utrumque a substantia distingui negant. Sed nullus est inter scholasticos qui doceat, v. g., rotunditatem esse accidens absolutum vel modum rei a re ipsa separari (n. 115) [2].

Inst. 1ᵃ. — Accidens sine subjecto amplius dici non posset accidens, quum non inhæreret substantiæ. Ergo vel substantia vel nihilum esset.

Resp. *Nego ant.*, quia accidens separatum, adhuc substantiæ inhæreret, non actu, sed aptitudine, nam semper est res cui « competit habere esse in subjecto [3] ». Ergo servaret rationem accidentis.

Inst. 2ᵃ. — Deus non potest cogitationem ab anima cogitante separare ; ergo nec quantitatem a re quanta.

Resp. *negando* paritatem. Nam cogitatio est actus vitalis et immanens cujus tota ratio essendi est ab anima procedere, eamque perficere : unde sublata anima, jam non est ratio cur et unde sit et permaneat cogitatio (Psych., n. 156). E contra, quantitas non est actus vitalis et immanens, nec tantum perficit rem quantam, sed in corpora circumstantia, sc. in aerem, in lucem, in sensus agit. Ergo, sublata substantia, remanere potest ratio sufficiens cur præternaturaliter permaneat extensio, si Deo placuerit.

Inst. 3ᵃ. — Materia sine forma esse nequit : ergo nec accidens sine subjecto.

Resp. *Nego cons.*, quia « accidens, cum sit forma, est actus quidam ; materia autem, secundum id quod est, est ens in potentia [4] ».

Cor. — Hinc et paucis verbis : omne quod est est substantia, accidens seu phænomenon est solum id quo aliquid est tale et ita apparet : omne ens est unum et idem sub suis phænomenis.

ARTICULUS II

De Accidentibus in specie.

Ex dictis (n. 113), novem numerantur accidentia, sed actio et passio, ubi et quando simultaneam, situs et habitus brevem requirunt explicationem ; unde sex tantum erunt paragraphi.

§ I. — *De Quantitate* [5].

121. Quid sit QUANTUM quoad nomen et rem, et quotuplex ?

A. — **Quoad nomen**, quantum est id quo respondetur du-

1. **S. Thomas**, *In IV Sent.*, dist. XII, q. 1, a. 1, sol. 1. — 2. **S. Thomas**, *Ibid.*, a. 1, obj. 1. — 3. **Sum. theol.**, III, q. 77, a. 1, ad 1. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 66, a. 1, ad 3 ; *Quodl.* III, q. 1, a. 1, ad 1. — 5. **Farges**, *L'idée de continu*, p. 71 et suiv. ; — **Piat**, *Le concept de quantité*, in *Revue de phil.*, août 1902 ; — **Thesis thomistica Xᵃ**.

plici huic quæstioni : quanta sit res ? (quantitas continua), quot sint res ? (quantitas discreta) seu id quo res parvæ aut magnæ, paucæ aut multæ dicuntur.

B. — **Quoad rem**, quantum illud est *quod in partes ejusdem rationis dividi potest.*

1° Id quod *dividi* potest : nam divisibilitas est proprietas manifesta rei quantæ aut multiplicis, eamque satis designat.

2° Id quod dividi *potest*, saltem idealiter, etiamsi re non dividatur et dividi non possit, quin destruatur : unde atomus insecabilis adhuc est res quanta. Hoc in sensu lato, motus, tempus et oratio quantitate fruuntur.

3° Id quod dividitur in *partes*, nam ante divisionem partes in toto existunt vel actualiter, vel potentialiter tantum. Si prius, habetur quantitas *discreta* ; si posterius, est proprie quantitas *continua*.

4° Id quod divisibile est in partes *ejusdem rationis*, quæ sc. post divisionem retinent totam essentiam rei divisæ, et ideo remanent quantæ semperque divisibiles. Talis est divisio aquæ in duas guttulas, non vero in hydrogenium et oxygenium.

C. — Quantitas **duplex** est præcipua, *continua* sc. et *discreta*.

122. I° Quantitas CONTINUA — est *accidens extensivum substantiæ corporeæ in partes continuas et permanentes* seu coexistentes ; v. g., longitudo duorum vel trium cubitorum (Cosmol., n. 7). — Duplici in statu concipitur, i. e., in corpore physico vel ab eo separata et ideo duplex, *concreta* et *abstracta*.

Jamvero *corpus mathematicum* dicitur quantitas a proprietatibus physicis abstracta, quæ triplici elemento constat ; sc. superficie, linea et puncto. At punctum non habet rationem quantitatis, est enim indivisibile ; nec est entitas realis et physica, sed modus realis et terminus quantitatis [1] (Cosm., n. 50).

123. II° Quantitas virtutis, successiva, discreta — quantitati proprie dictæ, quæ est *corporea, permanens, continua*, opponitur.

1° Quantitas *virtutis* prædicatur de gradu intensitatis qualitatum sensibilium, v. g., virium physicarum, quæ sunt inter se æquales aut inæquales, ac proinde etiam sunt quantæ et, saltem idealiter, divisibiles. Hinc, quidquid dixerit D. Bergson, qualitates habere possunt quantitatem intensivam [2].

2° Quantitas *successiva* triplex est : tempus, motus et oratio ;

1. **Farges**, *L'idée de continu*, p. 147-160 ; — cf. *Analyse de l'être mathématique* in *Rev. des sc. phil. et théol.*, 1933, p. 385. — 2. Cf. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 44.

nam in tempore horæ, in motu distantiæ, in oratione vocabula ita alia aliis sibi succedunt, ut nunquam habeas simul duas hujusce quantitatis partes.

3° Quantitas *discreta* seu numerus recte definitur : *multitudo mensurata per unum*. Dicitur — 1. *Multitudo* : multitudo autem constituitur « ex unis quorum unum non est alterum [1] ». Unde numerus importat quidem unitates, inter se vero distinctas. « L'idée de nombre naît de la comparaison, lorsque nous voyons un objet qui n'est pas l'autre [2] ». — 2. Est multitudo *mensurata per unum* : sicque per repetitionem unitatis numerus addit super multitudinem rationem rei mensuratæ [3].

124. Utrum quantitas DISCRETA sit vere quantitas ?

Negant *nominalistæ*, quia numerus non est ens unum per se, sed entium collectio.

Affirmant Thomistæ sic [4] : ibi datur **vera quantitas,** ubi adsunt extensio, divisio, additio et mensura ; sed hæc quatuor competere numero, imo melius quam quantitati continuæ ob unitatem mensurationis magis fixam, manifestum est ; ergo. — Cæterum numerus non habet unitatem physicam, sed aliam, v. g., specificam aut genericam, et sufficientem ut sit ens in prædicamento quantitatis ponendum.

Nisi tamen unitates secundum aliquid simile conveniant in aliquid unum, non habetur numerus. « De là ce dicton : cheval et cavalier ne font point deux, mais deux fois un... ; pour devenir nombre ils doivent se présenter sous une idée commune [5] » ; v. g., duo entia, duo animalia (n. 44).

Quapropter *unitas non est numerus* : ita contra D. Bergson dicentem : « Les unités sont de véritables nombres [6]. » Nam in unitate fractiones non sunt actu, sed potentia tantum et ideo numerari non possunt.

Nota de limite quantorum, in utraque quantitate ponendo (n. 89).

§ II. — *De Qualitate* [7].

125. Quid sit, quid non sit et utrum sit QUALITAS ?

A. *Latiori sensu,* usurpatur qualitas pro qualibet accidentium specie : hæc enim sunt ex quibus res dicuntur *quales.*

1. **Sum. theol.**, I, q. 11, a. 1 et 2. — 2. *In I Sent.*, dist. XXIV, q. 1, a. 12, ad 2. — 3. **Balmès**, *Philos. fond.*, L. VI, c. 5 ; — **Mercier**, *Ontol.* : *l'unité prédicamentelle*, n. 83-92. — 4. **S. Thomas**, *In III Phys.*, lect. 7. — 5. **Balmès**, *Ibid.* ; — **Le Masson**, *Philosophie des nombres*, 1932. — 6. *Essai sur les données immédiates de la conscience*, 1889, p. 63 ; — cf. **Farges**, *Op. cit.*, p. 45-48. — 7. **Aristoteles**, *Categ.*, c. 6 ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 161-170.

Stricte est *accidens complens ac perficiens substantiam tam in existendo quam in operando* ; ut sunt scientia, virtus, sanitas [1].

1° Est accidens *completivum*, non in eodem sensu ac suppositum aut persona, quæ complent substantiam non ut accidens, sed ut modus vel actus essendi ipsius substantiæ.

2° *Perficiens*, sive sensu proprio hujus vocabuli, ut scientia perficit animam : sive in sensu opposito, ut vitium, morbus.

3° *Substantiam*, en qualitatis subjectum quod est substantia aut ejus potentia vivens, non determinata ad unum ; sic animæ substantia, mediante intellectu, est subjectum scientiæ.

4° *Tam in existendo, quam in operando*, et hæc verba designant duos modos, quibus substantia perficitur a qualitate : in existendo, ut est egregia corporis forma ; in operando, ut est acumen ingenii : inde qualitas est *entitativa* vel *operativa*.

B. — Qualitas igitur est **accidens a quantitate realiter distinctum** eaque nobilius : quantitas enim efficit rem esse quantam aut cæteris æqualem vel inæqualem et convenit tantum rebus sensibilibus, non autem spiritualibus, nisi metaphorice ; qualitas autem efficit rem esse qualem aut cæteris similem vel dissimilem, et spiritibus etiam convenit. Sicque intelligitur — *a*) quomodo duæ substantiæ ejusdem quantitatis qualitates apprime distinctas habere possint, — *b*) cur augmentum quantitativum fiat per additiones successivas, augmentum vero qualitativum per majorem intensitatem : sunt enim qualitates quæ suscipiunt minus aut magis seu gradus, qui vero non mutant speciem.

C. — Non **existere** qualitates in anima spirituali quæ simplex est neque in corporibus mera quantitate extensiva præditis docuerunt mechanistæ cum Cartesio. At post longiorem fortunam mechanismus profligatus est a D. Bergson, qui suum locum suasque partes restituit qualitati. Hic tamen, in excessum oppositum recedens, non stabiles et permanentes, sed mobiles et fluentes tantum admisit qualitates, quæ perpetuo mutantur : « La durée n'est qu'une succession de changements *qualitatifs...* ce serait l'hétérogénéité pure [2]. »

126. Quot et quid sint SPECIES qualitatum [3] ?

A. — **Quadruplici** modo qualitas substantiam modificare potest : vel in ordine ad ipsam naturam subjecti, vel in ordine ad agendum, vel in ordine ad patiendum, vel secundum quantitatem. Si primum, habetur *dispositio* vel *habitus* (1ª species) ; si secundum, datur *potentia* vel *impotentia* (2ª species) ; si ter-

1. **S. Alb. Magnus**, *I Super prædicam.* — 2. *Essai sur les données immédiates de la conscience*, p. 78. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 49, a. 1, a. 3 ; — **Suarez**, *Disp. Metaph.*, XLII, sect. 5.

tium, adest *passio* vel *patibilis qualitas* (3ª species); si quartum, exsurgit *forma* vel *figura* (4ª species).

B. — **Prima** qualitatis species *ea est quæ disponit substantiam ad bene aut male se habendum in ordine ad finem suum.* Dicitur *habitus* seu *dispositio*, prout est firma vel non, obtentu difficilis vel facilis; ex. g., virtus et scientia aut vitium et ignorantia sunt habitus; opinio, valetudo et pulchritudo sunt dispositiones [1]. — Ratio utriusque est finitudo substantiæ creatæ, quæ est in potentia ad multa, imo ad contraria, sicuti ad veritatem vel ad errorem, ad bonum vel ad malum, etc., quæ ideo multifariam indiget inclinari et in talem vel talem sensum.

Secunda species qualitatis *ea est quæ simpliciter dat substantiæ nudam agendi potentiam*; tales sunt voluntas, intellectus, sensus, et aliæ entium vires aut facultates sive activæ, sive passivæ quæ quidem, pro gradu perfectionis tantum, v. g., visus acutus aut debilis, *potentiæ* vel *impotentiæ* dicuntur (Psych., n. 159, 162, etc.). — Realitas facultatum in substantia creata fundatur in necessitate quam habet acquirendi actus ab ipsa distinctos quin ab ipsis determinetur et mutetur. — Qui igitur non in seipsa recipiantur sed in potentiis seu facultatibus ab ipsa distinctis.

Tertia qualitatis species est *alteratio in corpore sensibilis*, v. g., calor; si transiens, *passio*; si diuturna, *qualitas patibilis* vocatur.

Quarta tandem qualitatis species, rebus materialibus propria, est quædam *dispositio seu terminatio partium quantitatis.* Dici solet *figura* in rebus a natura dispositis, ut est figura hominis; sæpius autem vocatur *forma* in rebus industria humana confectis, ut sunt ædificia.

Hinc qualitates *corporum* propriæ sunt aliæ quidem *occultæ* sc. 1ª et 2ª species, aliæ vero *sensibiles*, puta 3ª et 4ª species.

§ III. — *De Relatione* [2].

127. Quid sit RELATIO et quotuplex in ea elementum ?

A. — **Quoad nomen**, *relativum* dicit aliquid, quod nec esse nec cogitari potest, quin alia res simul sit aut cogitetur : v. g., pater et filius. Relativo opponitur *absolutum*, seu aliquid quod esse et cogitari valet, quin alia res a nobis cogitetur, v. g., lapis, arbor.

B. — **Quoad rem**, relatio *generatim* est *habitudo seu respectus unius ad alterum.* Unde **tribus elementis** coalescit : *subjecto, termino* et *fundamento.* Subjectum est illud quod refertur ad aliud; id autem ad quod refertur subjectum, est terminus;

1. *Revue augustinienne*, déc. 1909, p. 711. — 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 171-180.

fundamentum vero est ratio cur unum refertur ad aliud et ideo est illud, ex quo resultat relatio. Subjectum et terminus vocantur *extrema* relationis, cujus tota ratio est *ad aliud* esse.

Extrema autem inter se differre debent; unde distinctio terminorum dicitur *conditio* relationis, sine qua relatio non solum non potest esse, sed etiam non potest intelligi, etiam in divinis; vi cujus e contrario Pater et Filius realiter inter se distinguuntur. — Sic etiam in creatis, albedinis « similitudo requirit duo alba realia, quorum unum est subjectum, alterum terminus; similitudo enim Socratis albi ad Platonem album, in albedine Socratis est ut in fundamento, in albedine vero Platonis est, ut in termino [1] ».

C. — Relatio **triplex est** : prædicamentalis vel transcendentalis vel essentialis. Hæc inter entis principia constitutiva viget; duæ priores inter entia jam integre constituta; sed secunda omni enti, prima quibusdam tantum convenit, de qua impræsentiarum agitur et est *accidens reale quo substantia habet ordinem ad aliud* : v. g., paternitas et filiatio.

1° Dicitur *accidens*, sc. aliquid præter substantiam, quo sublato, tollitur relatio, sed non ejus subjectum; et sic distinguitur a relationibus *transcendentalibus*, ut sunt veritas, bonitas; et a relationibus *essentialibus*, v. g., cujusque rei ad finem suum, v. g., materiæ ad formam, quibus sublatis, tolleretur simul et relatio et ejus subjectum.

2° Est accidens *reale*, et ita discrepat a relatione mere *logica* quæ, in præsenti tantum categoria [2], ratione ponitur vel inter conceptus, v. g., inter terminos in propositione, vel inter ipsas res absque reali fundamento, v. g., inter olivæ ramum et pacem.

3° Relatio designat illum essendi modum, quo substantia *ordinem habent ad aliud*; et proinde differt ab accidentibus quantitatis et qualitatis : non enim substantiam in se extendit aut perficit, nec ideo afficit quoad se, sed refert ad aliud a se distinctum, et in hoc *respectu* seu in *esse ad* formaliter consistit.

128. QUOTUPLEX sit relatio realis ?

Numerice tot sunt relationes, quot numero sunt fundamenta aut termini : quo sensu in uno patre tot sunt paternitates, quot filii. — **Specifice** autem distinguuntur relationes.

A. Ratione *fundamenti* aut *termini specifice* distincti : quo

1. **S. Thomas, Opusc. apoc.** *Summa totius Logicæ*, tract. V, c. II. — 2. **S. Thomas**, *Quodl.* IX, a. 4; — **Sum. theol.**, I, q. 28, a. 1.

sensu dantur[1] : — *a*) Relationes *dependentiæ*, quibus unum refertur ad aliud propter actionem vel passionem : sunt *originis* et *causalitatis*, quibus refertur principiatum ad principium, effectus ad causam, aut vice versa, sicuti est paternitas et filiatio, dominium et servitus. — *b*) Relationes *mensurationis*, quæ fundantur super mensuram et mensuratum in quantitate ; ita, æqualitas et inæqualitas, duplum et dimidium ; — *c*) Relationes *convenientiæ*, v. g., *similitudo*, quæ in qualitate fundantur (n. 49).

B. Non proprie ratione *subjecti*, cum idem subjectum relationes specifice diversas sæpius habeat : in quo tamen alio titulo inesse potest. — *a*) Relatio *mutua* vel non *mutua* : mutua est, quando fundamentum in utroque termino reale est, ita ut duplex revera sit relatio ; v. g., paternitas in generatione activa et filiatio in generatione passiva fundantur ; non est mutua, quando fundamentum in uno tantum termino reale est, et ideo unum ad aliud realiter refertur, non vice versa ; sic homo ad Deum realiter, non autem Deus ad hominem ordinatur. — *b*) Relatio *secundum esse* et *secundum dici*, prout nomina relativa sunt imposita ad significandas ipsas relationes, v. g., pater et filius, vel non, ut sensibile et sensus, quæ principaliter significant qualitates, secundario relationes.

Quæcumque sint, relativa sunt simul natura et cognitione.

129. Utrum DENTUR relationes reales in rebus creatis[2] ?

Negant Stoïci veteres, Averroes et Avicenna apud Arabes, nominalistæ et sceptici post Occamum, Locke et Hume, sed præsertim Kant, juxta quem relatio est categoria mere subjectiva. — Adversus eos sit

THESIS

Dantur et dari debent in rebus creatis relationes reales.

I. **Dantur.** — Ad relationes reales tria requiruntur et sufficiunt ; nempe duo extrema seu subjectum reale et terminus realis, fundamentum reale, et una conditio seu distinctio realis inter subjectum et terminum ; sed in rebus creatis tria hæc inveniuntur ; ergo in eis dantur relationes reales.

Probatur minor inductione in pluribus, ergo in omnibus relationibus. Sic, in relatione *paternitatis*, qua, v. g., Petrus est pater Joannis, 1° — evidens est *subjectum* hujus relationis, sc. Petrum esse aliquid reale ; itemque dicendum de *termino*

1. **S. Thomas, Opusc. apoc.** *Summa totius Logicæ*, tract. V, c. IV. — 2. Cf. **Balthazar,** *La réalité de la relation finie*, in *Rev. néo-scol.*, 1929, p. 397.

relationis, sc. de Joanne. 2° — *Fundamentum* autem seu generatio est factum utique reale, quo producta fuit tum in producente tum in producto realis mutatio, vi cujus præcise unus refertur ad alterum. 3° — Tandem *realis distinctio* adest inter subjectum et terminum ejusdem relationis, nam generator a genito differt, tanquam causa a suo effectu.

II. **Dari debent.** — Nam in universo viget inter entia ordo utique realis ; sed ordo per se stat præcise in complexu relationum inter entia ; ergo hujusmodi relationes et ipsæ reales sunt. — *Confirmatur* consequentiis, nam, sublata realitate relationum, exsularet ordo mundanus, sive metaphysicus, sive physicus, sive civilis, sive moralis, proindeque evanescerent prima principia rationis, leges naturæ, jura hominum et officia mutua, quæ non in apparentibus, sed in veris relationibus dependentiæ, mensurationis et convenientiæ fundantur.

Brevius : viget in ipsis rebus ordo realis, a mente minime dependens : « hic autem ordo relatio quædam est[1] ».

Dices : omnis relatio habetur per comparationem mentis inter subjectum et terminum. Ergo omnis relatio est solius rationis : « Un rapport n'est rien en dehors de l'esprit qui rapporte[2]. »

Resp. *Dist. ant.* : omnis relatio mente habetur, i. e., *cognoscitur*, *conc.* ; — *existit* per hanc comparationem, *nego*. Revera similitudo, v. g., Socratis albi ad Platonem album, non tantum existit in mente, sed in re, nam habet pro fundamento albedinem realem.

130. Hinc relatio est MINIMA entitas. — Ita contra plures[3], qui vel terminum requirunt tanquam partem relationis intrinsece constitutivam (Palmieri) vel ipsam a suo fundamento non distinguunt (Suarez). — Sed contra, etsi minima entitas, a suo termino et fundamento actu distinguitur ante intellectus operationem.

1. Non enim relatio habet *esse a se* ut Deus, nec *esse in se* ut substantia, nec esse tantum intrinsecus *in alio* ut accidens, sed **esse ad** aliquid extrinsecum. Unde ab Aristotele dicitur « ad aliquid » seu id cujus totum esse specificum est *esse ad* aliquid, i. e., non in ordine ad subjectum sicut cætera accidentia, sed in ordine *ad* terminum[4], sicque relatio « **alteritas** » quædam est.

2. Proinde realiter differt a suo fundamento, quod sc. est res absoluta seu **esse in,** non vero *esse ad* aliud : hoc enim proprium est relationi.

1. **S. Thomas,** *De potentia*, q. 7, a. 9. — 2. **Bergson,** *L'évolution créatrice*, p. 385. — 3. **De Raeymaeker,** *Op. cit.*, II, p. 387. — 4. **S. Thomas,** *In I Sent.*, Dist. XXIV, a. 2, ad 3 ; — **Contra gent.**, IV, c. 14 ; — **Billot,** *De Deo Trino*, p. 382.

3. Cæterum relatio realis habet ut sit realis (sc. per *esse in*) **non ex eadem nota** ex qua habet ut sit relatio (sc. per *esse ad*). Unde S. Thomas : « Relationi, ex hoc quod *ad alterum* dicitur, non debetur quod sit res quædam, est tamen res aliqua secundum quod habet fundamentum *in eo* quod refertur [1] » ; et Thomistæ : « Quamvis *ad aliquid* non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhærens, sæpe tamen causam *in rebus* habet et ideo realem entitatem distinctam a subjecto [2]. »

§ IV. — *De Actione et Passione.*

Ex dictis de potentia et actu (n. 15-21) facile concipietur *quid sint actio et passio.* Unde

I. De Actione.

131. Quænam sint actionis ELEMENTA, DEFINITIO, SPECIES ?

A. — Si quædam actio subdatur analysi, v. g., calefactio aquæ, **septem** in ea, hoc ordine, inveniuntur **elementa,** nempe : 1. — *Agens* seu principium quod actum producit, v. g., ignis ardens ; 2. — *Potentia* activa seu virtus qua proxime agens operatur : v. g., vis calefaciendi ; 3. — *Actio* seu ipsummet exercitium virtutis calefacientis, nempe calefactio activa ; 4. — *Passio* seu ipsamet actionis receptio, id est calefactio passiva ; 5. — *Potentia* passiva seu capacitas effectum agentis recipiendi ; 6. — *Patiens* seu substantia quæ recipit calorem, videlicet aqua ; 7. — Denique *reactio* patientis seu *effectus* reactione productus, nempe, v. g., novus calor ex aqua excitatus, qui, cessante passione, adhuc perseverat in passo.

B. — Hæc sane enumeratio non est superflua, nec ad ea quæ dicenda sunt parum inserviet, et primo quidem ad **definitionem actionis,** quæ ideo in creaturis est :

a) *Ipsum exercitium potentiæ activæ.* Id est, sicut potentia quasi medium tenet inter substantiam et actionem, ita actio inter potentiam et effectum productum.

b) Fusius : actio est *accidens quo mediante substantia producit effectum* ; nam actio creaturarum, sicut et ipse effectus actionis, accidentalis est, in Deo autem substantialis.

c) Denique *actus secundus potentiæ activæ* ; nam potentia per existentiam constituitur in actu primo, ergo per novum esse actionis in actu secundo (n. 20).

1. S. Thomas, Opusc. apoc. *Summa totius Logicæ*, V, c. II, III, IV ; — S. Augustinus, *De Trinit.*, L. V, c. XVI ; — Cajetanus, in I^am p., q. XXXVIII, a. 2. — 2. Thesis thomistica VI^a.

132. C. — **Species actionum bene sunt innumeræ, — nam**

1° Ratione *durationis*, sunt actiones *instantaneæ*, quæ fiunt in instanti, ut creatio, generatio aut corruptio substantialis ; et actiones *successivæ*, quæ fieri nequeunt naturaliter in instanti : talis est aquæ calefactio.

2° Ratione *effectus producti*, actio vel terminatur ad rem, quæ nullo modo erat, et dicitur *creatio* ; vel ad rem præexistentem in potentia ut transeat ad actum, et generatim vocatur *effectio.* — Si prius, actio creatrix non est accidens prædicamentale, nec in creatura supponit passionem sed relationem inducit ad Creatorem (Theod., n. 110) [1]. — Si posterius, effectio, vel producit novam substantiam, ut ex ligno cinerem, et nuncupatur *generatio* ; vel tantum accidens, ut in pariete dealbationem, et dicitur *alteratio* (n. 137).

3° Ratione *subjecti effectus*, utilior est divisio actionis in *immanentem* et *transeuntem.* Actio immanens ea est quæ vel cujus effectus sistitur in ipso agente, ita ut principium et terminus actionis sint in eodem subjecto ; ex. g., contemplatio dicitur immanens, quia perficitur a contemplante et manet in eo. Actio transiens est ea cujus effectus extra causam fertur, ita ut aliud sit subjectum agens, aliusque terminus, talis est, v. g., aquæ calefactio cujus effectus ex igne transit in aquam.

4° Ratione tandem *termini*, prout est absens vel præsens, actio vel *in distans* vel *in præsens* esse concipitur. — Jamque duplex est præsentia, sc. immediata et mediata : prior adest, quum agentis substantia patienti conjúngitur immediato contactu sive quantitatis, sive virtutis ; — posterior autem, quum agens per medium quoddam interpositum suam virtutem in patiens diffundit. Sic ignis pelvi immediate, aquæ autem in pelvi calefaciendæ mediate tantum præsens est. — Quod si actio fieret in rem absentem et sine ullo medio interposito, diceretur actio *in distans.*

133. Utrum, præter immanentem, detur actio TRANSIENS [2] ?

Saltem *in Deo* admittendam esse actionem virtualiter transeuntem non ambigitur ; alioquin creatio esset actus immanens cujus terminus non differret ab agente, proindeque causam haberet pantheismus. Hic agitur præsertim de creaturarum actionibus, contra Leibniz, auctorem harmoniæ præstabilitæ, kantistas et hodiernos immanentiæ fautores. Sit igitur

1. Sum. theol., I, q. 45, a. 3. — 2. Farges, *Théorie fond.*, p. 236-264 ; — Aristoteles, *De anima*, L. II, c. I, III ; — Sum. theol., I, q. 14, a. 2 ; q. 27, a. 1, 3, 5 ; q. 38, a. 4 ; q. 56, a. 1 ; q. 85, a. 2.

THESIS

Datur et non repugnat actio transiens in passum [1].

I. **Dari** multas actiones reactionesque mutuas inter entia creata constat experientia, tum interna, tum externa.

A. — *Interna* conscientia constat : — *a*) non tantum corpus in animam et animam in corpus influere, v. g., in conatu attentionis, volitionis, locomotionis ; — *b*) sed etiam partem corporis in aliam partem, v. g., manum dextram in sinistram agere : tunc uterque terminus, actio sc. et passio, et ideo agens et patiens, simul a conscientia clare percipiuntur ; — *c*) sæpius tamen percipitur unus tantum e duobus terminis, sive passio nostra, i. e., receptio actionis externæ, v. g., quando lædimur aut verberamur, sive actio nostra in res externas transiens, ut patet ex earum reactione et resistentia : v. g., in conatu ad sublevandum corpus grave.

B. — *Externa* experientia etiam probatur : — *a*) *factis vulgaribus* : v. g., ignis aquam calefacit, aqua ignem extinguit ; artificis ope marmor accipit formam ; filius a patre generatur, etc. ; — *b*) *factis scientificis*, quæ leges et rationes harum actionum mutuarum clare ostendunt ; v. g., cur oculus recipiat lumen, et auris sonum, ex mirabili auris et oculi adaptatione comprobatur (n. 164).

Hæc porro facta, velis nolis, prius est admittere quam explicare, et immerito negant, qui inexplicabilia putant.

II. **Non repugnare** actionem transeuntem per genuinam ejusdem actionis necnon accidentis relativi notionem facile explicatur et vindicatur.

A. — *Explicatur*. Nam præter accidentia absoluta et incommunicabilia, ut quantitas, datur accidens *relativum* (n. 113 et 136) quod equidem non transit ex uno ad aliud, sed uni simul et alteri commune est, utpote ex utriusque concursu resultans. Ita est actio quæ eadem datur et recipitur, fitque communis eodem momento duplici causæ, sc. activæ et passivæ (Cosmol., n. 62).

B. — *Vindicatur* contra oppugnantes. Nam actio transiens, ipso fatente Leibniz, tantum repugnaret, in quantum includeret vel actionem in distans, vel migrationem alicujus qualitatis ab agente in patiens. Porro neutrum dici potest : — Non 1um, nam, juxta nos, oportet agentem et patientem ita conjungi per contactum, ut formaliter unum fieri possint. — Non 2um, nam sedulo notabis neque migrare actionem, cum e contra agenti et patienti actio sit communis, passioni vero non sit anterior prioritate saltem temporis ; neque effectum in patiente productum esse aliquid ab

1. **Contra gent.**, III, c. 69 ; — **Sum. theol.**, I, q. 54, a. 1, ad 3.

agente decerptum, sed aliquid novum ex potentia passi sub influxu actionis eductum. « Non enim, ait S. Thomas, hoc modo dicitur corpus calidum calefacere quod idem numero calor qui est in calefaciente corpore transeat ad corpus calefactum, sed quia, virtute caloris qui est in calefaciente corpore, alius calor numero fit actu in corpore calefacto, qui prius erat in potentia [1]. » Ergo actio transiens non implicat migrationem. — Nec ideo repugnat.

III. **Tota thesis** confirmatur ex pessimis consectariis sententiæ oppositæ. Nam, negata actione transeunte : — *a*) causalitas seu actio mutua rerum mundanarum fit illusoria, nec explicatur nisi per « deum ex machina » ; — *b*) quælibet scientia objectiva seu ex rebus naturæ hausta, impossibilis evadit, sicut et ipsa perceptio externa, deficiente actione objectorum in sensus nostros ; — *c*) imo ipsamet Revelatio externa fit impossibilis et negatur, cui fides cæca aut interna revelatio subrogantur. — En triplex error, quo nititur subjectivismus coævorum et qui ex negatione actionis transitivæ procedit.

134. Utrum detur et dari possit transiens actio IN DISTANS [2] ? Juxta dynamistas, monades quibus corpora constant, simplices sunt et vacuo quodam aliæ ab illis distant, sed, juxta plures, unaquæque in aliam agit *sine ullo intermedio* per mutuas attractiones et repulsiones. Surgit ergo quæstio : utrum agens aliquod agat et possit agere in aliud ens, a quo per vacuum absolutum separatur. Nos quidem et præcise in hoc sensu *physice* et *metaphysice* impossibilem dicimus actionem in distans ; unde sit

THESIS

Non datur, nec dari potest actio in distans.

A. — **Non datur.** — Nam, ut docet Physica, actio mutua corporum variatur cum distantia ; v. g., quo major est inter duo puncta distantia, eo minor utriusque attractio aut repulsio, et vice versa : cur ? Profecto, quia utraque per intermedia ratione distantiæ majoris minuitur. Sed huic legi repugnat actio in distans : cujus enim energia, quum nullum esset interjacens corporeum medium per quod dispergeretur, eadem intensitate in quacumque distantia ab agente egredi et in passo recipi deberet. Ergo Physicæ legibus de facto repugnans non datur actio in distans [3].

Confirmatur, quia, excepta sola attractione universali, leges a tempore et omnes sine exceptione a distantia dependent in effectibus suis eorumque intensitate.

1. **S. Thomas**, *Contra Gent.*, III, c. 69 ; — **Farges**, *Théorie fond.*, p. 245-264. — 2. **Farges**, *Matière et forme*, p. 103-109 ; — **D. Nys**, *Cosmol.*, I, p. 553-556. — 3. **Frank**, *Phil. natur.*, th. IX ; — **Nys**, *Cosmol.*, I, p. 250-260.

B. — **Nec dari potest.** — Adversarii, sc. Scotus, Toletus et alii, qui admittunt actionem in distans, inter duo eligant oportet [1] : ens creatum vel in loco in quo non est *agere* potest, vel potest esse *præsens* in loco qui distat a se. Sed utrumque rationi repugnat : 1um quidem, quia actio agentis in aliquo loco idem est reapse motus ac passio in eo recepta : siquidem actio-passio est materialiter una (n. 136) ; 2um etiam, quia limitatur agens loco extrinseco in quo est præsens nec extra esse potest (n. 138) (Cosmol., n. 51, II. C.).

Ergo repugnat nec dari potest actio in distans.

Dicunt alii : actionem trans vacuum ad passum migrare ; alii : agens in passum influere sine ulla sui diffusione ; alii : corpora esse virtualiter in pluribus locis. — Hæc autem vel repugnant, vel nihil explicant, unde valet axioma : « nihil agit in distans », seu « omnis actio fit per contactum » immediatum vel saltem mediatum (cf. Theod., n. 66).

II. De Passione.

135. Quid sit PASSIO et quomodo ab actione DISTINCTA ?

A. — Ex dictis (n. 131), et quatenus actioni opponitur, **passio est** : *receptio actionis in potentia passiva,* — vel *exercitium potentiæ passivæ,* — vel *actus secundus potentiæ passivæ.* — Nam, etsi patiens relative ad agens habeatur ut terminus actionis, nihilominus in ipso patiente requirantur aptitudo, dispositio et cooperatio ad actionem recipiendam ; et ideo vocatur principium passionis, i. e., causa non activa, sed passiva actionis.

Quapropter *latissime* sumitur passio in Ontologia, nam, « dicitur pati communiter ex hoc solo, quod id quod est in potentia ad aliquid, recepit illud ad quod erat in potentia [2] ».

B. — Sic autem accepta *metaphysice*, passio **differt** a triplici hujus vocis pressiori acceptione, qualis infra (n. 136) et in Psych. (n. 58) sumitur. — Differt autem **ab actione**, etiam re : unde

THESIS

136. *Actio et passio duo sunt accidentia a substantia et ab aliis accidentibus realiter, inter se vero saltem modaliter, distincta.*

A. — **Differunt** *a substantia.* — Nam substantia sine his aut illis affectionibus sive activis, sive passivis, concipi et esse potest : hæc autem separatio signum est distinctionis realis (n. 51).

1. Cf. **Gredt**, *Op. cit.*, I, n. 310 ; — **Frank**, *Ibid.*, p. 100. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 79, a. 2, c.

B. — *Differunt ab aliis accidentibus.* — Nam alia accidentia relativa respectum dicunt vel ad totam substantiam, ut relatio, vel ad locum, ut ubi, etc., nullum autem, nisi actio et passio, ad potentiam agendi aut patiendi.

C. — *Differunt inter se.* — Nam aliud est effectio et aliud receptio, aliud, v. g., calefacere et aliud calefieri.

D. — Differunt ergo saltem *modaliter* : nam, ut dictum est in Cosmologia (n. 62), non sunt nisi duo termini unius et ejusdem motus vel duo modi unius et ejusdem actionis, prout consideratur in termino *a quo* aut in termino *ad quem*, tanquam producta et ab agente procedens aut recepta et patientis modificatio [1].

Hinc actio et passio **duo sunt** prædicamenta etiam **inter se distincta** (n. 115). Nam, quamvis, sit eadem actio quæ datur et quæ recipitur, aliud est dare, aliud est accipere.

137. En de actione et passione præcipua AXIOMATA.

1. « Non datur patiens sine agente », et vice versa ; nam repugnat passio sine actione. — 2. « Agens agit sibi simile ; unde non agit in simile, quatenus simile » ; illud enim non potest *fieri* seu *reddi* simile, quod jam simile est, nec acquirenda est assimilatio, quæ jam acquisita est. — 3. « Actio est in agente, actio est in passo » ; sed aliter et aliter, nam in agente, ut in termino a quo ; in passo, ut in termino ad quem, in quo nova excitatur qualitas.

Multa sunt alia axiomata, quæ videsis in opere citato [2].

§ V. — *De Ubi et quando* [3].

I. De Ubi.

138. Quid sit ubi seu LOCALISATIO : an multiplex [4] ?

A. — **Ubi seu localisatio** est *accidens quod substantiæ corporeæ adjacet, atque efficit ut ipsa quodam loco contineatur et circumscribatur,* v. g., esse in *hac* aut *illa parte* aeris. Unde

1° Corpus solum, ratione *extensionis* suæ, *circumscribi* potest ab aliis corporibus ; non vero substantiæ immateriales, quibus ideo præsentia localis nonnisi *metaphorice* tribuitur.

1. **Gredt**, *Op. cit.*, I, n. 253. — 2. **Farges**, *Théorie fond.*, 3e p., ch. 6. — 3. Cf. **Farges**, *L'idée de continu*, p. 197-240 ; — **D. Nys**, *Cosmologie* : IV, *La notion d'espace*, Bruxelles, 1922. — 4. Cf. **Farges**, *Op. cit.*, p. 160-163 ; — **Aristoteles**, *De naturali auscultatione*, L. IV, c. IV ; — **Goudin**, *Phys.*, p. I, q. 4, a. 1.

2° Corpus dicitur esse in loco *circumscriptive* : partes enim quibus corpus fit extensum, singulis partibus loci ita correspondent et circumscribuntur, ut totum locum impleant, quin locum alterius corporis occupent : unde in loco suo aliquatenus limitantur.

B. — *Quæ non sunt* **corporeæ**, substantiæ sc. spirituales et creatæ, nullibi sunt, sed in seipsis et in Deo ; si tamen in aliquod corpus suam virtutem exercent, tunc dicuntur esse in loco corporis ab ipsis moti, sed *definitive* tantum, quia earum virtus, cum sit finita ad certos limites delimitatur et revera *definitur.* — Solus Deus est ubique præsens et indefinite, sine ullo limite præsentialitatis et virtutis, ergo in omnibus locis existentibus (*ubiquitas*) sed et possibilibus (*immensitas*) proindeque *immensus* est.

Rursus duplex est modus essendi in loco definitive : unus convenit angelis, qui dicuntur esse in suo loco *definitive simpliciter*, nempe per virtutem operativam, quæ tota tamen est in singulis partibus loci. Alter vero competit animæ humanæ, quæ, quum sit forma corporis, adest etiam singulis partibus corporis *informative*.

139. Quid et utrum sit ubicatio sine LOCALISATIONE ?

A. — Locus, ex dictis in Cosmol. (n. 127), est superficies immobilis, quæ corpus primo circumscribit. At fingamus unicum corpus existere, estne alicubi ? Idem dic de aliis, quæ crearentur independenter a primo, vel etiam de toto mundo reali. Quid ergo sit in singulis et pro toto orbe **hæc ubicatio** ?

B. — Juxta Suarezium [1] et alios, ubicatio est modus rei superadditus, ab eaque distinctus. — Sed contra : nam hæc realitas a corpore distincta destrui posset a Deo, corpus tamen seu mundus remaneret in suo *ubi* : nam alicubi esse debet.

Hinc ubicatio est accidens relativum ad aliquid extrinsecum a quo limitatur quoad modum existendi : deficiente autem loco extrinseco, remanet locus internus, i. e., corpus aut mundus subsistit, ut aiunt, *in pelle sua*, i. e., in superficie sua, quatenus ista concipitur ut superficies prima continens et circumscribens corpus aut mundum [2]. Ergo ubicatio nec est merum ens rationis, nec ens reale a corporibus mundanis distinctum sed ipsorum *modus realis*, ab ipsis inseparabilis, sicut quantitatis continuæ ipse limes (Cosmol., n. 50).

1. *Disp. Met.*, 51ª, sect. 1, n. 14-15. — 2. **Frank**, *Cosmol.*, p. 55-57.

II. De Quando.

140. Quid sit quando seu quandocatio corporis : an realis ?

A. — **Quandocatio** est *accidens vi cujus corpus potius est hoc momento quam alio*, ideoque alii corpori simultaneum, prius aut posterius.

B. — Jamvero hæc quandocatio est accidens **reale**, nempe quo diversificantur eventus et corpora, — non tamen realitas absoluta sed quid modaliter tantum *distinctum* a substantia quandocata : hæc statim ac existit habet quandocationem. Ratio est quia quandocatio est accidens *relativum*, nempe motus præsens qui dicit ordinem ad prius et ad posterius.

141. En similitudines et discrimina inter ubi et quando — seu inter localisationem spatialem et durationem temporalem.

A. — **Similitudines** sunt quoniam ubi, sicut quando, est *accidens relativum, extrinsecum, modale* : unde

1° Ubi, sicut quando, pertinet ad *quantitatem continuam*, i. e., cujus partes ita intime uniuntur ut finis unius sit initium alterius : ideo ubi et quando habent partes secundum prius et posterius.

2° Ubi est aliquatenus mensuratum a loco sicut quando a tempore : item ubi potest *mensurari* realiter vel idealiter spatio reali vel ideali, quando autem tempore reali vel ideali.

3° Ante creationem quando et ubi sunt mere possibilia, post creationem *concreantur* cum rebus sensibilibus.

B. — **Discrimina** non desunt :

1° Ubi pertinet ad quantitatem permanentem, quando autem ad quantitatem successivam : ideo ubi concipitur præsertim in ordine ad *quantitatem*, dum tempus relate ad

2° Ubi igitur est reale, quando etiam quoad motum et mensurabilitatem sed non quoad divisionem et mensuram partium quæ *ab anima fit*.

3° Ubi habet secundum prius et posterius *relationes* partium juxtapositarum quæ non sunt essentiales in uno latere potiusquam in altero, dum quando habet secundum prius et posterius relationes partium successivarum in ordine bene determinato.

§ VI. — *De Situ et Habitu.*

142. Quid et quotuplex sit SITUS ?

A. — **Situs** est *accidens quod resultat ex ordinatione partium*

corporis in loco. Unde S. Thomas : « Positio seu situs est ordo seu ordinatio partium in loco [1] » ; v. g., cubare, stare.

Dicitur : 1° *ordinatio partium*, partium sc. integrantium ; — 2° *ordinatio corporis in loco* ; unde situs realiter differt ab accidente *ubi*, quod dicit circumscriptionem totius locati in uno loco, nam, v. g., eodem remanente loco, positio variare potest et vicissim : quod est signum distinctionis realis (n. 51).

B. — **Duplex** est situs : *absolutus* vel relativus. — Si corpus consideratur in seipso, sine respectu ad alia corpora, habetur *situs* absolutus, qui vel *naturalis* est, ut in homine tenere caput erectum, vel *arbitrarius*, ut genuflectere, vel *violentus*, ut pedibus suspendi. — Si corpus consideratur in ordine ad alia corpora, datur situs *relativus*, ratione cujus sistitur ad dextram vel ad sinistram, sursum vel deorsum, ante vel retro alia.

143. Quid sit HABITUS quoad nomen et quoad rem ?

A. — Habitus venit ab **habendo** seu **habere**. Quinque autem modi sunt « secundum quos una res dicitur haberi ab alia [2] » : — 1° *Per inhærentiam* [3], ut habere quantitatem, scientiam ; — 2° *Per relationem*, sicut pater dicitur habere filium ; — 3° *Per continentiam*, sic dolium habet vinum ; — 4° *Per possessionem*, ut homo habet pecuniam ; — 5° *Per adjacentiam*, ut habere tunicam.

B. — Hoc in ultimo sensu, **definitur** habitus *accidens speciale, quod consistit in adjacentia corporum et eorum quæ circa corpus sunt, per modum vestimenti, armatus aut cujusvis ornamenti* [4]. — Unde in adjacentia duorum formaliter consistit habitus, de quo duo notatu digna sunt :

1. *Habitus fundari potest immediate in substantia.* Constat enim quod vestiens et vestitum sunt in genere substantiæ, et respectum accidentalem habent, quin propter hoc alterutrum sit respectus vel accidens [5].

2. *Proprium est habitus existere etiam ratione unius partis integralis, cui adjacet vestimentum*, sicut dicitur homo calceatus pedibus, et galeatus capite, et sic de aliis [6].

* * *

144. Postprædicamenta. — Sunt diversi respectus, qui consequuntur prædicamenta, quando non in seipsis, sed ad invicem considerantur. *Quinque* sunt : oppositio (Log., n. 81), motus (Cosmol., n. 57) et modus habendi (supra, n. 43), prioritas et simultaneitas (infra, n. 182).

1. **S. Thomas, Opusc. apoc.** *Summa totius Logicæ*, tract. V. — 2. **Pesch**, *Inst. Logic.*, n. 1580. — 3. **S. Thomas, Op. apoc.** *cit.*, *Ibid.*, c. 20. — 4. **S. Thomas**, *Ibid.*, c. 21. — 5. *Ibid.*, c. 20. — 6. *Ibid.*, c. 21.

LIBER QUARTUS ONTOLOGIÆ

DE CAUSIS ENTIS [1]

145. Divisio. — Postquam dictum est de *categoriis* rerum, tractandum superest de *causis*, quibus existentiam accipiunt.

Jamvero quatuor causæ communiter recensentur, videlicet *efficiens*, *materialis* et *formalis*, denique *finalis*. Quibus etiam omnibus præmittuntur *notiones præviæ* circa causas in genere, et postponitur *conclusio* de nexu causarum et effectuum. Unde quinque sint capita in *Ætiologia* (αἰτία, *causa*) : I^um de causis *in genere* ; — II^um de causa *efficiente* ; — III^um de causa *materiali* et *formali* simul, utpote correlativis ; — IV^um de causa *finali* ; — V^um de *nexu* causarum et effectuum.

CAPUT PRIMUM

DE PRÆVIIS CIRCA CAUSAS NOTIONIBUS

Duo sunt illustranda : sc. 1° *natura* ; 2° *divisio* causarum.

ARTICULUS I

De Natura causalitatis.

Causa, lato sensu, vix secernitur a *principio* et a *ratione sufficienti* ; stricte cum eis tantum habet affinitatem [2].

146. Quid et quotuplex sit PRINCIPIUM ?

A. — **Quoad nomen**, principium a verbo *princeps*, *primus*, oritur, et *lato sensu* designat quidquid *prius* est *altero* ; — sive ordine, ita punctum est principium lineæ ; — sive nobilitate, ita rex tenet principatum ; — sive influxu, sic causa est principium effectus ; — sive successione, ita aurora est principium diei ; — sive prioritate tantum logica, sicuti antecedens vel præmissæ relative ad consequens seu argumenti conclusionem.

Quoad rem et stricto sensu, « *principium est id omne a quo aliquid procedit... quocumque modo* [3] ». Quod ex principio oritur, vocatur *principiatum* (dérivé). Inter utrumque autem triplex nota intercedit ; videlicet : — 1° aliqua *distinctio* realis,

1. Cf. **Farges**, *Théorie fond.*, 2e et 3e part. ; — **Jo. a S. Thoma**, *Philos. natur.*, p. I, q. x-xiii ; — **Piat**, *Les causes d'après Aristote*, in *Revue de phil.*, fév. 1903 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 263. — 2. **Mercier**, *Ontol.*, n. 249-251. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 33, a. 1.

vel saltem rationis, nempe in rebus logicis ; — 2° aliqua *prioritas*, saltem originis ; ita in SS. Trinitate, Pater est Filii principium, Eoque prior secundum originem ; — 3° aliqua demum *consecutio* unius ab altero ; nam simplex successio ad notionem principii non sufficit, v. g., nox est *antecedens*, non principium diei.

B. — Principium **multiplex est** : imprimis *logicum* vel *reale* seu *ontologicum*, prout ab eo procedit aliqua cognitio aut demonstratio vel aliqua realitas, i. e., aliqua essentia aut existentia.

Principia quidem *logica* duo sunt : 1° principia *cognitionis*, ut evidentia a qua procedit intuitio ; 2° principia *demonstionis* ut axiomata, definitiones, divisio, argumentatio, a quibus procedit conclusio scientiæ.

Principium autem *reale* est vel mere *negativum*, v. g., privatio formæ substantialis est principium formæ novæ ; vel *positivum*, sive non influit esse, sicuti punctum est principium lineæ, sive influit esse in aliud et, si cum dependentia quoad esse, dantur *principia essendi* seu *constitutionis* ut materia et forma, vel principia « *fiendi* » seu *productionis* ut causa efficiens et finalis : si sine dependentia quoad esse, habentur tres personæ SS. Trinitatis.

Consonat Aristoteles, juxta quem principium est id *unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur* (*aut demonstratur*).

147. Quid sit et quotuplex sit RATIO entis ?

A. — **Quoad nomen**, ratio (reor) successive significasse videtur : — primo *cogitationem*, sic ideas Dei vocamus rationes rerum ; — deinde *vim cogitandi*, nam et intellectus est ratio ; — demum *objectum cogitatum*, nam essentiæ sunt rationes rerum.

Quoad rem, ratio est explicatio rerum per suas causas ontologicas, nempe « idea secundum quod principium cognoscitivum est, proprie dicitur ratio [1] » : ideam aut principium dico, non subjectivum sed objectivum seu constitutivum rei. — *Brevius*, est *id omne rei, quo cognito, res fit nobis intelligibilis.*

B. — Quot *elementa gradusve* cognitionis, **tot sunt rationes.**

1. Quum autem in quolibet ente duo reperiantur, sc. *essentia* et *existentia*, ens fit intelligibile per suum modum essendi (*quid sit ens ?*) et per suum modum existendi (*unde sit ? ad quid sit ?*) Quando huic triplici quæstioni satisfit, ens plene intelligitur : e contra, quamdiu latet aliquis modus essentiæ,

1. **Sum. theol.**, I, q. 15, a. 3.

aut modus existentiæ (sc. a se aut ab alio, necessarius aut contingens), ens remanet ignotum.

Hinc cognitio rei per suam rationem idem sonat ac cognitio rei per sua principia tum in essendo, tum in existendo. Sine his notis constitutivis, ens jam non esset ens, nec proinde intelligibile.

2. Insuper quædam ratio dicitur *sufficiens* aut *non sufficiens*, prout complete aut incomplete exprimit modum essendi et modum existendi alicujus entis. Modo enim aliqua ratio sufficit, modo non, ad plenam intelligentiam rei.

148. Quid igitur sit et non sit CAUSA ?

A. — **Causa est** id vi cujus ens est id quod est, seu *principium vi cujus aliquid producitur.*

1. Est *principium*, nam, licet non omne principium sit causa, omnis tamen causa quædam species principii est.

2. Est id *vi cujus* aliquid producitur. Id autem quo causa proprium exercet influxum in productione effectus, vocatur *causalitas* ; hæc pro diversis causis et ipsa diversa est.

3. Est id vi cujus *aliquid producitur*. Porro id quo sub influxu causæ transit de non esse ad esse, vocatur *effectus*.

B. — Jam causa tum a principio, tum a ratione **differt**.

Primo quidem *a principio* : nam — *a*) causa et effectus numero semper differunt ; latius autem dicitur principium, nempe rei a se logice tantum distinctæ. — *b*) Effectus vere pendet a sua causa, non semper principiatum, ut patet in divinis. — *c*) Causa est prior effectu, prioritate temporis aut saltem naturæ, nec tantum prioritate originis, ut dictum est de principio (n. 147) [1].

Secundo etiam *a ratione* ; nam ratio sufficiens latius patet, quippe non tantum dicitur de causa relative ad effectum, sed etiam de principio relative ad principiatum.

Tandem ab *utroque*, quia stricte sumitur in ordine tantum rerum existentium.

ARTICULUS II

De Divisione causarum.

149. Quænam sit causarum DIVISIO legitima ?

Juxta mechanistas, tria tantum explicant mutationes mundanas, sc. corpora quæ identica materia constant, motus localis et causa motus efficiens, nempe juxta Cartesium, Deus. Non ita Aristoteles [2], qui præter accidentales, substantiales mutationes bene distinxit ; quem secuti Scholastici, multo plures enumerant causas quas ad quatuor species communiter revocant, ad *efficientem* sc., *materialem*, *formalem* et *finalem*, et merito quidem ; unde sit

1. **Sum. theol.**, I, q. 33, a. 1. — 2. *Metaphys.*, L. V ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 27, a. 3 ; — **Piat**, *Aristote*, 1903, p. 87.

THESIS

Divisio causarum in quatuor species est omnino legitima.

Prob. — Nam *irreductibilis* est et *adæquata* : ergo logica.

A. — Est **irreductibilis.** Ens enim considerari tantum potest vel in sua origine, vel in suo fine, vel in sua constitutione : in omnibus enim rebus creatis datur principium, finis et medium. Porro si ens consideratur in sua origine, requiritur agens qui det ei existentiam (causa efficiens) ; si in suo fine, requiritur id cujus gratia agens agat, nam agens ad finem operatur (causa finalis) ; denique si in sua constitutione, requiritur specifica forma per quam aliquid est in actu [1] (causa formalis) : imo, in rebus physicis, materia in quam inducatur forma (causa materialis). Ergo quatuor sunt causæ ; ut, v. g., causa efficiens est chimista relative ad aquam et sal vel artifex relative ad statuam : materialis, marmor ex quo fit statua : formalis, ipsa statuæ forma ; finalis, lucrum ex opere capiendum.

Patet autem agentem et finem causas esse entis *extrinsecas*, quæ in *fieri*, formam et materiam *intrinsecas* quæ in *esse* rei influunt.

B. — Est **adæquata.** Nam ad prælaudatam divisionem facile reducuntur aliæ, quæ speciales a recentioribus numerantur, sc. causa *occasionalis*, *determinans* et *exemplaris*. Revera,

1. **Occasio** *est id omne ad cujus præsentiam operatur agens*, sicut v. g., occurente divite, latro meditatur furtum. Jamvero occasio per se quidem *non est causa*, imo nec *conditio* (n. 155), nam consistit in mera rei præsentia sine qua etiam effectus produci posset, v. g., meditatio furti. — Per accidens autem est *causa imperfecta*, aliqualiter inducens ad operationem. Sæpius enim occasioni inest vis quædam alliciens agentem ad operationem, sive quia excitat agentem, sive quia præbet materiam, sive quia proponit finem ; et ideo reducitur ad causam efficientem, materialem aut finalem : tunc autem influit per *opportunitatem* agendi.

2° **Motivum**, vi nominis, *est quidquid habet rationem moventis ad agendum*, estque *determinans*, si sufficit ad implendam intentionem causæ efficientis. — Jamvero motivum reducitur ad causam finalem, cui essentialiter competit ratio movendi causam efficientem (n. 165-6).

3° Est **exemplar** *id in mente præconceptum ad cujus similitudinem agens suum efformat opus*. Quapropter 1. — causa exemplaris a pluribus revocatur *ad causam formalem* : nam exemplaria vocantur formæ rerum extrinsecæ. 2. — Potest etiam *ad causam efficientem reduci* : siquidem idea exemplaris quasi intrat in constitutivo causæ efficientis, nempe per modum directionis et determinationis

1. *In II Phys.*, lect. 10, ad fin.

ad aliquid faciendum inter plura. 3. — Denique haud ægre reduceretur *ad causam finalem*, nam exemplar est scopus ab agente secundario præfixus [1], sed specialem, quia non est id cujus gratia, sed id *secundum quod* agit.

CAPUT SECUNDUM

DE CAUSA EFFICIENTE [2]

In tribus articulis dicemus : 1° de *notione* et *speciebus* ; 2° de *existentia* causæ efficientis ; 3° demum de *principio causalitatis*.

ARTICULUS I

De Notione et Speciebus causæ efficientis.

150. Quid sit causa EFFICIENS et quid proprie causalitas ?

A. — **Causa efficiens** vulgo dicitur quodcumque ens modificat aliud, philosophice *principium* extrinsecum *quod actione sua producit effectum a se distinctum*, v. g., Deus mundi, et pater filii causa est efficiens.

Dicitur : — 1° *principium* quod producit seu terminus a quo procedit effectus, et sic distinguitur a fine, qui est terminus ad quem vel propter quem producitur. — 2° Producit *actione sua* physica, et in hoc præcise consistit influxus seu causalitas causæ efficientis : ut est, v. g., creatio, generatio, calefactio ; sicque distinguitur a causa exemplari quæ tantum dirigit idealiter atque finali quæ allicit actionem causæ efficientis. — 3° Denique producit effectum *a se distinctum*, et ita secernitur a causa materiali et formali, quæ sunt causæ suo effectui intrinsecæ, et ab eo sicut partes a toto, non vero adæquate distinctæ.

B. — **Causalitas** igitur *propria* causæ efficientis est sua actio, ut dictum est (n. 131) : nam « influere causæ efficientis est agere [3]. » Agendo enim constituitur in actu secundo, id est in exercitio suæ virtutis causativæ et causat effectum : ideo actio est accidens relativum, via ad effectum in passo producendum.

Non ergo tantum, ut volunt positivistæ, *relatio* successionis intercedit inter causam et effectum, sed relatio veræ dependentiæ ; nam sine virtute actionis, quæ est vinculum causæ et effectus, nunquam effectus a causa produceretur.

1. **Mercier**, *Ontol.*, n. 247-248 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 73-4°. — 2. **Farges**, *Théorie fond.*, 2e part. ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 216-233 ; — **Fonsegrive**, *La causalité efficiente*, 1893. — 3. *De veritate*, q. 22, a. 2 ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 144.

151. Quotuplex sit causa efficiens? — Divisio sumitur ex parte *causæ*, ex parte *effectus*, ex *modo agendi* causæ in effectum.

1° Ratione **dependentiæ causalitatis**, causa est *prima*, quæ nec virtutem suam nec illius usum recipit ab alia, ut Deus, qui est movens non motus : sin aliter utrumque accipit, sub utroque respectu pendet a Causa prima, movet mota et *secunda* dici debet. Notat vero Angelicus causam primam esse *immediatiorem* et *efficaciorem* in effectum, quam ipsamet causa secunda.

Hæc autem, ut agat, sæpius ab alia causa secunda non pendet nisi *accidentaliter*, sicut filius a patre, postquam ab eo accepit esse et agendi potestatem. Sed, ratione proportionis ad effectum producendum, duplex est : *principalis* quæ producit effectum per virtutem sibi propriam et sufficienter proportionatam effectui producendo, v. g., pictor ; *instrumentalis* quæ sub motione causæ principalis producit effectum superiorem suæ propriæ virtuti et communem utrique causæ ; v. g. penicillus.

Revera instrumentum est *id omne quod sub motione causæ principalis et nobilioris minori sua virtute concurrit ad effectus* ultimam perfectionem sicque influit realiter in eum directe et proxime. Siquidem « instrumentum habet duas actiones : unam *instrumentalem*, alteram propriam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis [1] », ratione sc. virtutis transeunter sibi communicatæ a causa principali.

2° Ratione **effectus** — *a*) secundum *connexionem*, dicitur *causa per se*, quæ producit effectum quem intendit, sive natura et necessario, sicut ignis per se comburit lignum ; sive voluntate et libere, ita homo per se sciens et volens occidit Petrum. Vocatur causa *per accidens*, quoties effectum producit non intentum natura aut intentione agentis : sic tegula e tecto cadens occidit hominem, et venator, belluam occidere volens, occidit Petrum... per accidens. — Rursus causa per se est *perfectiva* vel *dispositiva* prout physice producit ultimam perfectionem seu formam, v. g., leo generans leonem, vel tantum dispositionem ad ipsam formam, v. g., parentes qui producunt corpus ideoque dispositionem ad receptionem animæ, non vero animam filii sui, quæ a Deo creatur.

b) Secundum *propinquitatem ad effectum*, causa, quum rem efficiendam attingit immediate, vocatur *proxima* ; *remota* vero, si mediate concurrit ad effectum : sic voluntas remota, intellectus proxima est causa studii.

c) Secundum *quantitatem influxus*, causa, si sufficit ad finem intentum, nuncupatur *totalis* ; aliter est *partialis* : ita duo equi trahentes currum.

d) Secundum *similitudinem cum effectu*, maximi est momenti divisio causæ efficientis in *univocam*, *æquivocam* et *analogam*. *Univoca* parit effectum ejusdem speciei, v. g., pater filium. *Æquivoca* excitat effectum a se omnino diversum, sicut sol vegetationem, et pressio digiti ictum catapultæ. *Analoga* gignit effectum in natura aliquatenus et remotissime similem : sic Deus omnes creaturas. — Univoca suum effectum continet *formaliter* ; æquivoca, *virtualiter* ; analoga vero, *eminenter*.

1. **Sum. theol.**, III, q. 62, a. 1, ad 2 ; — I-II, q. 17, a. 4, ad 1 ; — cf. *La causalité instrumentale*, in *Revue néo-scolastique*, février-mai 1909.

3° Ratione **modi in agendo**, causa est *necessaria* vel *libera*, prout natura sua determinatur ad unum, v. g., ignis ad comburendum, vel potest eligere inter plura. — Præterea *physica* vel *moralis* dicitur, prout propria virtute influit in effectum ipsum, v. g., discipulus in scripturam, vel precibus, consiliis, jussu in agens intellectuale ut producat effectum, v. g., magister in discipulum. Ita moderni, sed immerito, nam causa physica est proprie causa quæcumque efficiens, causa autem moralis est et ipsa causa finalis quæ movet causam efficientem per modum finis et objecti. Ideo *falso dividitur* causa efficiens in physicam et moralem.

ARTICULUS II

De Existentia causalitatis [1].

Occasionalistæ ejus possibilitatem, multi existentiam negant.

152. Quid et quotuplex sit occasionalismus, utrum verus?

A. — **Nomen** illud *occasionalismus* designat aliquid fieri occasione, id est, ad præsentiam alterius rei. Revera, occasionalismus est systema, quod vim causandi rebus creatis *quibusdam* aut etiam *omnibus denegat*, asseritque *Deum efficere operationes creaturarum, alias occasione aliarum.*

B. — **Triplex** est, nam, postquam Cartesius corpus et animam substantias esse absolute independentes asseruit, philosophi ad explicandum consensum inter animæ et corporis actus insudantes, in triplicem formam occasionalismi impegerunt :

1° Prior restringitur *ad hominem* : nempe, juxta de La Forge et præsertim Geulincx, nulla vis est corporis in animam nec animæ in corpus : unde consensus inter utrumque procedit « ab aliqua alia voluntate, quæ mente humana superior est [2] ».

2° *Rigidior* est Leibniz qui negavit *actionem transeuntem unius substantiæ in aliam*, ut admitteret solam actionem immanentem. Quare, juxta ipsum, influxus substantiarum meram habet apparentiam et per harmoniam præstabilitam explicatur.

3° Demum, juxta Malebranche, occasionalismus est *absolutus* seu *ad omnes creaturas omnesque actiones extenditur* : « Il n'y a nul rapport de causalité d'un corps à un esprit. Que dis-je ? il n'y en a aucun d'un esprit à un corps. Je dis plus : il n'y en a aucun d'un corps à un corps, ni d'un esprit à un esprit [3]. » Solus ergo Deus operatur in omnibus. — Sed contra et a priori sit

1. **Farges**, *Théorie fond.*, 2e part., ch. 1. — 2. **Gonzalez**, *Hist. de la philos.*, trad. par **R. P. Pascal**, t. III, p. 237 ; — **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 388-393, 406. — 3. **Gonzalez**, *Ibid.*, p. 250 ; — cf. **Malebranche**, *De la recherche de la vérité*, L. V, p. II, ch. 3 ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 230-232.

THESIS

153. *Causalitas in creaturis non repugnat, sed maxime convenit.*

I. — **Non repugnat.** In tantum enim repugnaret, in quantum esset potentia creatrix aut infinita. Sed vis agendi creaturarum : — 1° non est creatrix, nam aliquid producendo, id non ex nihilo ad existentiam, sed tantum e potentia in actum transire facit ; — 2° non est infinita, cum omni ex parte limitatur, nempe *subjecto* in quo recipitur, nam posse creaturarum finitum est ; — item *materia* in qua vel circa quam operatur, cujus enim aptitudo est limitata ; — amplius *in exercitio*, creatura enim sine concursu Dei operari nequit ; — denique *in suo esse*, quod a Deo tantum procedit et conservatur. Ergo neutro modo repugnat creata causalitas.

II. — **Maxime convenit.** — Nam, teste *sensu communi*, melius est meritis et proprio labore acquirere suam beatitudinem quam illam accipere gratis et fortuito et ideo pluris æstimatur ille qui prudentia et sacrificiis propriis obtinet principatum ac ille qui eumdem sortitur ab aliis et nativitate.

A priori autem repugnare videtur exemplatum quod sui exemplaris aliquid non referat ; — item ens quod finem vel non habeat, vel attingere non possit ; — denique natura quæ actionis et passionis non sit principium. Sed omnis creatura imago est Dei omnipotentis et Causæ primæ ; — item et finem habet attingendum, præsertim si libera sit et coronanda pro meritis ; — demum et natura quædam est. Ergo ipsam creaturam umbram esse causalitatis divinæ, itemque potentias ad finem, actiones et passiones habere, necnon esse causam, etiam principalem, etsi *secundam*, entis creati maxime convenit.

Dico *secundam*, quæ non agit unquam nisi sub influxu Causæ Primæ : en in occasionalismo *speciem veri* ; — sine qua autem evolutio quæcumque visa fuit Spinozæ esse solius substantiæ divinæ : en *periculum* occasionalismi, qui pantheismo præbet ansam. — *Hinc* potius causalitatis defectus in creaturis repugnare dicendus est. Ita S. Thomas : « Sic subtraheretur ordo causæ et causati a rebus creatis : quod pertinet ad impotentiam Creantis. Ex virtute enim (Primi) agentis est, quod suo effectui det virtutem agendi [1] » : quippe Deus, « non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, dignitatem causalitatis etiam creaturis communicat [2] ».

154. Utrum DE FACTO existant causæ efficientes in natura ?

Negant inter multos et præter occasionalistas, positivistæ ut Littré, Comte, Taine (n. 159) ; phænomenistæ ut Hume et Stuart Mill ; subjectivistæ, ut Kant (n. 158). Contra quos omnes sit

1. **Sum. theol.**, I, q. 105, p. 5. — 2. *Ibid.*, I, q. 22, a. 3.

THESIS

Dantur causæ efficientes in natura.

A. — Imprimis, **directe percipitur** causarum efficientium existentia. Nam — *a*) *in seipso*, seipsum agere, v. g., meditari, velle, tentationibus resistere et meditationem, volitionem, aliosque internos conatus efficere, unusquisque conscius est. — *b*) Similiter *extra seipsum* agit qui, v. g., pingere, scribere, secare valet ; et picturæ, scripturæ vel secationis seipsum esse causam nemo dubitat. — *c*) Insuper *a rebus externis in sensus nostros* provenire diversas impressiones, ut caloris, frigoris, harmoniæ, sceptici tantum dubitant. — *d*) Tandem res *externæ aliæ in alias agunt* : v. g., ignis comburit lignum, lupus agnum devorat, etc... Ergo ad occursum cujuslibet rei sensatæ statim poterit percipi non a sensu, sed ab intellectu existentia causarum efficientium, sicut et substantiarum (n. 98).

B. — Idem **infertur ex falsitate adversæ sententiæ** in scientiis [1]. Revera ex simili similis, ex diverso diversus sequitur effectus ; v. g., ex semine frumenti non sequitur generatio, nisi frumenti [2]. Sed iste nexus invariabilis inter naturam antecedentis et consequentis, sufficienter non explicatur nisi per influxum ejusdem vel diversæ causæ, in eumdem vel in diversum effectum.

Hæc quidem est positivistarum explicatio : « On dit qu'un homme sain a le pouvoir de marcher et qu'un paralytique ne l'a pas..., que tel cheval a la force de traîner un chariot de 5.000 kg., que telle chute a la force de mouvoir une roue... Il n'y a là que des liaisons d'un fait qui est l'antécédent et de l'autre qui est le conséquent [3]. » — Jamvero hoc esse omnino *insufficiens* nemo non videt.

155. — Corol. — circa CONDITIONES ad agendum requisitas.

Cavendum est ne causa efficiens, quæ sola producit effectum confundatur cum conditionibus in quibus producitur.

A. — **Conditio** stricte dicitur *id omne quod præter causantis influxum requiritur ad producendum effectum*, sicut, v. g., lux ad legendum. Unde differt a *causa* efficiente — et, si ab alia conditione facile suppleri potest, dicitur *conditio* simpliciter ; — si nullo modo suppleri valet, sicut cerebrum ad intellectionem, vocatur *conditio sine qua non* ; — si tamen consistit in simplici remotione alicujus impedimenti, v. g., fenestram aperire, ut domus illuminetur, *causa removens prohibens* nomine venit. — Præterea conditio *sine qua non* potest esse relative tantum necessaria : nam, v. g., cerebrum requiritur ad intellectionem, sed tantum in hac vita (Psych., n. 243).

1. **Meyerson**, *Op. cit.*, c. III. — 2. **Contra gent.**, III, c. 69. — 3. **Taine**, *De l'intelligence*, t. I, liv. IV, ch. III, n. 1.

B. — Jamvero conditiones, seu, ut aiunt, requisita ad agendum, **aliæ** sunt ex parte agentis, **aliæ** ex parte patientis.

1° Ex parte *agentis*, plura requiruntur [1] : — imprimis *subsistentia*, juxta axioma : « actiones sunt subsistentium » ; — deinde *vires*, a substantia, saltem in creaturis, distinctæ (supra n. 126 et Psych., n. 142) ; — item *concursus* aliarum causarum : sive Primæ, unde nec ignis comburit martyres, si Deus suum concursum subtrahere velit ; sive secundarum, quæ excitant, vel adjuvant...

2° Ex parte *patientis*, numerari solent [2] : — *materia*, siquidem « actio creaturæ super aliud fundatur [3] », nec ullam atomi particulam creat aut destruit ; — sed et inter agens et passum *distinctio*, realis quidem, sed non suppositi, nam idem, v. g., vivens, potest seipsum movere ; — imo inter utrumque aliqualis *dissimilitudo*, seu æquilibrium destructum : nam v. g., e duobus æque calidis neutrum calefacit, juxta illud : « agens non agit in simile » (n. 140).

3° Ex parte *utriusque*, contactus quantitatis aut virtutis, non enim datur actio in distans sive spatii, sive temporis (n. 134).

ARTICULUS III

De Principio causalitatis [4].

156. Quænam sint PRINCIPII CAUSALITATIS formulæ et valor ? En principium maximi momenti, e cujus valore ontologico pendet existentia, etiam scientiarum juxta peritos [5], sed et totius philosophiæ realis, præsertimque Theodiceæ.

Cujus vim in dubio revocarunt sceptici veteres, Al-Ghazali apud Arabes, Nominales Medii-Ævi, negaverunt Hume et Stuart Mill, subjectivam esse volunt Kant et philosophia nova. — At Neo-scholastici unanimiter propugnant ejus objectivitatem, nisi quod acriter disputent quidam, utrum ad principium contradictionis reduci possit [6]. Unde sit

THESIS

Principium causalitatis, quocumque modo exprimatur, est certissimum.

Prob. — Triplici formula exprimi potest hoc principium : primam et secundam proposuit Leibniz, tertia est communis.

1° **In sensu latissimo** : *nihil est sine ratione sufficienti* ; vel : *omne ens habet sui rationem sufficientem.*

Revera ens et verum seu intelligibile convertuntur (n. 56).

1. **Gerdil**, *Inst. phil.*, Romæ, 1867, I, p. 340 ; De causis. — 2. **Suarez**, *Disp. Metaph.*, XVIII, sec. 7, a. 1. — 3. **S. Thomas**, **Opusc. apoc.** *De natura materiæ et dimens. interm.* — 4. **Farges**, *Théorie fondam.*, 2e p., ch. 2 ; — *L'idée de Dieu*, p. 38-48. — 5. **Meyerson**, *Op. cit.*, c. I, II, III. — 6. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, II, c. 12.

Porro ens sine ratione sufficienti non esset intelligibile. Ergo non est sine ratione sufficienti. — Probatur *minor*, nam si ens esset sine ratione, quærenti : *quid sit ens* ? respondendum esset : ens est nihilim ; — *a quo sit ens* ? a nihilo ; — *ad quid sit* ? ad nihilum. Hæ autem responsiones apertam involvunt contradictionem, nam idem sonant ac : *ens non habet modum essendi aut modum existendi*, seu *ens non est ens* (n. 147).

Brevius : *ens* = *intelligibile* ; porro *intelligibile* = *ratio sufficiens* ; ergo *ens* = *ratio sufficiens*. Si e contra *ratio sufficiens* = *nihilum* ; ergo *ens* = *nihilum*, quod esset contradictorium.

II° **In sensu minus lato** et attendendo tantum ad *existentiam* entis, idem principium sic exprimitur : *quidquid existit habet rationem sufficientem suæ existentiæ, sive in se, sive in alio.*

Nam habet existentiam vel a se, vel ab alio, vel a nihilo, Porro tertia hypothesis est rejicienda ut contradictoria : nam habere nihilum pro ratione, idem est quam non habere rationem. Ergo restat ut ens sit a se vel ab alio, etiamsi ab æterno [1].

Consonat altera formula : *omne contingens est ab alio efficienter causatum* vel *ens contingens producitur ab ente necessario.* Contingens enim non est a se, ergo incepit ab alio, saltem ab æterno, et istud ab altero et ita porro, donec tandem aliquando, quia non datur regressus in infinitum, sit ab aliquo quod est a se seu necessarium.

III° **Stricto sensu**, principium illud restringitur ad existentiam eorum quæ *fiunt in tempore*, et sic se habet : *quidquid incipit, suam habet causam seu rationem in alio sufficientem.*

Cujus legitimas non directe probatur, sed monstratur [2] :

1° *Experientia* universali, — sive *interna* qua unusquisque conscius est nihil in seipso, nihil a seipso extra seipsum incipere absque proprio influxu ; — sive *externa*, quæ testatur actiones in rebus extrinsecis non incipere absque influxu unius in alteram (n. 154).

2° *Ratione* ex principio *contradictionis* sic : quidquid incipit vel incipit a nihilo, vel a se, vel ab alio. Porro 1um est contradictorium, ut jam diximus ; 2um iterum involvit contradictionem, sive agatur de aseitate negativa, sive de aseitate positiva. Nam ens a se *negative* idem sonat ac ens necessarium : porro quod incipit esse, non fuit semper ac proinde non est necessarium. Aliunde esse a se *positive* rursus implicat, nam

1. **Mercier**, *Ontol.*, n. 252 ; — **Simon**, *Le principe de raison suffisante*, in *Revue néo-scol.*, août 1902. — 2. **Sertillanges** (Commentaire de la Somme), *Dieu*, I.

seipsum produceret, sibique daret quam non habet, existentiam. Ergo restat 3um : *incipit ab alio* seu habet causam externam.

3° *Ratione* ex principio *identitatis* sic : re quidem vera res per se solam remanet identica cum semetipsa et ideo impossibile est quod incipiat a seipsa esse quod antea nihil erat, absque influxu alicujus causæ extrinsecæ. Imo causa illa debet esse *sufficiens*, nam causa non sufficiens, nec proportionata, reapse causa non est, nec minus repugnat aliquid fieri absque sufficienti causa, quam absque ulla causa (n. 147).

Unde patet principium causalitatis non esse nisi quamdam applicationem particularem principii rationis sufficientis : *causalitas* enim respicit tantum res quæ fiunt in tempore ; *ratio* ad res etiam æternas extenditur. Utrumque vero principium analyticum defluit ex veritate seu intelligibilitate entis, nec demonstrari potest verum nisi per reductionem ad principium contradictionis [1].

157. Quænam sit formula ARISTOTELICA principii causalitatis [2]?

Aristoteles principium causalitatis celeberrimo axiomate sic expressit : *Quidquid movetur, movetur ab alio* (*vel ab alia parte sui ipsius*). Quod constat iisdem argumentis, sc.

1° **Experientia universali.** Nam mineralia sunt inertia nec unquam se ipsa movent, imo nec motum receptum a seipsis modificare possunt. Aliunde viventia se ipsa quidem movere videntur, ita tamen ut una pars organica aliam moveat ; nec unquam eadem pars, sub eodem respectu, est movens simul et mota.

2° **Ratione ex principio contradictionis.** Nam, ex una parte, motus sine motore esset quid contradictorium ; ex altera parte, motor et mobile non possunt esse unum et idem sine alia contradictione, nam hoc unum et idem esset simul et sub eodem respectu movens et motum, in actu et in potentia. Ergo motor non est mobile et mobile ab alio movetur. — Valet ergo principium aristotelicum *pro quolibet motu* aut mutatione, etiam pro motu a non esse, quo res incipit esse, unde æquivalet axiomati : *quidquid mutatur, ab alio mutatur.*

3° **Ratione ex principio identitatis.** Re quidem vera, posita *identitate* cujuslibet rei cum semetipsa, impossibile est quod aliquid fiat aliud per se solum : v. g., nunquam zero adæquabit unum $(0 = 1)$, nec unum adæquabit zero $(1 = 0)$, per se solum et sine ope subtractionis aut additionis $(0 + 1 = 1)$ $(1 - 1 = 0)$. Ergo neque possibile fiet reale a semetipso et sine causa.

Unde patet quod principium causalitatis non est nisi principium identitatis cujusque rei cum semetipsa, non extra tempus, sed in successione temporum consideratæ.

1. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 279. — 2. **Farges**, *Théorie fondam.*, p. 181 et sq.

158. Quomodo ERRAVERIT KANT circa principium causalitatis [1]?

Duplex fuit illius error circa indolem hujusce principii.

I° Circa ejus **originem**. Juxta Kant, principium causalitatis non esset analyticum, sed *syntheticum a priori*, i. e. cæca necessitate menti humanæ impositum (Log., n. 53).

Quod est falsum, nam : — *a*) analytica evidentia nititur, nec negari potest sine contradictione, ut modo probavimus. — *b*) Etiamsi cæca necessitas innata mentis posset nos cogere ad illud judicium pronuntiandum, huic tamen judicio non posset præbere evidentiam objectivam. Porro ut evidens nobis apparet (Crit., n. 57, 1-2°).

Tanti erroris *causa* provenit ex falsa theoria judicii *synthetici* (Log., n. 52-53). Nam et ipsum judicium *analyticum* addit notionibus comparatis subjecti et attributi, notionem novam cujusdam *relationis* inter utrumque. Sic, v. g., in principio identitatis : $A = A$, additur notioni terminorum *æqualitas*. Hæc autem relatio ab intellectu invenitur, et non ab eo creatur, ut somniavit Kant, nam habet fundamentum in re (n. 127-129).

II° Circa ejus **formulam**. Juxta Kant, principium causalitatis sic exprimendum esset : Quidquid incipit, producitur *a causa producta*, quia causa improducta rationi puræ impervia est. — Sed contra : si « productio » invenitur in notione « effectus » seu ejus quod incipit, falsum est inveniri etiam in notione « causæ ». — *Quinimo*, ratio completa et ultima cujusdam effectus producti non invenitur, nisi in *causa non producta*. Causa enim producta est causa partialis tantum, dum causa non producta est causa totalis, cæteras omnes causas derivatas in seipsa continens.

159. Quid de errore POSITIVISMI circa idem principium [2] ?

Hume, Stuart Mill, A. Comte et positivistæ principium causalitatis sic exprimunt : « Quilibet effectus seu omne phænomenon **habet antecedens.** » Porro hæc formula triplici vitio laborat :

a) *Confundit* causalitatem cum mera successione. Equidem omnis causa antecedit effectum, sed omne antecedens non est causa ; v. g., nox antecedit diem, nec tamen est causa diei.

b) Negata efficientia causalitatis, jam evanescit *ratio* cur omnis effectus habeat antecedens. Si, v. g., filius a patre non vere causatur, jam necessitas patris antecedentis non est evidens : posset enim aliter explicari existentia filii.

c) Imo, natura effectus jam fit independens a natura antece-

1. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 458. — 2. **Farges**, *Théorie fond.*, 2e part., ch. I ; — **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 432.

dentis, ac proinde quodlibet antecedens cum quolibet effectu connecti posset ; v. g., ranam ab ovo gallinæ oriri, jam non esset impossibile. Unde rueret tota *certitudo* humanæ scientiæ « per effectus ad causas »[1].

CAPUT TERTIUM

DE CAUSA MATERIALI ET FORMALI[2]

Breviter de materia et forma, de quibus in Cosmologia (n. 30-42) : quæ tamen, quatenus sunt intrinseca requisita ad entium multiplicationem in eadem specie, pertinent ad metaphysicam.

160. Quid et utrum sint materia et forma in universum ?

A. — Materia facile **distingui potest** a forma, præsertim ex dictis de potentia et actu. Nam, apud omnes, materia designat id ex quo fit aliquid, seu *subjectum determinabile ad unum ex diversis* ; forma vero *id quod determinat materiam ad esse unum et tale.* Quapropter materia est quid in potentia ad plura, indifferens ad hoc vel illud, determinabile ad unum, necnon permanens in omnibus ; sic, lignum de se in omnes figuras transformari potest et fieri cinis, etc.[3]. Forma vero est quid terminans et actuans materiam.

B. — Quod vero in compositis physicis **existant** materia et forma, non ambigitur et invicte probatur in Cosmologia. Sint tantum unum et alterum exemplum. — Constat, v. g., etiam in inorganicis fieri mutationes *substantiales* per quas materia unius substantiæ, hac destructa, in aliam transit, ut cum ex aqua fit oxygenium et hydrogenium, aut vicissim : ecce novæ formæ substantiales in materia prima. — Constat etiam fieri mutationes *accidentales*, v. g., motus, loci, quantitatis, qualitatis, etc. in materia secunda[4]. — Has et illas mutationes existere constat *experientia.*

C. — *Dixi* : **in universum**, nam de utriusque natura duplex apud scholasticos orta fuit sententia : *antiquior* prædicabat materiam universalem, ergo spiritualem in angelis, aliquatenus per se actualem, quæ igitur a forma separari posset ; hanc vero formam multiplicem in singulis corporibus, inde forma corporeitatis ; — *thomistica* e contra docet materiam mere passivam, ergo nullam in angelis, mere potentialem quæ nec rationes seminales possidet nec ullum actum sine forma ; hanc vero formam unicam in singulis et sine forma corporeitatis[5]. — Inter utramque ergo sex discrimina.

1. **Contra gent.**, III, c. 69, ratio 7 ; — **Meyerson**, *loc. cit.* — 2. **Mercier**, *Ontologie*, L. IV, c. II, n. 205-215. — 3. **Goudin**, *Phys.*, p. I, q. 2, a. 1. — 4. Cf. **Farges**, *Matière et forme*, 15-16. — 5. Cf. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, II, p. 287-316. — **Contra gent.**, II, c. 54.

161. Utrum materia et forma habeant rationem causæ ?

Quidquid sit de prædicta duplici sententia, præsertim in thomistica, sit

THESIS

Materia et forma causæ sunt compositi physici.

Prob. — Ratio causæ stat in influxu quem habet in effectum a se *aliquatenus* distinctum. Sed tum materia, tum forma influunt in productionem compositi quod sine utriusque concursu existere nequit, et quod ab utraque sigillatim accepta secernitur. Ergo, in compositis physicis, tum materia tum forma veram præ se ferunt causæ rationem.

Probatur *minor* : nam duplex est compositum, *substantiale et accidentale* : porro primum fit per receptionem formæ substantialis in materia prima, alterum autem per susceptionem formæ accidentalis in materia secunda. Ergo materia et forma causæ vere sunt, prior per concursum passivum et receptionem formæ, posterior per actuationem et informationem materiæ.

Confirmatur, nam materia et forma sunt realitates *incompletæ* : ergo « ex utraque fit unum, sicut ex potentia et actu ».

162. Quisnam sit modus causandi materiæ et formæ ?

THESIS

Causalitas materiæ et formæ, diversa quidem, in intrinseca unione utriusque reponi debet.

A. — **Est in mutua unione.** — Aliter compositum fiet vel per coexistentiam, vel per contiguitatem, vel per compenetrationem, vel per mutuam actionem componentium. Sed quatuor ista non sufficiunt : — 1° non *coexistentia*, quæ non facit compositum : alioquin omnia quæ simul existunt unum facerent compositum ; — 2° nec *contiguitas* : secus duo corpora statim ac juxtaponerentur in eodem loco, in compositum unirentur ; — 3° nec *compenetratio*, non enim Deus qui intima cordis humani penetrat, cum illo facit compositionem ; — 4° nec tandem mutua *actio*, quæ est causalitas causæ efficientis, siquidem mutua actio materiæ et formæ, ex una parte, supponeret ipsas jam esse subsistentes, juxta illud : actiones sunt subsistentium (n. 155, B) ; ex altera parte, ex ipsis non fieret ens unum, nam ex agente et passo non fit unum substantiale. Ergo ad compositi constitutionem, requiritur et sufficit inter formam et

materiam mutua et immediata unio, — absque etiam modo unionis *intermedio*, ut vult Suarez [1], — i. e., quia « ex duobus entibus in actu non fit unum », ea simplex relatio quæ viget inter actum et potentiam.

B. — **Diversa est**, nam ratio compositi stat in unione componentium, materiæ sc. et formæ, quæ intrinsecæ fiant partes compositi. Porro hoc præstat causa materialis afferendo causæ efficienti suam capacitatem receptivam formæ per illam producendæ, et recipiendo in se formam productam. Forma vero influit in eamdem compositionem actuando materiam, eique communicando suum esse specificum, suam existentiam, suas proprietates, suamque activitatem. Ergo causæ sibi sunt ad invicem causæ et hoc sedulo notandum est ad plures intelligendas quæstiones, de quibus jam actum est in Cosmologia et Anthropologia.

CAPUT QUARTUM

DE CAUSA FINALI [2]

Quoniam maxima præstantia est causarum finalium, *naturam* ipsarum et *existentiam* exponemus : en *teleologiam*.

ARTICULUS I

De Natura causarum finalium.

163. Quid et quotuplex sit finis ?

A. — Quoad **nomen**, finis (τέλος) vulgo idem est ac *terminus*, v. g., diei, vitæ, etc., seu *limes entis* in universum : — vel etiam id ad quod tenditur, quo obtento, cessat actio.

Quoad rem et in hoc secundo *sensu*, *late* designat id ad quod tendit aliquid ex natura sua, etiam præter intentionem agentis ; — sed *stricte* est *id cujus gratia* (τὸ οὗ ἕνεκα) *fit aliquid*.

Est — 1° *Id* cujus gratia operatur agens : en objectum intentum et hoc non potest esse nisi *bonum*, saltem apparens ; nam mali gratia nihil fit : « bonum solum potest finalizare ». — 2° Est id *cujus gratia* operamur, unde finis in intentione amatur propter se, (*finis qui*) et, si est persona, habetur finis

1. *Disp. Metaph.*, Dist. 36, sect. 3, n. 8.— 2. **Farges**, *Théorie fond.*, 3e partie ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 234-246 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Le réalisme du principe de finalité*, 1932, 1re partie.

cui volumus hoc bonum. — 3° Denique propter finem *fit aliquid*, quo obtinetur finis in executione (finis *quo*).

Similiter finis dicitur *id propter quod agens operatur*. Est *id* = objectum intentum, *propter quod* = finis qui aut *propter quem* = finis cui, *agens operatur* = finis quo.

B. — Quapropter notionem finis **plura** complent. Revera actus quo volumus finem, *intentio* ; res quas illum consequendum amplectimur, *media* ; actus quo media seligimus, *electio* ; variæ operationes, quibus media ad finem applicamus, *executio* ; rationes denique quibus impellimur sive ad intendendum finem, sive ad media eligenda, *motiva* nuncupantur.

Quæ quidem omnia sequentibus **axiomatibus** exprimuntur :

1. — Qui vult medium ut medium est, eo ipso vult finem : nam
2. — Media sunt propter finem, et propter finem amantur.
3. — Qui vult finem vult media : hæc præter intentionem non sunt.
4. — Media ergo fini sint proportionata : secus non essent media.
5. — Finis est primus in intentione, postremus in executione [1]. Nam duplex est ordo contrarius ; unus intentionis, in quo primo finis intenditur, secundo media ad finem seliguntur : alter executionis, in quo primo media executioni mandantur, secundo per media finis habetur, — qui, semel obtentus, cessat esse causa finalis.

164. — Divisio finis ex parte objecti vel subjecti sumitur.

1° Ex parte **objecti**, finis est *proximus*, *intermedius* et *ultimus*. *Proximus*, si refertur ad alios fines, quin ad ipsum, utpote primo intentum, alius finis referatur ; *intermedius*, ad quem refertur alius finis et qui ipse refertur ad alios fines superiores ; *ultimus*, qui ad nullum, et ad quem omnes alii fines referuntur : ita sacerdos, sumendo medicinam, proxime valetudinem remote salutem animarum, ultimo gloriam Dei intendit.

Ecce finis *objectivus* : finis autem *formalis* seu *finis quo* est consecutio hujusce finis objectivi.

2° Ex parte **subjecti**, alius est *finis operis*, ad quem opus e sua natura tendit ; alius *finis operantis*, quem sibi proponit causa efficiens. Sic, finis eleemosynæ est allevatio pauperis ; sed, in agentis intentione, potest esse inanis gloria.

Hic autem finis potest esse *principalis*, si primo et per se ; *accessorius*, si secundario et occasione principalis intenditur ; sic alumnus studere potest principaliter propter officium, secundario propter præmium. Quare, deficiente fine principali, accessorius cessat intendi vel fit principalis ; sed, defectu

1. **Sum. theol.**, I, q. 1, a. 5.

accessorii, principalis adhuc intenditur, quia satis implet intentionem agentis.

165. Utrum fini insit vera CAUSALITAS et in quo CONSISTAT?

THESIS I

Finis est vera causa, imo causa causarum, cæteris præstantior.

A. — *Finis est* **vera causa**. Id enim vere causa est, quod (sicut et aliæ causæ) influxum habet in effectuum existentiam. Sed talis est finis; nam ratio est propter quam ab agente concipitur desiderium producendi et revera producuntur effectus. Ergo finis vere meretur rationem causæ (n. 148).

B. — *Finis est* **causa causarum**. — Illa est causa causarum quæ omnes alias causas movet ad productionem effectus. Porro finis movet causam efficientem, primo ut concipiat formam sui operis, deinde ut introducat formam in materiam. Ergo finis in intentione est prima causa seu causa causarum, juxta illud Angelici : « omnia derivantur a fine [1] ».

C. — *Cæteris est* **præstantior**, — sive ratione motionis, quia alias movet omnes, — sive ratione nobilitatis, quia propter melius et perfectius movemur, — sive ratione specificationis, quam effectus ex fine habet.

THESIS II

166. *Causalitas propria finis est sua bonitas, relucens in intellectu, sed placens appetitui.*

A. — Causalitas finis, si *radicaliter* sumatur, **est sua bonitas.** Etenim finis in tantum est causa, in quantum agentis appetitum allicere valet; sed tantummodo bonum, sive reale, sive saltem apparens, vim habet alliciendi appetitum; ergo finis est causa per suam bonitatem, qua trahitur agens ad operandum.

B. — Causalitas finis *formaliter et in actu secundo* est sua bonitas **quatenus in ea complacet appetitus**, juxta illud : « amatum est in amante ». Non enim bonitas causat, nisi tandem de *facto* moveat appetitum : sed appetitum non movet, nisi ei inspirando sui complacentiam, quam sequuntur amor, desiderium, et « ultimo quies in fine, ut sit ibi finis motus ubi fuit principium [2] »; ergo « sicut influere causæ efficientis est *agere*, ita influere causæ finalis est *appeti* et desiderari [3] ».

Hinc experientia constat sopitam voluntatem a fine non moveri nisi amet, et eo magis moveri, quo magis amat, nam « pondus meum, amor meus ; eo feror, quocumque feror [4] ». Non ergo idea *sola* sine appetitione movet, et ideo exaggeratione laborat theoria D. Fouillée, vulgo « des Idées-Forces ».

1. Cf. **Sum. theol.**, I-II, q. 1. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 26, a. 2. — 3. *De veritate*, q. 22, a. 2. — 4. **S. Augustinus**, *Conf.* XIII, c. 9.

Dixi : est bonitas **relucens in intellectu**; talis est *conditio sine qua non* influxus causalitatis finalis. Quidquid enim appetitui extrinsecum est, in ipsum non agit, nisi mediante cognitione; sed bonitas finis est quidem fini intrinseca, extrinseca vero est appetitui; ergo bonitas finis non exercet influxum in voluntatem, nisi mediate et quatenus in intellectu relucet. — Secus enim ageret ubi non est per propriam speciem sed nec secundum speciem intentionalem : ergo reluceat saltem intentionaliter et quidem in intellectu qui solus potest cognoscere finem formaliter ut finis est et terminus ad quem causa efficiens ordinetur et trahatur.

Hinc intellectio *finis qua talis* est conditio sine qua non causalitatis finalis [1], — sive agens *ordinat se*, sive sit *ordinatum* ab alio ad finem intellectum. Triplex enim est agentium species : quædam enim *directive* se movent ad finem, ut homo ; alia moventur ut sagitta sed vel *apprehensive* ut bruta animalia vel *executive* tantum sicut plantæ et inorganica « quæ cognitione carent [2] ».

ARTICULUS II

De Existentia causarum finalium [3].

Quæritur utrum omne agens agat propter finem, finem intentum, finem ultimum, intrinsecum vel extrinsecum.

167. Utrum PROPTER FINEM? — *Negant* post veteres (n. 170) mechanistæ, qui solum agnoscunt corpora et motus locales ex quibus et juxta leges entibus extrinsecas resultat ordo mundanus sub influxu causarum efficientium, non vero finalium. Quibus dant manus, exceptis biologistis plurimis, hodierni in scientiis docti fere omnes, quippe qui causas efficientes perspiciunt agere, non vero finales, quas ideo vocant « steriles et anthropomorphicas ».

Non ita Peripatetici, Scholastici et Philososophiæ Principes, imo recentiores nostri Jouffroy, Janet, Renouvier, Ravaisson, Lachelier, Boutroux et Bergson [4], juxta quos sit

THESIS

Agens omne propter finem operatur.

Prob. 1° **Ex dictis de fine naturæ** in Cosmologia (n. 160) certa est intrinseca tendentia rerum : patet enim omne ens appetitu suo naturali tendere ad aliquid seu habere finem, v. g., equum acquirere staturam debitam et arborem fructus producere (*fin intrinsèque, inconsciente*). In hoc sensu, principium

1. Cf. *Revue des sc. phil. et théol.*, 1930, p. 147. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 1, a. 2 ; — **Contra gent.**, III, c. 2 ; IV, c. 19. — 3. **Farges**, *Théorie fond.*, 3e part., c. 1 et 2 ; — **Vignon**, *Sur le mécanisme antitéléologique*, in *Revue de phil.*, mars 1904 et seq. ; — **Mercier**, *Ontol.*, n. 259-263 et 283-285 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Le réalisme du principe de finalité*, 1932, p. I, ch. 2 et 4. — 4. **De Raeymaeker**, *Op. cit.*, II, c. 13.

finalitatis esse principium necessarium rationis humanæ non ambigendum.

2° **Experientia**, nam, Deo prætermisso cujus agendi ratio experientiam transcendit, — 1° sua cuique *hominum* testis est conscientia, ante operationem finem intendi, eligi media, et virtute finis concepti actionem executioni mandari.

2° *Animalia* oculos ad videndum, alas ad volandum et multa ad fines præfinitos habent : imo bonum apprehendere et nisi apprehensum et intentum quærere videntur ; sed agere consequenter ad boni apprehensionem est agere propter finem.

3° *Plantis* etiam inest series organorum et functionum ad eumdem finem, ut, v. g., ad vitæ conservationem, etc. [1] ; imo in *substantiis inorganicis* non deest affinitas naturalis ad bonum cuique proprium, v. g., in hydrogenio tendentia ad unionem cum oxygenio [2]. Porro regularitas, uniformitas et constantia, quibus sive plantæ, sive mineralia ad idem infallibiliter properant, explicari minime possunt sine intentione finis et determinatione ad finem in agentibus naturalibus impressa ; secus daretur effectus sine causa.

Ergo entia, quæcumque sint, finem intendunt.

3° **Ratione.** — Omne agens, sicut determinatum esse, ita et determinatum agere et ulterius determinatum effectum habet. Sed ille determinatus effectus, bonus et etiam ordinarie optimus, qui semper producitur ut aliquid certum et infallibile, habet rationem finis. Ergo agens omne natum est agere propter finem : « alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud [3] ».

168. Utrum propter finem INTENTUM ? — Omne ens, præter finem proximum et intrinsecum, habere etiam finem extrinsecum et intentionalem, v. g., plantas et animalia præordinatas esse ad utilitatem hominum, communiter *affirmatur* a philosophis, a nonnullis autem acriter *impugnatur*. Nec mirum, nam quæstio est utrum rerum universitas casu vel teleologice sit explicanda ; utrum ordo virium materialium sit sapientissimi Artificis opus, annon : quod non est evidens a priori et sine discursu, sed in Cosmologia (n. 161) et Theodicea (n. 115) probandum. Impræsentiarum autem, et supposita Dei existentia quæritur de *singulis entibus*, utrum

1. **Janet**, *Les causes finales*, 1876, ch. II : *Les faits* ; ch. IV : *L'organe et la fonction*. — 2. *Ibid.*, ch. V : *Mécanisme et finalité*. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 1, a. 2 ; — **Sum. theol.**, I, q. 44, a. 4 ; — **Contra gent.**, III, c. 2 ; — *In II Phys.*, lect. 12-15 ; — **Farges**, *L'idée de Dieu*, ch. 3 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 314 et seq. — **Piat**, *Aristote*, p. 88 et seq.

unumquodque propter finem agat. Igitur contra materialistas omnes (n. 170) et evolutionistas radicales (Cosmol., n. 154) sit

THESIS

Agens omne propter finem intentum *operatur.*

Constat. — Agens enim *in universum*, vel ratione præditum est, vel non. Porro utrumque propter finem intentum operatur.

I^{um} quidem, nam proprium est entis intellectualis sibi proponere finem, exemplar sui operis concipere, et, dirigente intellectu, media ad finem adhibere, juxta illud : « sapientis est ordinare ». Ergo agens ratione præditum, sive Deus sit, sive creatura, propter finem intentum operatur.

II^{um} etiam, nam agens ratione destitutum, vel opus Dei est, vel opus creaturæ rationalis : sed opus Dei, natura scilicet, ad finem a Deo volitum tendit, sicut, v. g., arbor ad fructificationem ; opus vero rationis, artis scilicet, ad finem arte præfixum agit, sicut horologium ad horarum indicationem [1]. Ergo in universum agens propter finem, **directive** (homo), **apprehensive** (animalia) aut saltem **exsecutive** (plantæ et mineralia operatur) (n. 166).

169. Utrum propter finem ULTIMUM ? — Revera quæstio ad finem *proximum* non restringitur, sed de fine etiam *ultimo* agitur. Unde contra eosdem adversarios sit

THESIS

Agens omne propter finem ultimum operatur.

Constat, nam ex dictis, omne agens propter finem operatur ; sed ille finis esse non potest intermedius, quin ad ultimum referatur ; ergo omnia entia, quibus agere convenit, si propter finem intermedium, etiam propter finem ultimum agunt.

Probatur *minor* eo quod « causarum ad invicem ordinatarum si prima subtrahatur, necesse est et alias subtrahi. Prima autem inter omnes causas est causa finalis [2] », inter causas vero finales, finis ultimus. Ergo in serie finium, quorum A intenditur propter B, B propter C..., et sic deinceps usque ad Z, si Z, seu finis ultimus subtrahatur, fines intermedii subtrahantur oportet. Deficiente vero omni fine, deficeret causa efficiens, quæ non agit nisi ex intentione finis. Ergo, sine fine ultimo, deficeret in ente omnis motus et operatio, necnon in mundo omnis causalitas : omnia derivantur a fine.

1. **Janet**, *Les causes finales*, I, ch. III : *L'industrie de l'homme et de la nature*. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 1, a. 2.

Corol. I. — Non tantum homo videt, **quia** oculos habet, aut ambulat, *quia* pedes habet, sed etiam oculos habet ut videat, pedes *ut* ambulet : etc... Utrumque enim verum est.

Corol. II. — Vim habet objectivam principium finalitatis, non minus quam principium causalitatis, sc. : omne agens agit propter finem ; quippe evidens est et analyticum : ita contra Kant et subjectivistas (Crit., n. 57, 1-2°).

170. Quid sit CASUS et an sit negatio legitima finalitatis [1] ?

Constat ex dictis mundum ordinatum esse directumque ad finem suum secundum inclinationes entium naturales quæ sunt leges constantes : quid ergo de casu sentiendum ?

A. — Casus (cadere) a quibusdam falso sumitur **pro causa**, i. e., ut vis cæca omnia producens præter ordinem quatuor causarum : quo sensu dicunt ordinem mundi a casu volitum esse : quippe casus aliquando personam gerit et dicitur *fatum*, sc. vis cæca, cui, juxta fatalistas, nulla res, nec Deus ipse, resistere valet, seu « quam nulla vis rumpat [2] ». In hac autem acceptione casus certe vox est inanis quæ nonnisi in imaginatione reponi debet : « Le hasard n'est pas une cause, mais c'est la rencontre des causes [3] ».

B. — Casus sumi debet **ut effectus** : porro effectus casualis, est *res præter intentionem suæ causæ accidens* ; sic casualis mors hominis e tecto cadentis : si præter *prævisionem* causæ intelligentis, dicitur *fortuna*, v. g., occursus Petri et Pauli.

Circa casum autem, sic acceptum pro effectu, distinctioni locus est : 1° Respectu Dei nullus est casus, quia nihil sine prævisione Providentiæ accidit. 2° Respectu vero *causarum secundarum*, quæ sunt finitæ, datur casus, quoties tantum aliquid producitur præter earum prævisionem, intentionem aut inclinationem naturalem et præsertim occursu duplicis causæ, quarum una accidentaliter impedit actionem alterius : hoc in sensu, casus est exceptio legibus, non vero, ut volunt mechanistæ, effectus legis ignotæ.

Errant ergo Anaxagoras, Empedocles, Democritus, Epicurus et Lucretius, et generatim materialistæ, qui cæco casu et fortuito atomorum concursu effectum esse mundi ordinem asserunt.

1. **Farges**, *Théorie fond.*, 3e partie, ch. 4 ; — **Frank**, *Phil. nat.*, 1926, p. 101-114 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas*, t. II, p. 57 et seq. ; — **Garrigou-Lagrange**, *Op. cit.*, p. 35. — 2. **Seneca**, *Quæst. nat.*, L. III, ch. 26 ; — **Sum. theol.**, I, q. 116, a. 4. — 3. **Cournot**, *Dict. des sciences phil.*, art. *Hasard* ; — **Mentré**, *Le rôle du hasard*, in *Revue de phil.*, avril 1904 ; — **Lechalas**, *Le hasard*, in *Revue néo-scol.*, mai 1903 ; — **S. Thomas, Opusc. apoc.** *De fato*.

Obj. — Sic autem *argumentantur* casualistæ : multi sunt defectus in rebus, monstra etiam in natura : ergo casu omnia fiunt.

Resp. *Dist. cons.* : ergo casu quædam fiunt, *transeat.* ; omnia, *nego*. Nam *a pari*, si errata casu fiunt, ordinata etiam esse ex intentione finis concludere pronum erit. — *Ignorantia* etiam res multæ dicuntur casuales, quæ tamen finem habent : — *quinimo* non dicerentur casuales, nisi essent fines a quibus deficiunt : « medico enim imputatur ad peccatum, si deficiat a sanando naturam, non autem ædificatori aut grammatico [1] ».

Quapropter casus non est lex, sed exceptio legi, quam supponit.

171. Non ergo CONTEMPTIBILIS scientia causarum finalium [2].

Alii *impossibilem*, *alii inutilem*, imo *noxiam* reputant causarum finalium scientiam. Audi Cartesium : « Il ne me semble pas que je puisse sans témérité rechercher et entreprendre de découvrir les fins impénétrables de Dieu [3] » ; — Ipsum vero Baconem : « La recherche des causes finales est stérile » : — qui addit : « l'habitude de rechercher les causes finales dans la physique en a chassé et comme banni les causes physiques [4]. »

His autem tribus objectionibus adest **triplex responsio.** Nam

1. *Sane* non pauci nos latent fines : non desunt tamen quos Deus oculis omnibus quasi pandere et manifestare voluit, sicut oculi sunt ad videndum, pedes ad ambulandum, etc.

2. *Aliunde*, sicut efficientia physica rerum finalitati non opponitur, ita nec scientia unius nocet alterius cognitioni : « Qu'on me fasse comprendre comment et pourquoi la persuasion que le bœuf a été créé pour labourer mon champ m'empêchera d'étudier la nature de cet animal [5]. »

3. *Denique* duplex est utilitas principii finalitatis in inquisitione scientifica, cui permultæ debentur scientiarum inventiones : aut enim ex cognitione mediorum ad inquisitionem finis nos provocat ; aut ex cognitione finis ad inventionem mediorum [6]. Sic, v. g., Harvey ex natura valvularum ad earum finem, sc. circulationem sanguinis, pervenit. Similiter, Cuvier data destinatione cujuslibet animalis præhistorici, deleta membra certo restituit : « Nous sommes autorisés à conclure de la nature carnassière d'un animal qui était muni d'armes propres à saisir sa proie, d'un appareil digestif approprié au régime carnivore, et ainsi de suite... [7] »

Unde patet cur fere omnes philosophi spiritualistæ, et ipse Voltaire, cur permulti etiam scientifici viri, præsertim naturalistæ, Newton, Cl. Bernard, principium finalitatis tanquam perutile habuerint.

1. **Contra gent.**, III, c. 2. — 2. **Farges**, *Théorie fond.*, 3e p., ch. v. — 3. *Medit.* IV. — 4. *De dignitate scientiar.*, L. III, c. IV. — 5. **J. de Maistre**, *Examen de la phil. de Bacon*, ch. VI. — 6. **Cournot**, *Essai sur les fondements de nos connaissances*, 1851, t. I, p. 150. — 7. Cf. **Cuvier**, ap. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 157 ; — **Charles**, *Lectures de philosophie*, 1872, t. I, p. 252-259 ; t. II, 100-103, 445-456 ; — **L. Vialleton**, *Morphologie générale : membres et ceintures des vertébrés*, 1924.

CAPUT QUINTUM

DE NEXU CAUSARUM ET EFFECTUUM [1]

Juvat, ex dictis, per modum coronidis, instituere comparationem causarum, sive *cum suis effectibus*, sive *inter se*.

172. Quotuplex sit RELATIO causarum et effectuum ?

Causæ conferri possunt cum suis effectibus, sub respectu *prioritatis, nobilitatis, dependentiæ et convenientiæ*.

A. — **Prioritas** est *modus quo una res præcedit aliam*: v. g., quo artifex præcedit suum opus. — Prioritati opponitur *simultaneitas*, quæ est *negatio præcedentiæ unius ad alterum* : et existit, v. g., inter solem et lucem, aliaque similia. — Jamvero causa quæcumque suo effectui prioritate naturæ semper, prioritate etiam temporis aliquando prior est.

Nec dicat Ænesidemus causam efficientem non esse, nisi effectu semel producto, proindeque nunquam effectui suo priorem esse. Revera certum est causam, — 1. si *formaliter* sumatur, ut *actu causans*, duratione priorem effectu non esse, nam actio et passio sunt simul, non autem successive (n. 134-6, Cosmol., n. 62) ; sed tantum prioritate naturæ præcedere suum effectum ; — 2. si sumatur *materialiter*, ut est res aliqua, sæpius etiam secundum tempus priorem esse effectu suo. Hinc vides utrum aliquis, v. g., lector sit, aut non sit, ante lectionem.

B. — Si autem attenditur **gradus dignitatis** et perfectionis :

a) Causa materialis et formalis, ut patet, composito suo, sicut singulæ partes toto, minus dignæ sunt.

b) Causa vero efficiens principalis nunquam est minus nobilis effectu, cui nempe communicat suam perfectionem.

c) Tandem causa finalis per se perfectior est effectu suo, nam perficiens nobilior est quam perfectibile [2].

C. — Quoad **dependentiam effectus** a suis causis, tria certa sunt. Nam *unius ejusdemque numero effectus* 1. — quatuor sunt causæ diversi generis, ut dictum est (n. 159), saltem in rebus hujus mundi aspectabilis ; 2. — dari non possunt plures causæ internæ ejusdem generis, siquidem non possunt esse plures causæ sive materiales, sive formales, quin sint etiam plures effectus ; sed 3. — possunt esse plures causæ externæ, sive efficientes, nam, v. g., saltem effectus creaturarum omnes efficiuntur a Deo simul et a creatura ; sive finales, siquidem homo uno et eodem actu gloriam et divitias quærere potest [3].

D. — Denique, **quoad convenientias**, causa et effectus quoad

1. **Mercier**, *Ontol.*, n. 253-254. — 2. **Goudin**, *II Phys.*, q. 2, a. 2 ; — **S. Thomas**, *In II Sent.*, Dist. xv, a. 1 ; — **Sum. theol.**, III, q. 79, a. 2, ad 3. — 3. Cf. **Gredt**, *Op. cit.*, II, n. 658 ; — cf. **Wébert**, O. P., *Op. cit.*, passim.

esse semper, quoad speciem aliquando, quoad cæteras vero proprietates aliquatenus conveniunt. Dico : 1° — quoad esse, *semper* : unde ex effectu cognito legitime infertur existentia suæ causæ ; 2° — quoad speciem *aliquando*, nempe si causa sit univoca, ut, v. *g.*, pater convenit cum filio ; 3° — quoad cæteras vero proprietates *aliquatenus* : siquidem omnis effectus suæ causæ vestigium est, imo lege hæreditatis vitia aut qualitates parentum singulares sæpe traducuntur in filios.

173. Quotuplici respectu causæ INTER SE conferri possint ?

Causæ non sunt species ejusdem generis : analogice enim tantum inter se conveniunt. Quarum igitur comparatio quoad *prioritatem, nobilitatem* et *dependentiam* institui potest. Unde sit

THESIS

Inter causas, *aliæ aliis sunt priores, aliæ aliis nobiliores, aliæ ab aliis dependent.*

A. — *Aliæ aliis sunt* **priores.** Nam causa finalis est primum movens, saltem moraliter seu præsentatione objecti, causa vero formalis est ultimus generationis terminus. Inter utrumque medium tenet causa efficiens, quæ mota moraliter a fine, physice movet ad producendum formam. Materia vero, saltem creatione facta, tribus aliis causis præsupponitur.

B. — *Aliæ aliis sunt* **nobiliores.** Nam causa formalis nobilior est causa materiali, sicut perficiens nobilior perfectibili. Causa vero efficiens utrique dominatur, sed, quia movetur a causa finali, ipsi proinde inferior est.

C. — *Aliæ ab aliis* **dependent.** Nam sine fine non movetur agens, absque vero agente finis non produceret effectum. Similiter forma sine materia nihil informaret : materia vero sine forma non subsisteret : unde unaquæque ab altera dependet, sicut receptum a recipiente. Quod exprimit illud adagium : « Causæ sunt sibi invicem causæ », sed in diverso genere [1].

1. *In V Metaph.*, lect. 3 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Le réalisme du principe de finalité*, 1931, 2e p., ch. VIII.

EXPLICIT ONTOLOGIA

III

THEODICEA

SEU

THEOLOGIA NATURALIS[1]

PRÆNOTIONES

Mundus et anima vestigium et imaginem Conditoris præ se ferunt; ens autem negative immateriale ducit ad ens positive immateriale seu Deum : eapropter, remote e Cosmologia et Psychologia, ex Ontologia proxime ad *Theodiceam* gradatim assurgimus.

1. Quid sit Theodicea seu Theologia naturalis ?

A. — **Nomen** illud, Theodicea, e vocibus græcis, Θεός et δίκη, *justitiam* seu *justificationem* Dei designat.

Quo titulo Leibniz inscripsit librum in quo a variis impiorum objectionibus Providentia Dei vindicabatur. Nostris porro diebus, non tantum Providentiam, sed et existentiam, et naturam, et attributa Dei, adversus materialistas, positivistas et bolchevistas vindicare oportet. Unde vox *Theodicea* sæpius apud philosophos usurpatur sensu latiori et scientiam de Deo significat[2].

Sic etiam *Theologia naturalis*, nam vox *Theologia*, græce Θεός et λόγος, objectum *materiale* hujusmodi scientiæ ostendit : additur vox *naturalis*, quia philosophus Deum investigat lumine rationis, et sic discrepat a theologo[3], cujus lumen seu medium est revelatio.

B. — Ex dictis, Theologia naturalis jure **definitur** : scientia de Deo seu supremo omnium Principio disserens lumine naturali; brevius : *scientia metaphysica rationalis de Deo.* Cujus objectum *formale quod*, i. e., principaliter intentum et cui omnia colliguntur est ens quatenus supremum, prima causa et ultimus finis omnium; — objectum vero *formale*

1. **Sum. theol.**, I, q. 2-26; — **Contra gent.**, I, c. 9-102; II, c. 1-45; — **Farges,** *L'idée de Dieu d'après la raison et la science*; — **Bossuet**, *De la connaissance de Dieu et de soi-même*; — **Fénelon**, *De l'existence de Dieu*; — **Garrigou-Lagrange,** *Dieu, son existence et sa nature*, 2e éd., 1915; — **Dict. de théol. cath.**, art. *Dieu, Attributs divins, l'Absolu, Analogie, Aséité, Athéisme, Concours divin, Création, Déisme, Eternité*, etc.; — **Billot**, *De Deo uno et trino*, ed. Va, 1910. — 2. Cf. **Leibniz**, *Essais de théodicée*. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 1, a. 1, ad 2.

quo, i. e. medium et lumen est ens immateriale, consideratum separatim et separatum ab omni materia in tertio gradu abstractionis præcisivæ.

2. Quodnam sit Theodiceæ momentum ?

Jam ab antiquis hæc pars philosophiæ celebrata est tanquam « *principalissima*[1] », — « *ad agnitionem animi pulcherrima* », — et « *ad moderandam religionem necessaria*[2] ». Quibus verbis *excellentiam, utilitatem* et *necessitatem* Theodiceæ commendaverunt. Nec immerito, nam

Constat **excellentia** *ex objecto Theodiceæ* : si enim magni faciunt scientiam rerum naturalium, maximi faciant scientiam de supremo rerum Principio[3]. Hinc ipse Vacherot : « Dieu, c'est le plus grand mot des langues humaines. Aucune ne l'a oublié. Toutes l'ont célébré... Il est le problème par excellence des plus grandes philosophies[4] ».

Constat **utilitas** *ex multiplici subsidio*, quod Theodiceam variis philosophiæ partibus afferre compertum est. Revera triplex est ordo veritatis philosophicæ : *logicus, realis* et *moralis* (Præn. Phil., n. 8). Porro Theodicea primum roborat, complet secundum, et tertii est fundamentum. Ergo toti philosophiæ utilis est.

Probatur minor, *nam a)* — Veracitate Dei demonstrata, magis ac magis elucet legitimitas criteriorum veritatis : ergo Theodicea confirmat ordinem logicum, suam ei ultimam rationem afferendo. *b)* — *Præterea* Deus est fons primarius, sive veritatum transcendentalium, sive entium mundanorum, sive ipsius hominis : ergo nostra realitatum scientia manca est, donec ad Deum, Ens entium, tanquam ad suam causam ultimam perveniat. *c)* — *Denique*, quia nulla est lex sine legislatore, nonnisi post statutam Dei existentiam condi potest Ethica : unde sine Deo caret fundamento Ethica recentiorum.

Constat **necessitas** *ex natura religionis*; nam religio, vi vocis, religat hominem ad Deum, qui est ultimus ejus finis, unde nulla est sine Theodicea; sed Deus est ultima regula moralitatis; ergo Theodicea est fundamentum philosophiæ moralis et religiosæ.

Hæc omnia stabilire speciatim urget contra hodiernam mundi civitatem quæ negat Deum, quasi religio vel ad infantiam tantum populorum conveniat vel sit practice inutilis, imo nociva pauperibus, quibus, ut servis, futuram tantum felicitatem promittit[5].

1. **Aristoteles**, *Metaph.*, I, 2. — 2. **Tullius**, *De natura deorum*, L. I, n. 1. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 1, a. 5, ad 1. — 4. *Le nouveau spiritualisme*, 1884, p. 288. — 5. **G. Goyau**, *Dieu chez les Soviets*, 1929; — **Mgr d'Herbigny**, *La guerre antireligieuse en Russie soviétique*, 1930; — **Daniel Rops**, *Le monde sans âme*, 1932.

3. Quænam sint Theodiceæ METHODUS et ITINERARIUM ?

A. — Qui merito contendunt Theodiceam esse partem scientiæ philosophicæ, inter se non consentiunt de methodis quibus in ea tractanda utendum est. — Alii enim ontologicam aut intuitivam et mysticam, alii auctoritativam methodum profitentur : de quibus, quia insufficientes aut falsæ sunt, infra dicemus (n. 7, 9).

Amplior erit, in re tanti momenti, methodus nostra **analytico-synthetica** seu **circularis.** Hæc enim exordium sumit a rebus mundanis, quas intellectus primario cognoscit, ut ab illis, via causalitatis, ascendat, ad Dei *existentiam* et notionem ; — *tunc* in hac idea figens aciem intellectus, circa *naturam* et perfectionem illius causæ efficientis mundi plura deducit ; — *donec* rediens ex Deo ad creaturam, *utriusque attributa*, instituta comparatione, magis illustret. Sicque « prima est consideratio de creaturis et ultima de Deo [1] ».

B. — Est autem **triplex itinerarium** animæ e rebus mundanis ad Deum ascendentis : nempe, *via causalitatis*, *via remotionis*, et *via excellentiæ*, quæ dicitur etiam via *analogiæ*.

1° Per viam *causalitatis*, Deum agnoscimus ut necessarium principium omnium rerum ; et sic ab effectu ad ultimam Causam assurgimus : illud est quasi primum itinerarium.

2° Per viam *remotionis*, amovemus a Deo quidquid defectus invenitur in creaturis ; ita Deum concipimus simplicem, immutabilem, æternum ; tale est secundum itinerarium.

3° Deum tandem *excellenti* et analogico modo possidere omnes creaturæ perfectiones, ideoque vivere, intelligere, amare, beatitudine frui concludimus : hoc est tertium itinerarium.

« Deum (igitur), ut Dionysius dicit, cognoscimus ut *causam* et per *remotionem*, et per *excessum* [2]. »

4. Quomodo Theodicea DIVISA sit et DIVIDI possit ?

A. — **In præterito** : 1. Apud *veteres*, præsocratici, stoïci et neoplatonici pantheismum profitentur. Anaxagoras primus ad Dei notionem ascendisse fertur [3] ; postea Socrates, Plato et Aristoteles, item Tullius et Seneca egregie de Deo dixerunt : apud quos quæstio de Deo nonnisi pars erat Metaphysicæ (n. 1 et Ontol., n. 1).

2. Profundius philosophi *christiani*, ratione quidem utendo, sed fide innixi, de Deo uno et de Deo creatore disputaverunt, SS. Patres, scholastici, imprimis S. Thomas in utraque *Summa*.

3. *Postremis* sæculis, Theodicea, independenter a fide, philosophice tractari incepit. Nec rursus sine veritatis detrimento ; nam alii cum Kant Theodiceam negaverunt, alii cum Spinoza, Hegel, Renan, etc., in pessimos errores prolapsi sunt [3].

1. **Contra gent**, II, c. 4. — 2. *De divinis nom.*, c. I, 5 ; — **Sum. theol.**, I, q. 84, a. 7, ad 3. — 3. **Gonzalez**, *Hist. de la phil., trad.* **G. de Pascal**, tom. I, p. 158 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 35, 45, 56, 74, 105, 111... — 4. **Littré**, *Conservation, révolution et positivisme*, 1852, p. 286, 53 ; *Paroles de philosophie positive*, 1859, p. 34 ; — cf. **Farges**, *Op. cit.*, p. 26 ; — **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 358-359, etc.

B. — Duo vel **tria de Deo**, ope ratiocinii, homo detegere conatur, nempe : utrum Deus sit, quid sit in se et quid relative ad nos ; unde Theodicea dividitur in duas vel tres partes : una de *existentia*, alia de *natura*, et ista de attributis *absolutis* sed etiam *relativis* ; hæc autem ultima, ut patet, de relationibus Dei ad mundum disserit [1].

Hujus divisionis triplex statim apparet **commodum.**

Imprimis in re *fundatur*, nam, etsi in Deo existentia, natura et relationes minime distinguantur [2], a nobis successive tantum et quasi separatim attingi possunt.

Præterea singulæ partes singulis stadiis *methodi circularis* optime quadrant sicut et prælaudato triplici itinerario. Scilicet, prima e creaturis ad Deum ascendit, secunda Eum in Seipso contemplatur, tertia ex Deo ad creaturas redit (n. 3).

Tandem dirigitur *adversus errores* præcipuos ævi præsentis ; prima pars contra Atheismum, secunda contra Agnosticismum, et ultima adversus Pantheismum et Deismum.

5. Ecce igitur SYNOPSIS totius Theodiceæ.

THEODICEA	*Liber I*us. De existentia Dei.	I. Demonstrabilitas existentiæ Dei.	1. Necessitas. 2. Possibilitas. 2. Methodus.
		II. Demonstratio existentiæ Dei.	Argumenta metaphysica : 1. Argumenta cosmologica. 2. Argumenta psychologica.
		III. Confirmatio demonstrationis.	1. Consensus generis humani. 2. De Atheismo.
	*II*us. De natura Dei.	I. De Attributis Dei negativis.	1. De Aseitate. 2. De Simplicitate. 3. De Infinitate. 4. De Immensitate. 5. De Immutabilitate. 6. De Æternitate. 7. De Unicitate.
		II. De Attributis Dei positivis.	1. De Intelligentia. 2. De Voluntate. 3. De Omnipotentia. 4. De Personalitate Dei.
	*III*us. De relationibus Dei ad mundum.	I. Relatio identitatis.	1. Expositio Pantheismi. 2. Confutatio Pantheismi.
		II. Relatio causalitatis.	1. De Creatione. 2. De Conservatione. 3. De Concursu. 4. De Providentia.

COROL. — De notione, nomine et definitione Dei.

1. **Sum. theol.**, I, q. 2-26. — 2. **S. Thomas**, *In I Sent.*, Dist. II, a. 2, sol. ; — cf. **J. Wébert, O. P.**, *Essai de métaphysique thomiste*, 1927.

LIBER PRIMUS THEODICEÆ

DE EXISTENTIA DEI [1]

6. Status quæstionis de existentia Dei.

1. **Nomen** Dei significat *Ens* supremum seu « quodcumque nobilissimum ens... quod et reliqua omnia superat et a quo tanquam a primo auctore reliqua omnia pendent, quod proinde ut supremum numen colendum est ac venerandum ; hic est enim vulgaris et quasi primus conceptus, quem de Deo, audito nomine Dei [2] », efformant omnes, teste ethnologia, sive *Elohim*, Θεός, *Allah*..., sive quolibet alio nomine nuncupetur.

2. Illius autem entis **existentiam** solummodo quærimus in præsenti libro. Non igitur argumentis nostris crimini vertendum erit, ut sæpius evenit incaute, quod infinitatem aliudve attributum Dei directe non demonstrent : siquidem in Theodicea, sicut in geometria, cuncta simul problemata solvere non est possibile. Sufficit logice ut demonstretur *existentia alicujus entis a se* : cætera consequentur (n. 45). In eo tantum sensu, generalis statuetur

THESIS

Deus existit.

3. Qui hujus Entis existentiam aperte rejiciunt vel ambiguam dubiamve tenent, **athei** vocantur. **Theistæ** vero seu philosophi qui Deum existere contendunt, in duas classes dividuntur : nam existentiam Dei, dum omnes realem dicunt, alii tanquam ratione indemonstrabilem habent, alii de facto apodictice demonstrant.

4. His postremis adhæremus, et ideo **tria** præsertim investigabimus, quæ hoc ordine veniunt : an et quomodo Deus sit demonstrabilis ; quibusnam argumentis de facto demonstretur ; quomodo tandem indirecte confirmetur existentia Dei. Unde tria capita : — I. De *Demonstrabilitate existentiæ Dei* ; — II. Ejusdem *Demonstratio* ; — III. *Confirmatio demonstrationis.*

1. **Sum. theol.**, I, q. 3. — 2. **Suarez**, *Disp. Metaphys.*, XXIX, sect. 3, n. 4 ; — **Fénelon**, *Op. cit.*, p. II, n. 65, 95, 104 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, 1927, c. II, VIII.

CAPUT PRIMUM

DE EXISTENTIÆ DEI DEMONSTRABILITATE [1]

Quæritur an existentia Dei demonstrari *debeat*, an *possit* demonstrari, et *quomodo* possit ? Unde tres articuli.

ARTICULUS I

De Necessitate demonstrandi existentiam Dei [2].

Quod demonstratione non eget, *intellectui* patet vel *sensui* : sicque evidens est Deus objective aut saltem subjective.

7. Utrum existentia Dei intellectui sit visa aut per se nota ?

Juxta Ontologistas, Malebranche [3], Gioberti, Ubaghs, item Cousin, E. Saisset [4], etc... ipsum Deum in sua essentia vel saltem in suis attributis immediate percipimus, etiam in statu vitæ præsentis. — Cæterum, jam, tempore Angelici [5] quidam posuerunt hanc propositionem « Deus existit » per se notam esse lumine naturali. Ergo Deus existit. — Contra utrosque, sit

THESIS

Existentia Dei nec est immediate visa, nec per se nota quoad nos, sed demonstratione indiget.

I^um^ seu Deum non esse immediate visum constat ex dictis in Psychologia (n. 80) contra Ontologismum. Et verum

1° *Directe.* Quoniam in Deo esse non distinguitur ab essentia, qui Deum esse immediate cerneret, Illius essentiam, clare perciperet ; homines autem, in statu vitæ præsentis, essentiam divinam intueri nequeunt ; ergo nec existentiam.

2. *Indirecte.* Juxta adversarios, Deus immediate videtur quia est primum ens et ideo prima cognita veritas, — quia est ens universale, in quo alia cognoscuntur, — quia, si mediate, imperfecte cognosceretur. Sed hæc tria non urgent.

Inst. 1^a^. — Deus est prima Veritas ; ergo primo cognosci debet.

Resp. *Dist. ant.* : Deus est prima veritas in ordine ontologico, quia primum Ens, *conc.* ; in ordine psychologico, quia primum cognoscitur, *nego.* — *Nego cons* : nulla enim est necessitas quod ordo cognitionis humanæ sequatur ordinem existentiæ rerum ; sic et fumus ante ignem percipi potest.

Inst. 2^a^. — Illud est per se notum, etiam quoad nos, in cujus

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 23-59 ; — **Villard, O. P.**, *Dieu devant la science et la raison*, 1899, p. 41-70.— 2. **Garrigou-Lagrange**, *Op. cit.*, p. 66-70 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 130-137 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, p. 58-67. — 3. Cf. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 389 ; — **Bréhier**, *Op. cit.*, II, p. 221. — 4. **Charles**, *Lectur. philosoph.*, I, p. 172-177. — 5. *In I Sent.*, dist. III, q. 1, a. 2, 3.

lumine cætera percipimus, sicut lumen solis, in quo res corporales videntur est per se notum ; sed in lumine divino conspicimus omnia ; ergo lumen Dei est per se notum, etiam quoad nos.

Resp. *Dist. maj.*, pariterque *min.* : in lumine Dei omnia perspicimus *mediate*, tanquam in *principio* cognitionis, *conc.* ; *immediate* tanquam in *objecto* cognitionis, *nego*. Videlicet in omni cognitione secernere debemus et objectum directe cognitum, et principium seu lumen indirecte cognitum per quod objectum illud agnoscitur. Porro Deus non est objectum in quo cætera omnia videmus intuitive, ab Eo tamen accipimus lumen participatum ; i. e., intellectum, quo mediante veritatem adipiscimur (n. 28).

Inst. 3a. — Deus est Ens infinitum : ergo mediante finito cognosci nequit. Resp. Dist. *cons* : non cognoscitur infinite, *conc.* Infiniti non habetur idea analoga et negativa, *nego* (cf. Ont., n. 90-93).

Brevius : ratione *originis*, Deus est Ens primum, universale, infinitum ; at, ratione *cognitionis*, quia objecta materialia prius cognoscimus, per ea non cognoscitur Deus nisi secundario, analogice et imperfecte (Psych., n. 80)[1].

IIum **seu Deum non esse per se et analytice notum,** sic declarat S. Thomas : « Contingit aliquid esse per se notum dupliciter : uno modo *secundum se* et non quoad nos ; alio modo, secundum se et *quoad nos* » : sunt enim, v. g., theoremata geometriæ quæ per se vera sunt, quoad nos autem ignota remanent ; dum e contra, prima principia, intellectis terminis, statim cognoscuntur. Porro hæc propositio : « Deus est », quantum in se est, per se nota est, quia prædicatum est idem cum subjecto : Deus enim est suum esse. Sed hæc terminorum identitas nobis nota non est. Ergo indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, sc. per effectus[2]. — Hinc est cur S. Anselmus et alii, contraria via ratiocinando, in cassum ierint, ut paulo infra (n. 12-13) videbimus.

Utrumque confirmatur : alioquin nullum dubium de existentia Dei concipi posset, et atheismus esset impossibilis.

Objiciunt : a philosophis tum christianis, tum gentilibus, notitia Dei dicitur « menti naturaliter insita, inseminata, congenita ». Ergo et per se nota.

Resp. : Inseminata est in nobis idea Dei *implicite* per facultates rationales, *conc.* ; *explicite* in se ipsa, *nego*. Sicut enim fructus in semine arboris et ideo arbori insitus est, ita idea Dei in facultate rationis (Psych., n. 78), quæ tamen hanc ideam producere debet. « Cognitio dicitur omnibus naturaliter inserta, quia omnibus naturaliter insertum est aliquid unde potest pervenire ad cognoscendum Deum esse[3] ».

1. **Sum. theol.**, I, q. 12, a. 11, ad 13 ; — **Contra gent.**, I, c. x. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 2, a. 1, ad 1 ; — cf. **Gratry**, *Connais. de Dieu*, I, p. 54. — 3. *De veritate*, q. 10, a. 12, ad 1um ; — *In Boetium*, q. 1, a. 3.

8. Utrum alicui SENSUI vel ACTIONI pateat existentia Dei[1] ?

A. — **An sensui** ? Non agitur quidem de sensibus externis, sed de quodam sensu interno (Psych., n. 106 ; Crit., n. 105) qui aliter et aliter denominatur, sc. :

1º Juxta scholam scoticam (Reid, Dugald Stewart, Jouffroy) *instinctu* cæco naturæ impellimur ad existentiam Dei, sicut et ad quamlibet veritatem necessariam, admittendam.

2º Juxta scholam sentimentalistarum (Jamblique, Jacobi, Thomassin, Gratry[2], Hutcheson) inest hominibus *sensus religiosus* seu *divinus* per quem anima, lumine Verbi suffulta, Deum facile et claro percipit et sentit (cf. Crit., n. 105).

3º Juxta modernistas, adest in homine quasi duplex τὸ ἐγώ, unum empiricum et « supraliminare », alterum « subliminare » seu *subconscientia*, in qua latent multa intellectui impervia et quidem præstantiora. « Ex cujus latebris, per vitalem immanentiam erumpit *religiosus* sensus... qui est germen totius religionis..., in sensu religioso *cordis intuitus* quo homo ipsam, sine medio, Dei realitatem attingit[3]. » Ita Loisy[4], Programma modernistarum[5].

B. — **An actioni** ? in qua experimentaliter Deus perciperetur, ergo immediate, ergo melius ac discursu : « On ne démontre pas une réalité concrète, on la perçoit[6] ».

Porro *pragmatistæ* cum W. James volunt hominem immediate percipere Deum in sua actione se *meliorandi* moraliter et perficiendi; — *bergsonistæ*, v. g., Le Roy[7] in *evolutione* progressiva seu actione ipsa Dei creatrice ; — alii tandem immanentistæ in aspiratione saltem ad beatitudinem, quæ Deus est.

Ast hæc multiformis opinio nonnisi speciem habet veri.

1. — *Aliquid habet veri*. Homo enim facile et quasi spontanee, conscientiæ moralis innata propensione ductus, pervenit ad cognitionem Dei. Hinc est cur rudibus et pueris ratiocinia implicita aut vulgaria sufficiant ut intimam habeant persuasionem de Dei existentia, sicut de aliis primariis veritatibus ; nec ullo modo indigeant explicita et scientifica demonstratione doctorum, ut supra (n. 7) et infra (n. 37, 1º) dicitur.

2. — *In se* tamen, hæc varia opinio *falsa* est et *periculosa*.

1º *Falsa* est, nam, ex una parte, motus instinctivus vel affectivus ad certitudinem intellectualem comparandam sine ratiocinio non sufficit (Crit., n. 105) ; ex altera autem, gratuito in mente nostra ponitur facultas cognoscitiva præter sensum et intellectum, sive sensus *divinus*, sive alia facultas *super-*

1. **Barbedette** *Hist. de la phil.*, n. 129, 435, etc. — 2. *Connaissance de Dieu*, I, p. 57-67 ; — II, p. 147-170. — 3. **Pius X**, Encyc. *Pascendi*, 8 sept. 1907, in **Denz.-Banw.**, n. 2077, 2081. — 4. *Simples réflexions sur le décret*, 1908. — 5. Rome, 1908, p. 96, 97. — 6. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, 1930, I, p. 81 ; II, p. 138 et seq. — 7. *Dogme et critique*, 1907, passim.

intellectualis [1] et intuitiva Dei [2]. Nam, quidquid sit de donis supernaturalibus quorumdam sanctorum extaticorum, contradictoria est facultas naturalis omnibus hominibus communis, quæ tamen experientiam psychologicam omnino fugit.

2° *Periculosa est*, nam sensibilitati cujusque variabili vel instinctui cæco adscribit fidem in existentiam Dei ; jamque, ut aiunt gallice : « ce n'est plus qu'une affaire de sentiment » ; ac proinde Theodicea extra scientiam exsulat.

Aliunde, pantheismo nimis favet, cum ex una parte mentem extra seipsam nihil percipere posse jactitant, seu, ut aiunt : « la pensée n'atteint qu'elle-même » ; ex altera autem, Deum immanentem intueri prætendunt. Ergo mens et Deus unum essent.

Obj. — Deus non potest esse dependens ; atqui esset dependens a necessitate logica si ejus existentia probaretur ; ergo probari non potest. « *Déduire Dieu équivaut à le nier*, dit E. Le Roy, c'est vouloir l'atteindre par une méthode athée [3]. »

Resp. *Conc. maj.* ; *Dist. min.* : cognitio nostra a necessitate logica esset dependens, *conc.* ; ipsamet existentia Dei, *neg.* Illa enim existentia est quid concretum ; porro abstractum a concreto pendet et logicum ab ontologico, quamvis ordo cognitionis humanæ sit inversus. — Aliunde, cum Deus sit ipsa Veritas (n. 74), nonnisi a seipso dependeret.

Hinc non tantum utilis, sed et necessaria est demonstratio existentiæ Dei, et quidem per rationem, etiamsi ab aliqua actione, v. g., a desiderio infiniti (n. 30) inferatur. Qualis autem erit hæc demonstratio, infra dicemus (n. 14).

ARTICULUS II

De Possibilitate demonstrandi existentiam Dei [4].

Hanc possibilitatem negant *fideistæ* et *anti-intellectualistæ*, illi ob infirmitatem rationis, hi ob inaccessibile objectum.

9. Utrum existentia Dei SOLA RATIONE certo probari POSSIT ?

Fideistæ et *Traditionalistæ* imbecillitatem rationis et vim agnosticismi anti-intellectualis exaggerantes, revelationem aut traditionem ad Deum cognoscendum necessariam esse profitentur : « Demandez à ces hommes inconnus les uns aux autres d'où leur

1. **Thomassin**, *Dogmata theol.*, 1864, c. 9. — 2. Cf. **Piat**, *Insuffisance des philosophies de l'intuition*, 1912 ; — **X. Moissant**, *Dieu, l'expérience en métaph.*, 1907. — 3. *Revue de métaph. et de mor.*, juill. 1907, p. 473 ; cf. *Le problème de Dieu*, 1930, p. 83 ; — cf. **Rivière**, *Le modernisme dans l'Eglise*, 1929, p. 351-356. — 4. Cf. **Garrigou-Lagrange**, *Op. cit.*, p. 62, 183, 193 ; *Le sens commun*, p. 25-84 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 137-143.

est venue la croyance en Dieu, ils vous répondront : « Nos pères nous l'ont dit : Patres nostri narraverunt nobis [1]. » — Sed contra sit inconcussa

THESIS

Existentia Dei, e rebus creatis, sola ratione, certo demonstrari potest et posse debet.

I. — **Potest**. — De *facto* enim plura a nobis infra (n. 15) exponentur, et omni tempore a philosophis allata sunt, inconcussa argumenta existentiæ Dei. — *Insuper*, hæc argumenta constant elementis quæ lumine rationis etiam ignavæ, facile concipi possunt. E duabus enim præmissis, quibus coalescunt, una factum exprimit omnibus obvium, ut, v. g., « ego sum ens mutabile, imperfectum, mortale, contingens... » ; altera vero unum e principiis primis, v. g., « contingens supponit necessarium » (n. 15), omni intelligenti etiam pervium. Nec tanta esse potest humanæ rationis imbecillitas ut factum et principium hujusmodi, ope etiam magisterii, capere non valeat. Ergo valet : quomodo autem infra dicemus (n. 14).

II. — **Debet**. — De jure enim veritates ad mores instruendos et ad finem hominis attingendum absolute necessarias, lumine naturali comparare possumus : aliter enim natura deficeret in necessariis. Sed existentia Dei cæteris omnibus philosophiæ dogmatibus necessitate præcellit ; estque tum ad instituendam religionem tum ad vitam hominis dirigendam necessaria, nam sine illa nec moralitas nec peccatum concipi potest. Ergo ratio, impar quidem ad detegenda Dei mysteria, ad existentiam Dei detegendam impar esse nequit (Crit., n. 40).

Confirmatur argumento ad hominem contra fideistas et traditionalistas. Nam fidem et traditionem accipiunt ; atqui juxta S. Scripturam : « Invisibilia Ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur [2] » ; — juxta vero Concilium Vaticanum : Deus sine gratia seu « naturali rationis lumine e rebus creatis certo cognosci [3] » ; — « adeoque demonstrari etiam [4] » potest, ut Pius X jussit cum juramento profiteri contra modernistas.

10. Utrum revera Deus sit COGNOSCIBILIS [5] ?

Negat certum genus hac in re scepticorum, nempe **anti-intellectualistarum,** duplici quidem modo.

Alii enim, sc. positivistæ, impossibile et ideo inutile reputant omne tentamen demonstrationis existentiæ Dei : ita omnes agnostici empirici, v. g., Stuart Mill et ultimo Spencer, cui tribuitur

1. **Lamennais**, *Essai sur l'indifférence*. — 2. **Rom.**, I, 20. — 3. Cf. **Denz.-Banw.**, n. 1805. — 4. **Motu proprio** : *Sacrorum Antistitum*, 1910. — 5. Cf. **Michelet**, *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, 1909.

vox « agnosticismus (a, γιγνώσκω). Unde juxta A. Comte, theodicea metaphysica locum cedat sociologiæ, quæ est Humanitatis sacra scientia et religio.

Alii vero, quia notiones et prima principia nullam vim habent objectivam, impossibilem etiam prædicant demonstrationem Dei et illi sunt agnostici idealistæ, quorum plures demonstrationem per viam rationis dicunt non necessariam, quia per aliam viam nempe per ordinem moralem (kantistæ), per praxim utilem (pragmatistæ), per intuitionem vitalem (bergsonistæ) aut per experientiam religiosam (modernistæ) Deus sufficienter cognoscitur. Sed contra sit

THESIS

Deus cognoscibilis est et quidem per vim rationis.

Prob. — iisdem argumentis positivis ac illis contra fideistas (n. 9). Pauca tantum addere sufficiat, nempe hac in re sive *contradictionem* adversariorum, sive *debilitatem* rationum quas afferunt contra.

A. — **Sibi contradicunt**. Imprimis enim non mirum si agnosticismum profitentur omnes circa existentiam Dei, nam *positivistæ* supra ordinem sensibilem non assurgunt rationemque incapacem cujuslibet considerationis metaphysicæ volunt ; — *kantistæ* negant objectivitatem idearum vimque principii causalitatis, proindeque paralogismos existimant rationis argumenta, quibus nituntur theistæ (n. 32) ; — *pragmatistæ* per praxim aseitatem et alia Dei attributa metaphysica non experiuntur, et ideo de illis curam non habent [1] ; — *bergsonistæ*, v. g., Le Roy, qui utrumque præfatum errorem consociant, rejiciunt primas notiones sensus communis, sc. entis, veritatis, substantiæ, causæ, proindeque principia contradictionis et causalitatis, etc. (Cosm., n. 58) [2] ; — *modernistæ* tandem doctrinam habent philosophicam vi cujus « humana ratio phænomenis includitur, rebus videlicet quæ apparent eaque specie qua apparent : earumdem prætergredi terminos nec jus nec potestatem habet [3] » : jamvero, ratione in phænomenis et experientiis coarctata et rejectis primis principis et etiam principio causalitatis, ulterius rejiciatur oportet demonstratio existentiæ Dei, quæ ultimo in illis et proxime in isto nititur et in hoc quidem adversarii logice secum consentiunt.

Ast iidem *postea* tamen sibi contradicunt omnes — sive *positivistæ*, quando scientiis experimentalibus indulgentes,

1. **W. James**, *L'expérience religieuse*, 1908, p. 375. — 2. Cf. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 209 ; — cf. **Rivière**, *Op. cit.*, p. 248-255. — 3. **Pius X** in **Denz.-Banw.**, n. 2072.

innixi, velint nolint, eodem principio causalitatis, ex factis observatis leges inferunt generales ; — sive *neo-criticistæ*, quando Deum, quem ratione theoretica subjectivum primo esse decreverunt, dein rationis practicæ testimonio dicunt esse objectivum vel saltem fide cæca credendum ; — sive *pragmatistæ*, qui aseitatem et alia attributa Dei non experiuntur, quorum tamen notitia vitæ religiosæ utilis est fonsque amoris et adorationis ; — sive *bergsonistæ* qui intuitive prætendunt cognoscere Deum in exigentia morali beatitudinis [1], quasi cognoscere Deum in aliquo communi esset « simpliciter cognoscere Deum esse [2] » ; — sive tandem *modernistæ*, quum « ex agnosticismo qui solum est in ignoratione, ad atheismum scientificum atque historicum transeunt [3] ».

B. — Veniamus ad **rationes quas adducunt agnostici** [4].

Prior est *metaphysica* et nititur in impossibilitate sive Dei definitionem habendi, sive per finitum ad Infinitum accedendi sive naturam Dei intimam cognoscendi. Ast in promptu est responsio :

1° Necesse quidem est scire *definitionem* rei, si ex ipsa a priori deduci debet aliqua proprietas necessaria, v. g., quod homo est intelligens, minime vero si a posteriori ex effectu infertur tantum ejus existentia ; v. g., quod statuæ existit artifex : uterque enim processus inversus est.

2° Non valet *res finita* ducere ad cognitionem totalem Infiniti defectu proportionis unius ad alterum, bene vero ad partialem sive causalitatis infinitæ cum qua, quatenus effectus, necessario servat relationem, sive etiam aliquatenus attributorum quibuscum habet aliquam proportionem : sic enim, v. g., filius ob perfectam similitudinem ducit ad notitiam patris, statua non ad totalem, sed, præter existentiam, etiam ad aliquam intelligentiam artificis.

3° Aliud est scire *Deum esse* et aliud scire Deum *essentialiter esse* : primum seu existentia infertur generaliter, secundum ulteriori ratiocinio ex primo deducitur et Deo tribuitur.

Posterior est *logica* et sic theismum arguit : principia quibus ille Dei existentiam demonstrare prætendit, hauriuntur ab experientia : ergo extra experientiam egredi non valent, nec ideo attingere Deum ultramundanum, qui aliunde creando

1. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, 1929, p. 249. — 2. **Sum theol.**, I, q. 2, a. 1, ad 1um. — 3. **Pius X**, Encycl. *Pascendi*, p. 1. n. 2073 in **Denz.-Banw.** — 4. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, 1930, p. 79-97.

inciperet esse in mundo, sicque mundanus simul ac transcendens, et ideo contradictorius. — Sufficiat in præsenti hæc brevis responsio : Principium causalitatis, sicut alia, hauritur quidem ab experientia, sed dato, non concesso, quod ultra prodire non valeant, sufficit quod rigorose demonstrent Deum esse necessarium ut explicetur iste mundus experientiarum.

Nec *replicent* positivistæ sic confundi rem experimentalem cum re transcendentali, Creatorem cum creatura, mundum cum re extramundana. — Siquidem in præsenti sufficit ut principium causalitatis demonstret existentiam Primæ causæ efficientis : hanc autem esse extramundanam logice inferetur — ex quo ulterius inferri poterit principium causalitatis habere valorem utique transcendentalem. Porro talis est nostra methodus demonstrationis de qua nunc agendum [1].

ARTICULUS III

De Methodo demonstrandi existentiam Dei [2].

11. QUOTUPLEX sit modus probandi existentiam Dei ?

Triplex concipi potest forma argumenti ad demonstrandam Dei existentiam : sc. **a priori**, **a posteriori**, et **a simultaneo.**

Si primum, demonstratur aliquid ex eo quod, sive tempore, sive natura saltem, re demonstranda *prius est*, ut si ex igne fumus, vel ex primo principio ejus consectaria deducantur. — Si secundum, demonstratur aliquid ex eo quod, sive tempore, sive natura, *posterius* est, ut si ignis ex fumo, vel causa ex effectibus inferatur. — Si tertium, ex notione ideali alicujus rei ad ejusdem existentiam devenitur ; et hic processus dicitur *a simultaneo*, quia ex ordine ideali, in nobis posteriori, ad ordinem realem de plano transire prætendit : dici tamen potest argumentum *a priori* lato sensu, nempe in ordine ideali.

Aliis verbis, argumentum *a simultaneo* est analyticum et solo principio identitatis innititur ; argumentum *a posteriori* est inductivum et principio causalitatis seu rationis sufficientis innixum ; argumentum autem *a priori* est deductivum.

Jamvero Dei existentia a priori demonstrari nequit ; Deus enim, ex hypothesi, non habet causam Ipsi priorem. Ergo inter argumentum a simultaneo et a posteriori eligatur.

1. Cf. **Sertillanges**, *Les grandes thèses de la philosophie thomiste*, p. 48-52. — 2. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 70-76 ; — **Sertillanges**, *Op. cit.*, p. 130, 142.

12. QUOTUPLEX sit et non sit forma ARGUMENTI A SIMULTANEO?

A. — Argumentum hujusmodi **triplicem formam induit** [1].

Imprimis, sic loquitur S. Anselmus : Nomine Dei intelligimus id quo majus cogitari nequit ; sed majus est illud quod est in intellectu simul et re, quam id quod est in intellectu tantum ; ergo illud quo nihil majus cogitari potest, seu Deus, est in intellectu *simul* et re, sc. existit [2].

Postea, Cartesius argumentum S. Anselmi instauravit, dicens : Habemus ideam claram Entis infiniti ; hæc autem idea includit existentiam, quia ens non-existens infinitum dici nequit ; ergo Deus existit [3].

Tandemque, Leibniz argumentum his verbis contexit : Deum possibilem esse concipimus ; sed, si non existeret, jam non esset possibilis, nam Deum fieri repugnat ; ergo Deus existit [4].

Uti vides, hæc tria argumenta abstrahunt ab *origine* idearum, nec assumunt ideam Dei in mente nostra existentem tanquam *factum*, cujus sola *causa* adæquata esset Deus, mentem hominis illuminans ; ac proinde non fundantur principio *causalitatis* (infra, n. 28-2) [5]. — Fundantur e contra principio *identitatis*, sc. supponunt existentiam Dei contineri in Ejus idea seu potius cum Ejus idea identificari. Aliis verbis contendunt *ideam* adæquare *factum*, *possibile* adæquare *reale*, seu gallice : *Idéal* = *Réel*. In hoc quidem essentialiter concordant hæc tria argumenta, quamvis accidentaliter inter se discrepent.

B. — Ideo cum argumento Cartesii supra allato non est confundendum aliud argumentum ejusdem auctoris [6], **ex origine ideæ infiniti** desumptum et quod sic contrahi potest : Habemus ideam, eamque claram Entis infiniti ; sed Infinitum e finito cognosci nequit : igitur idea nostra Infiniti a Deo sumit originem et consequenter Deus existit.

Hoc argumentum ab *idea* ad *existentiam* Dei transit quidem, sed via causalitatis, non autem via identitatis, nam considerat ideam Dei non tanquam notionem idealem, sed tanquam factum psychologicum, cui nulla causa nisi solus Deus assignari potest : ac proinde non est argumentum *a simultaneo*, sed *a posteriori*. — Cæterum multiplici vitio laborat hoc argumentum cartesianum, siquidem nostra « idea Dei est finita et imperfecta : ergo non necessario a Deo proficisci debet, sed ab aliis rebus creatis ortum habere potest [7] » et sola mente formari (Ontol., n. 90-93).

13. Utrum existentia Dei A SIMULTANEO probari possit ?

De argumentis a simultaneo, æqua mente libratis [8], sit

1. Cf. **L. Couture**, *Polybiblion*, 1875 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, p. 58 ; — *La phil. au moyen âge*, 1925, p. 48-49. — 2. **S. Anselmus**, *Proslogium*, c. 2, 3 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 252 ; — **Bréhier**, *Op. cit.*, I, p. 500 ; II, p. 252. — 3. **Descartes**, *Médit. V*e ; *Princip. phil.*, p. I, c. 14, 18 ; — cf. **Gilson**, *Commentaire du discours de la Méthode*, 1930, p. 347-354. — 4. *Monadologie*, *Nouveaux essais*, L. IV, c. 9,7. — 5. **Farges**, *Op. cit.*, 208-211. — 6. *Médit. III*e ; *Disc. sur la méthode*, 4e p. — 7. **Billuart**, *De Deo*, *Dissertatio* I, a. 3, § 1 ; — **Farges**, *Op. cit.*, p. 59-85 ; — **Villard**, *Ouvr. cité*, p. 70-145. — 8. Cf. *Revue de philos.*, 1er av. 1901 ; — *Revue thomiste*, an. 1895, p. 326.

THESIS

Hæc propositio « Deus est » demonstrari nequit argumento quod vocatur a simultaneo.

Prob. — Hoc enim argumentum duplici vitio laborat :

1° Est **transitus de genere ad genus.** Nam ex ordine mere ideali ad ordinem realem, vi solius principii identitatis, concludere non licet. Revera idea non adæquat factum ; esse non impossibile non adæquat existere ; et ideo asserere : *Idéal = Réel* est mera affirmatio, non autem probatio [1].

Nec dicas ideas nostras esse objectivas, ac proinde transitum de idea ad objectum reale esse saltum legitimum. — Equidem, ideæ nostræ *simplices* sunt objectivæ, cum a rebus ipsis abstrahantur. Ideæ vero *compositæ*, v. g., montis aurei, possunt esse fictitiæ, et earum objectivitas demonstratione indiget. Porro nemo non videt nostram ideam Infiniti esse valde complexam, non autem simplicem (Ont., n. 90, 92).

2° Est **sophisma quatuor habens terminos.** Nam adversarius — *a*) accipit vocem « existentiæ » duplici sensu, quando dicit : mea idea Entis infiniti continet existentiam. Continet quidem *notionem* existentiæ seu existentiam idealem, non autem *factum* existentiæ seu existentiam realem.

b) Item accipit duplici sensu vocem « possibilitatis », quando asserit cum Leibniz Ens infinitum esse *possibile* quidem, non vero esse *possibile* si non esset existens. Nam aliud est possibilitas *intrinseca* de qua in majore, aliud possibilitas *extrinseca* de qua in minore argumenti agitur ; prior in non-repugnantia terminorum consistit, posterior in eo quod aliquid possit ab agente fieri seu de potentia ad actum transmitti (Ont., n. 36).

His adde quod demonstrationes a simultaneo prorsus inutiles sunt adversus atheos qui affirmant illam notionem Dei esse mere idealem et fictitiam : « les êtres théologiques n'ont d'existence que dans l'esprit [2] ».

Objicit D. Bergson : idea nihili absoluti est contradictoria : ergo omne ens existit necessario ; ergo ex idea nihili probatur Ens necessarium.

Resp. Dist. ant. : idea nihili absoluti contradicit facto existentiæ alicujus entis, v. g., entis, quod eam cogitat, *conc.* ; est in se contradictoria, *nego.* — *Dist. cons.* : ergo quoddam ens necessario existit, *conc.* ; omnia entia sunt necessaria, *nego* [3].

1. **Sum. theol.**, I, q. 2, a. 1, ad 2. — 2. **Littré**, *passim*. — 3. **Farges**, *La philos. de M. Bergson*, p. 442-449.

14. Hinc A POSTERIORI probari debet existentia Dei.

Constat ex dictis ; nam « Deum esse neque immediata intuitione percepimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori [1] » ; secus enim nullo modo cognosceretur.

Hæc via est *possibilis* et *naturalis*, *legitima* et *vere solida* :

A. — **Possibilis.** — Ut enim e rebus finitis ad Dei notitiam ascendere possimus, duo requiruntur et sufficiunt, adsit nempe nexus objectivus inter Deum et res finitas, in homine vero potentia quæ hunc nexum apprehendat. Sed hæc duo vera sunt : — I^um^ quidem : viget enim nexus objectivus, saltem quoad existentiam, inter effectum et causam suam immediatam, nam in nostra hypothesi creaturæ sunt proprii effectus Dei. — II^um^ etiam, nam homo præditus est intellectu per quem res physicas ut *contingentes* primum agnoscit, et naturaliter inquirit *rationem* earum in Ente necessario. Ergo potest homo « per ea quæ facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam », ad Deum via causalitatis pervenire [2].

Imo **naturalis**, dicente S. Thoma : « Naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit. Unde tantum se nostra cognitio naturalis extendere potest, in quantum manuduci potest per sensibilia..., et quia creaturæ sensibiles sunt effectus a causa dependentes, ex eis in hoc perduci possumus ut cognoscamus de Deo *an est* [3] ».

B. — Est **legitima.** — In tantum enim via a posteriori ad Deum legitime non duceret, in quantum principium illius seu causalitatis nullam haberet vim *transcendentalem.* Sed a priori dicendum quod, præter ontologicum (Ont., n. 166), transcendentem etiam habet valorem : constat enim notionibus quæ nullam involvunt imperfectionem, qualis est, v. g., notio causæ ideoque applicari possunt etiam enti perfectissimo seu Deo. Ergo hæc via legitime ducit ad Deum [4].

Et est vere **solida** : jam enim a nobis (Ontol., n. 166), in tuto posita fuit objectivitas ontologica principii causalitatis, eoque legitime uti poterimus : cumque in eo nitatur tota demonstratio existentiæ Dei, vim illius mutuabitur et metaphysicam habebit certitudinem [5]. — Notandum quod non quælibet, nostris diebus, nec tantum metaphysica, sed ex parte *scientifica* requiritur demonstratio Dei ut mentes contra varias objectiones, falsæ præsertim scientiæ, quæ hodie pullulant, roborentur, vel etiam ab eis liberentur [6].

1. **Thesis thomistica XXII^a^.** — 2. **Farges**, *Op. cit.*, p. 46-50. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 12, a. 12, c. — 4. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 179, 199, n. 25 et 29. — 5. **Farges**, *Op. cit.*, p. 26-58. — 6. **Farges**, *Op. cit.*, 19, 23, 35 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Op. cit.*, p. 62.

CAPUT SECUNDUM

DEMONSTRATIO EXISTENTIÆ DEI

15. Quot, quænam et qualia sint argumenta existentiæ Dei [1] ?

A. — Quoniam res finitæ, e quibus ad Deum assurgere licet, aliæ sunt materiales, aliæ spirituales, ex Cosmologia et Psychologia accipiemus argumenta. Unde duplex articulus : 1us de argumentis *Cosmologicis*, 2us de argumentis *Psychologicis*.

ARTICULUS I

De Argumentis Cosmologicis.

Ex contingentia rerum orbis universi, ope principii causalitatis, existentia Dei demonstratur. Porro innumera [2], sed, juxta S. Thomam, **quinque sunt** in mundo præcipua quorum contingentia facilius argui potest, nempe **motus**, **origo**, **natura**, **gradatio** et **ordo** rerum mundanarum. « Videlicet a rebus quæ moventur... [3] ». Sunt ergo quinque argumenta cosmologica ejusdem, juxta nos, generis et naturæ metaphysicæ (n. 10-14), quæ tamen communiter in *metaphysica* et *physica* subdividuntur. Hanc quidem subdivisionem, sed ad commoditatem tantum, retinemus.

B. — Quinque omnes viæ **duos terminos** habent et **medium :**

a) *Terminus a quo* est aliquod factum commune omni enti mundano, sc. omne ens mundanum est mobile, productum, contingens, imperfectum et ordinatum.

b) Ut *medium* adhibent principium causalitatis, sc. : huic facto assignanda est causa *et* quidem causa proportionata : unde transitus de uno termino ad alterum fit *duplici gressu*.

c) Ut *terminum ad quem*, concludunt ad aliquod attributum quod convenit soli Deo, sc. : causa proportionata hujus facti nequit esse nisi ens immobile, incausatum, necessarium, perfectum et ordinatorem.

1. Hæc argumenta fusius apud **Farges**, *Op. cit.*, p. 59 et suiv. ; — cf. **Gayraud**, in *Revue de philos.*, juill. et août 1908 ; — **J. Halleux**, in *Revue néo-scol.*, an. 1906-1907 ; — **Balthazar**, in *Revue néo-scol.*, 1907. — 2. **Sertillanges**, *Le catéchisme des incroyants*, I, p. 21. — 3. **Thesis thomistica XXIIa** ejusque Commentatores : **Hugon Mattiussi, Sertillanges** ; — cf. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 2e, ch. II, p. 370 et p. 226-243 ; — **Sertillanges**, *Les sources de la croyance en Dieu*, 1905 ; *Dieu* (édit. *Revue des Jeunes*), t. I, p. 339-347.

Notandum quod factum *prævium* consideratur ut ens, licet exempla ordinis sensibilis afferantur ; insuper quod in omnibus argumentis abstrahatur ab æternitate vel duratione temporali mundi : unde argumentatio formatur tota metaphysice in regione idearum.

C. — En **argumentum generale** quinque viarum :

Prævium : In hoc mundo existunt entia : mobilia, producta, contingentia, imperfecta et passive ordinata.

Viæ duplex est gressus : Atqui cum ens mobile, productum, contingens, imperfectum et passive ordinatum non habeat in se rationem sufficientem suæ existentiæ, habet hanc rationem in alio ente (1us *gressus*).

Sed hoc aliud ens nequit constituere hanc rationem nisi ultimo ipsum sit movens et non motum, producens et non productum, determinans ad esse et non determinatum sc. necessarium, dans et non accipiens perfectionem sc. ipsa perfectio, actu ordinans et non passive ordinatum sc. ipse ordo (2us *gressus*).

Terminus : Ergo existit illud ens, quod vocamus Deum.

§ I. — *De Argumentis Metaphysicis* [1].

Ia : Via motus seu fieri.

16. Quatenus probatur existentia Dei ex motu, etiam locali [2].

A. — Percelebris est et excellentissima **D. Thomæ argumentatio** : « Certum est et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo [3] » ; quæcumque autem moventur, ab alio non a seipsis moventur ; hic autem non est procedere in infinitum ; ergo quæ moventur in hoc mundo, supponunt Motorem non motum seu immobilem, quem dicimus Deum.

Prævium : *Aliqua moventur in mundo.* Motus enim est transitus quilibet de potentia ad actum ; porro nihil est sensibus magis obvium quam multiplex transitus iste ideoque motus, præsertim localis, sed etiam sive accidentalis seu quantitativus aut qualitativus (Cosmol., n. 58) sive substantialis per mutationem unius substantiæ in alteram sive in sensu latiori et metaphysico per transitum de potentia in actum. Ideo nil certius in scientia, quæ motum habet ut factum generale et fundamentale totius Universi ; nil altius

1. **J. Wébert**, *Essai de métaph. thomiste*, ch. XI. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 61-84. — 3. **Sum. theol.**, Ia, q. 2, a. 3 ; — **Aristoteles**, *Metaph.*, L. XIV, c. 7 ; — **Piat**, *Aristote*, 1903, p. 107-112 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, p. 67-78.

in metaphysica quæ divisit omne ens in potentiam et actum (Ont., n. 15).

Viæ 1us : *Quidquid movetur, ab alio, non a seipso movetur.* — « Nihil enim movetur, nisi secundum quod est in potentia ad illud ad quod movetur : movet autem aliquid secundum quod est actu. Movere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum : de potentia autem non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliud ens actu : sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet et alterat ipsum. Non autem possibile est quod idem sit simul in actu et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa : quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia sed est simul frigidum in potentia. Impossibile est ergo quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum. Oportet ergo omne quod movetur ab alio moveri. » — « Si ergo illud a quo moventur, moveatur, ab alio et ipsum moveatur oportet et illud ab alio, sicut, v. g., baculus non movet nisi per hoc quod est motus a manu » : unde in universum actus est prior potentia ; transitus de statu indeterminato ad statum determinatum debet fieri ab actu determinato ; quæ secundum se diversa sunt, sicut potentia et actus, non secundum se uniuntur successive sed ab alio. — Aliis verbis, nemo sibi dat quod non habet, vivente non excepto, animal enim movet seipsum in quantum una pars aliam movet, ultimo a natura sua movetur quam ab alio accepit.

Viæ 2us : *In moventibus non est procedere in infinitum*, sed dari necesse est motorem primum et non motum. Nam in omni serie motorum essentialiter inter se subordinatorum et actualiter agentium triplex est qualitative motor : primus qui producit motum seu movet non motus ; ultimus qui recipit tantum ; denique termini intermedii qui transmittunt motum et sunt simul moti et moventes. Hi autem, quotquot sint, unus aut mille, parvi refert, nam etiamsi daretur series *infinita* et *æterna* motorum intermediorum, contradictorium esset supponere intermedios sine extremis, secundos sine primo, derivatos sine principio a quo derivantur. Ergo in serie prælaudata datur motor primus et non motus. — Secus enim motus ille moventis intermedii moti esset sine ratione essendi, quia motus moventis moti sine primo motore esset

simul motus (quatenus est movens motum) et simul non motus (quatenus esset sine primo motore) [1].

Terminus. — *Datur motor primus non motus seu immobilis*, qui est fons totius motus : e cujus notione haud ægre erit transire ad notionem Actus puri, cujus essentia idem est ac existentia i. e., ad Esse per se subsistens (n. 18-5a, 45-IV).

17. B. — Idem **scientifice** et **ad hominem ex motu locali** *specialim* constat. Ad explicandam enim existentiam motus universi duplex affertur hypothesis, mechanica sc. et dynamica. Porro utraque prorsus insufficiens est, sine Primi Motoris interventu, ad explicandum motum orbis universi. Ergo sit Motor Primus.

1° **Si fides mechanistis** [2], materia est omnino passiva, ita ut corpora ab extrinseco quidem moveantur, ipsa autem non movent, sed motum foris receptum aliis corporibus tantummodo communicare valeant. Hæc autem absoluta passivitas corporum mundanorum magis ac magis arguit existentiam primi Motoris, nam, si singula sunt mere receptacula motus, vis impulsiva totius mundi ab extrinseco veniat oportet.

Nisi dicatur motum materiæ vel *necessario* incepisse, vel saltem *æternum* esse. — *Primum* autem contradictionem involvit : quod enim aliquando incepisse supponitur, profecto *necessarium* et *a se* dici nequit (Ont., n. 166). — *Secundum* non probat intentum, nam, etiamsi motus ab æterno supponeretur, cum etiam ab æterno materia per se sit, ex hypothesi, mere passiva, superest explicandum cur ab æterno moveatur.

Cæterum hæc motus æternitas contradicit scientiæ et rationi. — *Scientiæ*, saltem juxta plures auctores [3], nam, juxta leges mechanicæ generales, motus actualis indesinenter transformatur de actu in potentiam et paulatim tendit in finem (n. 19) ; quod autem finem habebit, non est necessarium et proinde ab alio causatur ; juxta vero doctrinas astronomicas satis communes (Cosmol., n. 117), orbis hodiernus non est nisi nebulosæ primitivæ certus gradus evolutionis, quæ certum habebit finem, ac proinde certum habuit initium [4]. — *Rationi* etiam, cui repugnat *sine primo motore* numerus etiam infinitus motuum necessario (n. 16), ut rotarum in horologio, subordinatorum : tunc enim non additur vis ad vim ut in collectione virium quarum unaquæque impar est ad effectum, sed transmittitur unica vis derivata a Primo motore, quæ sine ipso non habet rationem essendi.

2° **Si fides dynamistis** [5] et pluribus chimicis [6], materia non

1. Ita etiam aliqui recentes, v. g., **Janet**, *Le matérialisme contemporain*, 1875, p. 58. — 2. **Farges**, *Op. cit.*, p. 65. — 3. **Guibert-Chincholle**, *Les origines*, ch. II. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 66, 67, 98, 110, 112. — 5. **Farges**, *Ibid.*, p. 73 ; — **Sum. theol.**, I, q. 46, a. 2, ad 7. — 6. **Urbain** in *L'orientation actuelle des sciences*, 1930, p. 78.

est mere passiva sed activitate gaudet, vi cujus unum corpus, certis in adjunctis, aliud corpus movet, sc. ad minus vi attractionis et vi repulsionis.

Recte quidem, *vis* alterutra movet Universum, sed non est Motor Primus, nec motor sufficiens Universi [1].

1. Non est *Motor Primus*, — nam vis utraque materiæ non est necessario semper in actu, dum e contra per se tendit ad requiem partium in unicam massam. Ergo, loquendo metaphysice, per se indifferens est ad actum aut potentiam, nec habet in se rationem cur transierit olim de potentia ad actum, vel cur ab initio fuisset in actu potius quam in potentia [2].

2. Non est motor *sufficiens Universi* utraque vis, cujus ope in decursu temporum plures hypotheses astronomicæ inventæ sunt, v. g., Faye [3] et aliis [4], ad explicandam evolutionem totius universi, satis diversæ quidem, quæ tamen in hoc consentiunt quod universum duplici motu movetur, sc. motu locali ab astronomis descripto et motu evolutionis quo paulatim transit de potentia ad actum organisationis.

Quod sufficit et solum retinet philosophus, sic exinde arguendo : quidquid movetur ab alio movetur : sed materia et ideo totus mundus movetur ; ergo movetur ab Ente Immobili et supramundano, imo Creatore rerum quia in prædicta hypothesi et juxta adversarios motus ab ipsis rerum essentiis profluit et ideo a solo conditore naturarum produci valuit.

18. Objectiones contra 1am viam.

Obj. 1a contra *motum* : motus est apparens, non realis : ita Parmenides et idealistæ. — Resp. *negando* ex testimonio sensuum, *retorquendo* ex motu psychologico, quem concedunt.

Obj. 2a contra *motorem* : « Les choses étant mouvement, il n'y a plus à se demander comment elles reçoivent celui-ci [5]. »

Resp. *negando* hunc mobilismum universalem (Cosmol., n. 58).

Obj. 3a contra *alteritatem* moventis : ponderosum spontanee circa centrum terræ et omne vivens seipsum movet : ergo in neutro casu per alium.

Resp. utrumque *negando* ob influxum multiplicem Universi et etiam in vivente unius partis super aliam.

Obj. 4a contra *principium* : « ἀνάγκη στῆναι », sistere necessarium : mundus ab æterno movetur et una pars per aliam.

Resp. Ergo ab æterno movetur per aliud, saltem pars quæ movet alias, quin de facto bene distinguatur mutuus influxus [6].

Obj. 5a contra *immobilitatem* Primi motoris : movet, ergo movetur. — Resp. *neg. cons.*, nam Primus motor *ex se* habet actum quo movet.

1. *Congrès scientifiq. de Bruxelles*, 1894, p. 46 et 313. — 2. Cf. **D'Alès**, *Dict. apol.*, I, col. 1028. — 3. *Sur l'origine du monde*, 1884. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 78-82. — 5. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, 1930, p. 22. — 6. **Sertillanges**, *Les sources*,.., p. 71.

Inst. [1]. — Primus Motor forsitan cum Ente divino non identificatur ; ergo qui probat primum motorem, non probat Deum.

Resp. *Neg. ant.* Nam primus motor mundi esse *debet* : *a*) causa *extramundana*, mundo superior ; — *b*) causa immaterialis et *spiritualis*, cum quælibet materia sit iners et mobilis ; — *c*) causa *prima* ac proinde necessaria ; — *d*) actus denique non motus, nam operatio sequitur esse et modus operandi modum essendi, sed Deus movet sine transitu de potentia ad actum, ergo intrinsecus est sine mixtione potentiæ et actus, i. e., actus *purus* ut infra dicetur (n. 45) ac proinde infinitus. — *Dist. cons.* : qui..., non probat *immediate* naturam Dei, *conc.*, immediate ejus existentiam et mediate naturam, *nego* ; nam ex sola notione primi motoris non moti facile deducentur isti et alii præcipui characteres Divinitatis.

IIa : Via effectus.

19. Quatenus probatur existentia Dei ex serie causarum [2].

A. — **Ratio sic arguit** : invenitur in rebus mundanis series effectuum et ideo causarum efficientium interdependentium ; atqui nulla ex ipsis est causa efficiens sui ipsius, sed ab alia superiore dependet ; in serie autem causarum efficientium interdependentium non est possibile quod procedatur in infinitum ; ergo datur extra et supra seipsas causa, quæ ab aliis non pendet, quæ est incausata, sc. Deus.

Prævium : *Sunt causæ rerum efficientes ita, quatenus causæ, aliæ aliis subordinatæ ut unaquæque sit præcedentium effectus*, causæ vero subsequentium, eodem ferme modo ac rotæ quarum alia movetur ab altera. Inter quas numerantur non semper causæ univocæ quæ ab invicem sæpe dependent accidentaliter, sicuti, v. g., filius, qui sine patre generat, lampas semel accensa quæ sine igne lucescere pergit, statua quæ sine sculptore subsistit, bene vero multæ causæ analogæ, v. g., sol, terra, pluvia quæ requiruntur ad generationem et fructificationem arboris : causæ actualiter ab invicem dependentes in effectu producendo.

Viæ 1us. — *Nulla est causa efficiens sui ipsius*, quia sic esset prius seipsa, quod est impossibile. Sicque quidquid efficitur causatur ab alio a quo pendet et quoad esse et quoad causalitatem : non enim secunda causa causaret, si non esset et ipsa causata.

Viæ 2us. — *Non est possibile quod in causis efficientibus per se et essentialiter subordinatis procedatur in infinitum.* In hoc

1. **Farges** *Ibid.*, p. 68-73, 83-85. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 85-97 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 266-269 ; — **Sertillanges**, *Les sources*, ch. II, p. 33-78 ; — **Wébert**, *Op. cit.*, p. 311-327.

enim ordine causalitatis, quo fit regressus ex effectu A ad B, ad C, ad D..., requiritur omnino causa prima incausata: hac enim sublata, jam aliquis effectus, nempe primus *in linea recta*, esset sine causa efficiente, nec ideo explicaretur.

Nisi singulæ seriei unitates *in circulo* disponantur. — Quo in casu adesset circulus vitiosus, quia causa A, quæ producit B, C, D, E, ab iisdem etiam causaretur.

Nisi iterum contendere velis hanc seriem causarum *a parte ante* infinitam esse. — At series infinita nihil explicat, nam sicut, si mundus est æternus, « necesse est sempiternum motum a sempiterno moveri », ita, si series causarum esse posset infinita, quælibet ex eis, quia pariter est causata, requirit causam incausatam [1].

Terminus. — *Datur prima causa efficiens incausata* quæ est fons effectus seu entis producti: e cujus notione rursus assurgemus ad notionem Actus puri, cujus essentia idem est ac existentia, i. e., ad Ipsum esse per se subsistens (n. 45).

Dicit E. Le Roy: non datur series numerica effectuum aut causarum: ergo nec prima causa incausata: « Le morcelage, voilà toujours le principe d'erreur. Il n'y a pas des phénomènes juxtaposés numériquement, mais une continuité phénoménale hétérogène [2].

Resp. negando ant.: quod experientiæ, sensui communi et metaphysicæ contradicit.

Inst. — Si datur, causa prima vel est intramundana vel creatio est inintelligilis [3]. — Resp. negando 1um ex dictis (n. 10 B), admittendo 2um, quod est intelligibile (Cosmol., n. 113).

B. — **Scientia** sic procedit *ad hominem*: Cunctæ entium mundanorum series videntur habuisse initium; ergo præsupponere causam primam et improductam, quam dicimus Deum.

Constat **antecedens**: nam res *inorganicæ*, juxta theoriam astronomicam satis receptam, cunctæ ducunt originem ex primitiva nebulosa, cujus unum fragmentum per varias evolutiones tellurem nostram efformavit: imo durationem harumce evolutionum, ideoque ætatem telluris nostræ aut stellarum, computare licet [4]. — Res vero *organicæ* certo non existebant in initio terræ, cum adhuc terra tota ignita erat: ergo res omnes sive inorganicæ, sive viventes, non æternam existentiam, sed finitam, imo satis recentem habent originem [5].

Probatur *consequens* ex natura evolutionis mundanæ:

1. **Guibert-Chinchole**, *Les origines*, p. 154-157. — 2. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, p. 32, 39. — 3. *Ibid.*, p. 34.— 4. **P. Termier**, *La gloire de la terre*, 1922, p. 346-351. — 5. **H. Collin**, *De la matière à la vie*, 1926, p. 287-315.

1º Siquidem *evolutio quæcumque*, quia habet initium, supponit causam sui anteriorem et ultimo improductam, juxta axioma: « quidquid incipit ab alio incipit » (Ontol., (n. 156). Et « hæc via probandi primum principium esse, est efficacissima, cui resisti non potest. Si enim, mundo et motu existente sempiterno (n. 16), necesse est ponere unum primum principium, *multo magis* sempiternitate eorum sublata [1] ».

2º A fortiori *evolutio organica* Deum arguit; nam vita vel a materia propria sponte, vel ex astris fortuito delapsa, vel a Deo immediate ortum habuit: sed generatio spontanea experientiis scientiarum contradicit (Cosmol., n. 95-96); ex astris vero, ob frigorem vacui interstellarii absolutum (— 270º), nullum germen vivum decidere potuit; ergo sine interventu Causæ primæ apparitio vitæ in terris nostris explicari nequit [2].

Confirmatur, nam præfata rerum evolutio, sicut initium, ita, *testimonio doctorum, finem* habitura esset. Veniet enim dies, in qua vita omnis in orbe nostro evadet impossibilis, sive propter cessationem circulationis aquarum, variis ex causis meteorologicis et geologicis: sive propter obscurationem solis, qui ob deperditionem continuam luminis et caloris, tandem aliquando extinguatur oportet. — Præterea mutuæ attractiones (vulgo, les marées), quas in se invicem exercent orbes cœlestes, quotidie illorum rotationem retardarent. Motibus autem siderum paulatim retardatis, labentibus innumeris sæculis, luna in terram, utraque cum cæteris astris in solem prolabi et in unicam massam conflagrantem misceri debent. « Tous les corps du système, dit Wolf, se réuniront en une seule masse qui tournera sur elle-même encore pour un temps, mais finira par rentrer au repos relatif dans le milieu qui l'entoure [3] ». Tunc autem, nisi Deus novam materiæ communicet ἐνέργειαν, omnis motus cessabit in æternum [4] (Cosmol., n. 117, 159).

Hinc et uti vides, lucidior evadit prima et secunda via, si semel ex datis scientiæ removetur æternitas motus et vitæ; cæterum, utraque non est mere scientifica, sed vere metaphysica, utpote innixa notionibus numeri, quantitatis, causalitatis... quas mathematici e philosophia mutuati sunt.

IIIª: Via contingentiæ.

20. Quatenus probatur existentia Dei ex NATURA entium [5].

A. — Argumentum ex « possibili et necessario » **sic exponit S. Thomas**: « Invenimus in rebus quædam quæ sunt possibilia

1. **S. Thomas**, *In VIII Phys.*, lect. 1. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 90-93. — 3. **Wolf**, *Hypothèses cosmogoniques*, 1886, p. 99. — 4. **Farges**, *Ibid.*, 93-99. — 5. **Farges**, *Ibid.*, 99-117.

esse et non esse... ; impossibile est autem omnia quæ sunt talia esse... ; nec est possibile quod procedatur in infinitum in necessariis... Ergo necesse est ponere aliquid quod est per se necessarium [1]. »

Prævium : *Sunt contingentia in hac rerum collectione*, nam in ea quædam primo aspectu, imo multa, forsan omnia haberi debent ut non necessaria. Necessarium enim dicitur quod non potest non esse, sed, viventia nascuntur et pereunt, inorganica vero mutantur et varias induunt formas : utraque ergo *natura sua* æqualiter se habent ad existendum et non existendum et non existere concipi possunt. Ergo quædam, imo multa, forsan omnia, nempe generabilia et corruptibilia, quæ existunt in orbe terrarum, sunt transitoria et ideo contingentia : sic dicta bene, quia non semper nec necessario existunt, sed *contingit illis* esse.

Viæ 1us : *Non omnia sunt contingentia sed oportet aliquid esse necessarium in rebus.* Etenim quod possibile est non esse, quandoque non est, siquidem ens mere possibile existentiam a seipso habere non potest, quia possibilitas rei non est ratio sufficiens ejus existentiæ ; alioquin omnia possibilia existerent, quod falsum est, et quidem necessario, quod est contradictorium. « Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nil fuit in rebus ; sed, si hoc est verum, etiam nunc nihil esset, impossibile fuit quod aliquid inciperet esse ». Egregie Bossuet : « Qu'il y ait un moment où rien ne soit, éternellement rien ne sera [2] ». Oportet igitur ens quoddam, saltem unum, admittere necessarium, quod sit causa existentiæ pro aliis.

Viæ 2us : *In necessariis quæ habent causam suæ necessitatis, non datur regressus in infinitum.* Nempe, si illud necessarium *pro aliis* habet causam suæ necessitatis aliunde, i. e., in alio, et hoc in altero, et ita porro, daretur regressus in infinitum, quod est impossibile in necessariis sicut et in causis efficientibus. Ergo « necesse est ponere ens *per se* necessarium », — seu « aliquod primum necessarium, quod est *per seipsum* necessarium [3]. »

1. **Sum. theol.**, I, q. 2 et 3. ; — paulo aliter *Contra Gent.*, I, c. xv, n. 4 ; — **Suarez**, *Disp. Metaph.*, XXVIII, sect. I ; — **Monsabré**, *Conf. de N.-D.*, 1873 ; — cf. *L'exégèse de la « tertia via »*, in *Rev. de phil.*, 1932, p. 113 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 269-276 ; — **Gilson**, *L'esprit de la phil. méd.*, 1932, p. 67-86. — 2. *Connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. IV, n. 5. — 3. **Contra gent.**, I, c. 15, n. 4.

Nec dicant : *De facto ens contingens* ab æterno existit : ergo etiam et, saltem de facto, non habet causam : ergo est necessarium.

Resp. *Transeat ant.* [1], *nego Ium cons.*, siquidem ens contingens non habet in se rationem suæ existentiæ ; porro, sicut contingens, etiamsi infinities multiplicaretur, nunquam fieri valet necessarium, ita actualis insufficientia entis contingentis ad existendum, non minuitur per insufficientiam anteriorem, etiam æternam ; ergo, cum etiam ab æterno non existat a se, extra se causam æternam habeat necesse est : « le temps ne fait donc rien à l'affaire [2] », ut aiunt. — *Nego 2um cons.* : contraditorium esse ens contingens existere per se solum et sine alio jam diximus, contingentia enim, ut patet vi terminorum, sunt entia in quibus existentia ab essentia realiter distinguitur et est ei extranea, quæ igitur a seipsis existentiam habere non possunt, sed illam ab alio tenent.

Nec ex adverso : *res singulæ forsan sunt contingentes*, non ita earum collectio : « leur ordre, leur enchaînement ou leur succession » vel etiam « le flot lui-même, le jaillissement dynamique, la force productrice [3] » : hæc necessaria est.

Resp. Hæc vel sunt contradictoria vel redolent notionem divinitatis pantheisticam.

Terminus. — *Fons entis contingentis est ens primum per se necessarium* : e cujus notione rursus ascendere licebit ad notionem Actus puri (n. 45).

B. — **Scientia** contra præfatum argumentum sic : leges naturæ sunt necessariæ : ergo sunt ipsum ens necessarium.

Resp. *Leges* naturæ sunt necessariæ, *dist.*, — hypothetice et conditionaliter, *conc.* ; — absolute, *nego*, ex dictis in Cosmol. (n. 138). Revera, posita solis existentia, necesse est, v. g., ut luceat. Hæc autem necessitas est mere hypothetica, sol enim sine ulla contradictione posset non existere. Rursus hæc necessitas a certis conditionibus pendet, quæ deficere possunt, et revera aliquando deficient, cum sol extinguetur. — E contra, quod est absolute necessarium, v. g., duo et duo dant quatuor, bonum est faciendum, etc... a nulla hypothesi aut conditione dependet [4]. Ergo leges non sunt ens necessarium.

Inst. 1a. — Eadem permanet ἐνέργεια in orbe physico, juxta axioma : « Rien ne se perd, rien ne se crée ». Ergo saltem necessaria est ἐνέργεια et lex conservationis virium.

Resp. *Dist. ant.* Eadem semper est in mundo viventium ἐνέργεια, *nego* ; sunt enim multo plura viventia, multo plus cogitationis et libertatis hodie quam in initio mundi. — Eadem est in mundo physico-chimico, *subdist.*, quoad quantitatem, *conc.* ; quoad qualitatem, *nego* ; quippe ἐνέργεια actualis in potentialem indesinenter

1. *Revue thomiste*, an. 1897, p. 458. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 102. — 3. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, p. 30, 28. — 4. **Farges**, *Ibid.*, 106-109 ; — **Boutroux**, *De la contingence des lois de la nature*, 1905.

reducitur, quin tamen pereat (*loi de la dégradation de l'énergie*). — Hinc *nego cons.* ; quod enim ad res physicas sic restringitur et talem patitur degradationem, absolute necessarium non est [1].

Inst. 2a. — Indestructibilis est *materia*, cujus etiam pondus seu quantitas permanet invariabilis, sub variis transformationibus. Ergo materia est ens necessarium.

Resp. *Conc. ant.* ; *nego cons.* Non solum enim materia inexistens commode concipitur, sed per se, nec esse suum nec suas qualitates et determinationes habet, sed a forma substantiali. Quod autem ex natura sua est prope nihil, passivum et indeterminatum, non est ens necessarium [2] (Ontol., n. 87).

Præterea tota argumentatio duplici ratione generali confirmari potest. Etenim — 1° immutabiles leges naturales, ἐνέργεια aut materia indestructibilis, nullo modo existentiam Dei evertunt, sed potius ejus sapientiam arguunt. « Dieu n'avait-il pas le droit d'établir dans la nature des lois fixes et invariables ? [3] » — 2° De facto tamen, cum leges physicæ modi sint entium contingentium, induunt eorum contingentiam, et propter concursum aliarum legum, varias patiuntur exceptiones. Quod autem est tale, absolute necessarium dici nequit (Cosmol., n. 138).

IVa : Via graduum.

21. Quatenus probatur existentia Dei e gradatione entium [4].

A. — **Ratio sic** : Inveniuntur in rebus perfectiones diverso gradu ab ipsis participatæ ; sed participantes hujusmodi non habent has perfectiones ex sese sed ab alio perfectiore ; aliunde non est possibile regredi in infinitum in serie entium quæ participant has perfectiones ab alio ; ergo datur ens summe perfectum, quod est causa cujuslibet perfectionis participatæ [5].

Prævium : *Datur in mundo perfectiones in diverso gradu.* Revera, prætermissis *materialibus* ut calor, odor, etc., quæ in Deo esse non possunt, necnon *absolutis*, quæ nec magis nec minus habere valent, v. g., substantia, accidens, generatimque rerum speciebus, quæ in indivisibili consistunt, v. g. animalitas, humanitas, sunt aliæ perfectiones quæ suscipiunt magis et minus, nempe *simplices*, quæ nullam imperfectionem important sicut esse, vivere, imprimis *transcendentales* aut *absolute*, quæ omnibus conveniunt, v. g. unitas, veritas, bonitas, aut *relative*, quæ diversificantur ab objecto quod attingunt, sicut intelligere, velle, scientia, virtus. Sic

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 72, 98, 109 ; — cf. **Bruhnes**, in *La quinzaine*, 15 janv. 1897. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 111-114. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 114-117. — 4. **Thesis thomistica XXIIa** ; — **Farges**, *Ibid.*, 117-124. — 5. **Sum. theol.**, I, q. 2, a. 3 et q. 79, a. 4, c. ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 276-314 ; *Le sens commun*, p. 214-219 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, p. 83-90 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 153-157.

v. g., *essendi* perfectio per quatuor gradus, sc. ex mineralibus per plantas et animalia ad hominem usque ascendit, necnon innumeris gradibus in unoquoque regno constat.

Hujus entium scalæ imaginem habes in mineralibus quorum pondus atomicum diversificatur crescendo ab hydrogenio usque ad uranium (1 à 240), item in hierarchia numerorum, melius in arbore quæ varias in partes ramos alios aliis altiores extendit, generatim in multis quæ in eadem ratione entis analogiam tantum habent [1]. — *Brevi* : res hujus mundi possident perfectiones gradu limitato et variabili : sunt plus minusve veræ, bonæ, pulchræ... secundum naturam suam aut etiam tempora.

Viæ 1us. *Qui possident perfectiones gradu variabili et limitato non habent illas per essentiam* seu a se, sed ab alio perfectiori ad quem ordinem dicunt. Patet ex axiomate Ontologiæ (n. 21), sc. actus est prior quam potentia, ergo perfectum prius quam imperfectum ; sicut enim tota ratio potentiæ est in actu a quo determinari possit, ita tota ratio imperfecti in perfecto in quo formaliter vel eminenter est et cujus est participationis gradus (n. 61).

Enucleatius sic : hæc perfectio limitata vel est a se vel a subjecto suo vel ab alio. Atqui : 1° Non est *a se* : secus enim non limitaretur. Limitatur enim perfectio suo contrario, sua privatione, sua negatione, suo subjecto, sicut, v. g., scientia per errorem, per ignorantiam, per incapacitatem magistri aut subjecti recipientis, nunquam vero ab ipsamet perfectione simplici, quæ profecto, qua talis, nequit esse perfecta et imperfecta. Limitatur quidem intrincese et *ex seipsa* perfectio materialis, non vero transcendentalis cujus conceptus imperfectionem non implicat, quæ ex seipsa una est nec multiplicari aut limitari valet nisi per principium illi extrinsecum in quo diverso gradu recipi potest.

2° Non est a *subjecto*, quasi hoc per essentiam haberet prædictam perfectionem : secus iterum, cum essentia consistit in indivisibili, si esset perfectio, esset pariter indivisibilis et illimitata. Qui enim possidet per essentiam propriam et individualem seu a se perfectionem aliquam, possidet illam totaliter, perfecte, ita ut a nullo alio possideri possit : sic, v. g., essentia Socratis qua talis, i. e., qua Socrates est hic homo et non alius, a solo Socrate possidetur totaliter et perfecte et a nullo alio participatur quocumque gradu.

Si igitur quædam perfectio simplex invenitur in pluribus vel in uno limitative, nec istud nec illa habere *ex se* hanc perfectionem possibile est, sed ab altero et per participationem est prædicta perfectio, quam recipit tantum et limitat subjectum.

1. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 281, 299 ; — **H. Joly**, *La preuve des degrés d'être.*

Viæ 2æ. — *Non est possibilis regressus in infinitum in serie entium quæ perfectionem diverso gradu participant,* quam. cum ab alio habent, ab ente quod perfectionem habet *per se*, tandem aliquando recipiant necesse est. « Quod enim dicitur maxime tale in aliquo genere est causa omnium quæ sunt illius generis [1]. »

Terminus. — *Datur Ens summum, quod est fons et causa cujuslibet perfectionis in rebus omnibus.* E cujus notione assurgere possumus ad notionem Actus puri : ens enim quod posset transire a potentia ad actum seu ex imperfectione ad perfectionem non esset perfectum. Sed actus purus est ipsum esse subsistens « et hoc dicimus Deum [2] » (n. 45).

B. — **Nec arguant ex scientia** : magis ac minus dici tantum de rebus quantitativis, — ideo illud ens supremum esse mere ideale — vel saltem imperfectum [3].

Nam, — 1° etsi magis et minus proprie dicuntur de quantitate, analogice tamen vere dicuntur de qualitatibus, quarum perfectio est major aut minor. — 2° Res concretæ per causas abstractas male explicantur : et sane rivuli aquarum a fonte ideali non ducunt originem [4]. — 3° Quod concipitur tanquam causa omnium perfectionum sive existentium, sive possibilium imperfectum esse non potest, sed inexhaustum, omnemque plenitudinem entis contineat necesse est.

Confirmatur auctoritate, nam hoc argumentum Socrates et Plato, S. Augustinus et D. Thomas, Bossuet et Fenelon luculenter exposuerunt ; — quod etiam spiritualistæ recentes : v. g., Saisset, Cousin enixe propugnant, imo quod evidentia gaudere, axiomatum instar, immerito tamen, volunt.

§ II. — *Argumentum Physicum* [5].

Va : Via ordinis.

22. Quatenus probatur existentia Dei ex ORDINE Universi.

A. — Argumentum ex ordine mundi desumptum varie a

1. **Sum. theol.**, I, q. 2, a. 3. — 2. *Ibid.* — 3. Ita **Bertauld**, *De l'existence de Dieu*, 2 vol. 1883, I, p. 99 ; — **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, p. 44. — 4. **Monsabré**, *Conf.* de 1873, p. 158. — 5. **Farges**, *Théorie fondam.*, 3e part. ; — *L'idée de Dieu*, p. 125-189 ; — cf. **Plato, Aristoteles** ; **Tullius**, *De natura deorum* ; — **SS. Patres** ; — **Kepler, Copernic, Newton, Euler** et **Leibniz** ; — **Fénelon** et **Bossuet**, *Op. cit.*, — **Clarke**, *Traité de l'existence de Dieu*, 1705 ; — **B. Nieuwentyt**, *L'existence de Dieu démontrée par les merveilles de la nature*, 1725 ; — **Chateaubriand**, *Génie du Christianisme*, 1802 ; — **P. Janet**, *Les causes finales*, 1876 ; — **Ch. Lévêque**, *Les harmonies providentielles*, 1872 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 314-338 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 157-162 ; *Les sources*, p. 78-134 ; *Dieu ou rien*, 1933 ; — **Aimé Forest**, *La métaphysique du concret*, 1931, p. 285-290.

variis **denominatur.** — Dicitur *physicum*, quia ex ordine mundi physico et sensibili, non a rerum natura metaphysica, sicut cætera quatuor (n. 15), exordium sumit. — Nuncupatur *teleologicum*, e verbo τέλος, finis, seu « argument des causes finales » : nam ex fine præsertim dignoscitur ordo. — Denique per antonomasim vocatur etiam *cosmologicum* et *theologicum* : non est enim via aptior ac ista, quæ sive rudem, sive doctum, ad existentiam et naturam Dei ducere valeat.

B. — **His verbis exprimi** solet : — In hac aspectabili rerum universitate splendet ordo mirabilis ; sed ordo ille conspicuus opificem summa intelligentia præditum, imo summe sapientem prædicat ; ergo existit Ens summe intelligens, a quo res omnes aptissime ordinantur : « et hoc dicimus Deum [1] ».

Hinc duo probanda veniunt : *existentia* et *ratio* ordinis.

23. Constat major argumenti seu ORDINIS EXISTENTIA [2].

A. — S. Thomas sic exponit **factum prævium** : « *Videmus quod aliqua quæ cognitione carent, sc. corpora naturalia, operantur propter finem* », *ergo cum ordine*, quia finis est principium ordinis. Ideo quod agentia naturalia cum ordine operantur probari posset a *priori* ex principio finalitatis (Ont., n. 168) : supradictum enim fuit omne agens agere propter finem intrinsecum, secus non daretur ratio cur agat et agat tali vel tali modo. — Sed finalitas illa, quæ est « ordinis et perfectionis expressio [3] », speciatim elucescit, sive spectes *individua* quibus orbis conflatur, sive *nexum* quo res inter se uniuntur, jamque in singulis finalitatem, ut aiunt, *intrinsecam*, — quod nobis, ut ipsi Angelico in Summa theologica sufficit — sed etiam in omnibus *extrinsecam*, in utrisque igitur ordinem sapientissimum miraberis (Cosmol., n. 140).

I. — Ecquis, quin stupeat animo, serena nocte, cum cæteros mortales sopor obruit, cœlum contemplari possit ? Ecquis sine lætitia auroram diei prænuntiam, montium cacumina roseis coloribus tingentem, et denique solem ipsum, naturæ decus et quasi principem, in cœlum gradientem aspiciat ? Ecquis sine grata mente, terram frugiferam et mare piscibus pullulans, mineralium varietatem, miram vegetalium et animantium structuram, hominisque corpus diversis instructum organis et animam cum suis facultatibus intueri queat ?

Hæc miratur vulgus, sed altior est Doctorum admiratio,

1. **Sum. theol.**, I, q. 2, n. 3. — 2. **Farges**, *Ibid.*, n. 127-164 ; — cf. **De Saint-Ellier**, *L'ordre du monde physique*, 1893. — 3. **Mercier**, *Manuel*, *Mét. gén.*, ch. IV, § 3.

qui in Astronomiæ, Geologiæ et Paleontologiæ, Chimiæ et Physicæ, Biologiæ, sc. Botanicæ, Physiologiæ et Historiæ naturalis, scrutandis phænomenis diu noctuque versantur.

Age vero ! 1. Nescis *orbes planetarum* ingentes cum satellitibus suis, numero 256, imprimis tellurem nostram cum luna, ordine inconcusso, volvi circum solem, a quo vitam mutuantur : solem ipsum circa axem girari cum reliquis astris : systemataque similia stellarum, spatio et numero pene immensa, miro ordine, in vacuo ethereo suspensa, moveri nonnisi « ab Incomprehensibili Movente Primo, Ente Entium, Causa causarum, Custode Rectoreque Universi, mundani hujus operis Domino et Artifice [1] » ?

2. — Nescis prædefinitas *atomorum* affinitates, proportionum leges quæ combinationibus chimicis ordinate præsunt, ita ut motus atomorum in singulis moleculis, motibus planetarum in systemate solari comparari potuerint ? Nescis et regularitatem varietatemque in formis crystallorum ?

3. At stupenda magis in mundo *viventium* : imprimis evolutio ovi, ex quo viventium organismus totus exsurgit, unusquisque juxta speciem suam, quasi ab intelligenti manu regeretur. — Singula perpendas !

« Maximus in minimis cernitur esse Deus. »

4. En *flores* campi. Horum exstant centum millia specierum ; in singulis elegantissima structura, varii colores, supra modum mirabilis sive ars qua multiplicantur, sive numerus granorum, quibus magis ac magis pullulant.

5. Ecce organismi *animalium* [2]. A simplici cellula cuncti oriuntur ; sed quam mire gradatim diversificentur, nemo imaginari potest, nisi descriptiones scientificas Doctorum perlegerit.

6. Quid præsertim de *corpore humano* ? — Quid, v. g., de *manu* ? « Digitorum contractio facilis : itaque ad pingendum, ad sculpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est ; atque hæc oblectationis ; illa necessitatis : cultus dico agrorum, extructionesque tectorum, tegumenta vel texta, vel suta, omnemque fabricam æris et ferri [3]. » — Quid de *aure* ? Hæc, instrumenti musicorum instar, sex mil-

1. Paroles de **Linné** au frontispice de son « *Systema naturæ* », cf. *Etudes*, 3 nov. 1866, p. 331. — 2. **Vialleton**, *L'origine des êtres vivants*, 1929, p. 313 ; *Membres et ceintures des vertébrés tétrapodes*, 1924, p. 608-612 ; — **Goblot**, *Traité de logique*, p. 222-223. — 3. **Tullius**, *De natura Deorum*, II, n. 40.

libus fibrarum coalescit (fibres de Corti) quarum ope 5376 intervalla seu varietates sonorum nobis percipere fas est [1]. — Quid de *oculis* ? « Interpretes ac nuntii rerum, in capite tanquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt [2] ». Hi scilicet, sicut grandia naturæ spectacula in uno conspectu, ita et minutissima rerum distincte capiunt : « Chaque millimètre carré de la rétine peut reproduire distinctement 30 ou 40 mille points d'un objet donné [3]. »

7. Nec prætermittas *inclinationes* seu *instinctus* animalium. Alii quidem ad conservationem individuorum, alii vero ad propagationem speciei, alii tandem ad quamdam formam societatis ineundam pertinent [4]. Nam singula animalia, statim a nativitate et etiam prima vice, operationes perdifficiles exsequuntur, quarum rationem nonnisi post longum tempus, doctissimi hominum agnoscere valent (Cosm., n. 81 ; Psych., n. 45-49).

8. Quid tandem de *homine* ? in ipso intelligentia clarescit.

II. — Insuper hæc omnia *triplici nexu* inter se mire colligantur.

Imprimis enim alia aliis succedunt, et gradibus perfectionis ita concatenantur ut entia superioris ordinis perfectiones ordinis inferioris possideant, quin ullum inter ea invenias hiatum, sed cum unitate mira consistat varietas : et hic est nexus *ontologicus* in ordine statico coordinationis (Ontol., n. 67).

Præterea, omnes partes orbis physici mutuo suarum actionum influxu ita cohærent, ut unum stabileque systema, quem universum, quasi versus unum, appellamus, efficiant. Nam animalia vegetalibus aluntur, vegetalia mineralibus ; tellus autem cunctaque sidera, vi gravitationis universalis « tanquam vinculo circumdato colligantur [5] ». Et hic est ordo *dynamicus* subordinationis.

Denique aptissima est rerum dispositio, tum ad finem unius entis particularem, cum ad finem cujusque partis, tum ad finem naturæ generalem ; inde clarescit ordo *teleologicus* coaptationis [6]. Unde particulares ordines, in diversis entium speciebus explorati, sub uno generali ordine continentur, et ope legum universalium tendunt ad eamdem causam finalem, quam extra physicum orbem inquirere cogit tanta finalitas extrinseca, post intrinsecam (Cosmol., n. 140).

24. Constat minor argumenti : ORDINIS RATIO Deus est.

Via. — Revera finalitas unius rei interna jam sufficienter arguit intelligentiam : unde a fortiori ex ordine illo mirabili

1. **Pizon**, *Anatomie et physiologie humaine*, 1925, p. 239-241. — 2. **Tullius**, *Ibid.*, L. II, n. 56. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 142. — 4. Cf. **Fabre**, *Souvenirs entomologiques*, 1879-1907. — 5. **Contra gent.**, III, c. 97 ; — **Tullius**, *Ibid.*, L. II, n. 45. — 6. *In I Sent.*, dist. XLVII, q. 1, a. 4 ; — **Sum theol.**, I, q. 44, a. 4 ; — **Vialleton**, *L'origine...*, p. 316.

totius mundi concludere possumus *directe* ad causam Intelligentem, imo summe intelligentem, *indirecte* vero ad *Infinitam*.

I. **Directe duplici gressu : 1[us].** — *Hic ordo supponit causam intelligentia præditam.* Etenim, ut patet, ordo naturæ tria importat : multiplicitatem sc. et connexionem in rebus ordinatis, unitatem in fine et leges generales ad finem assequendum ; ea autem relatio partium ad totum et mediorum ad finem est quid immateriale ; ergo necessario supponit ordinatorem intelligentia præditum et ab ordinatis distinctum. — *Sin aliter*, essent effectus sine ratione sufficienti ; est enim solius entis intelligentis res diversas et sæpius ratione carentes, indifferentes ex sese ad hoc vel illud, ad finem communem ordinare, necnon statuere leges quibus finis ille comparetur : « Ea quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante [1] » (Ontol., n. 68, 167-170).

2[us]. Prætera *Prima Causa ordinis est summe intelligens.* Et vero, ut ens quoddam res mundanas ordinare et ad se tanquam ad finem ultimum dirigere queat, necesse est ut sit summe intelligens ; perfectio enim causæ efficientis ex perfectione et difficultate effectus probatur. Porro, etsi non infinita, miranda est ordinatio rerum, maxima unitas et varietas in rebus prope infinitis, stupenda mysteriorum naturæ altitudo et immensitas, constantissima legum universalium colligatio, et pulcherrima visu compages quæ, in rebus etiam infimis, inveniuntur. Ergo *directe* et lucidissime colligitur primum ordinis auctorem summa saltem intelligentia esse præditum. — Eo quidem magis *quod in causis intelligentibus essentialiter subordinatis non proceditur in infinitum*, quia, si plures causæ sunt et ordinatæ, ordinatæ essent sine ratione, si non esset primus ordinator.

II. — **Indirecte** vero, et saltem cum maxima probabilitate, deveniendum est **ad causam infinitam.** — *Imprimis* enim sedulo notandum est ordinem de quo agitur, naturis rerum non accidentalem esse, sed essentialem. Ergo primus ordinator non solum ordinem instituit, verum etiam essentias ex quibus talis defluit ordo, creavit : ergo, ut creator, sit infinitus (n. 111), ergo, ut ordinator rerum in essentia et existentia, sit ipse existentia et essentia non mixtus. — *Præterea* videtur elegisse

1. **Sum theol.**, I, q. 2, a. 3 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 334-338 ; — **Sertillanges**, *Les sources...*, p. 111-114.

inter quemlibet ordinem metaphysice possibilem : quapropter, omnes possibiles legum collationes, quinimo futuras hominem liberas actiones prævidere debuit ; sed prævisio omnium possibilium eventuum atque actionum liberarum infinitam intelligentiam necessario postulat, quam nominamus omnes Deum.

Terminus. — *Datur prima intelligentia ordinatrix, imo perfecta, quæ est fons entis ordinati.*

Confirmatur auctoritate philosophorum, sive veterum, sive recentiorum, qui argumentum physico-teleologicum stylo pereleganti exposuerunt : v. g., Tullius [1], S. Athanasius [2], Fenelon [3], et alii.

25. B. — Hinc vana est ordinis negatio aut alia explicatio [4].

I. — **Negatio.** — *a*) Sunt enim qui ordinem in mundo dicunt mere subjectivum, quippe sunt in eo inutilia, nociva ut viperæ, imo monstra et in ordine morali malitiæ multiplices et peccata : ita sceptici, fatalistæ et pessimistæ.

Quibus libenter concedimus finalitatem *extrinsecam* et in particulari sæpe nos fallere, ast in universum agnoscitur tum sensu communi, tum scientia, tum ipsis adversariis qui, exceptiones allegando, regulam confitentur. — Interim inconcussa manet finalitas *intrinseca* (n. 23-A).

b) Sunt alii qui ordinem mundi et finalitatem negant quia determinismus sufficit ad utriusque explicationem.

Sed in hoc decipiuntur : ipse enim determinismus est signum finalitatis et alicujus intentionis. Vox ipsa « determinatio » significat proprietates naturæ habere terminum ad quem *in... tendunt* : aliunde terminus ille non est quicumque relative ad agens, sed vere ejus bonum, ejus perfectio, ratio propter quam agat vel transeat de potentia ad actum et ideo ejus finis [5].

II. — **Explicatio quadruplex alia** affertur ab adversariis qui prælaudati ordinis existentiam non negant, sed tanquam effectum vel a *casu*, vel a *necessitate*, vel ab *evolutione* rerum *passiva*, vel ab evolutione *activa* derivare contendunt. — Harum vero causarum nulla est sufficiens et proportionata ad tantum effectum, nempe ordinem universi, explicandum :

1° **Non casus**, ut voluerunt antiqui [6]. Casus enim non explicat — *a*) elementorum originem ; — *b*) nec illorum motum et activitatem ; — *c*) nec ipsum casum, nam casus non est aliud ac convergentia fortuita causarum efficientium

1. *De natura Deorum*, L. II, n. 6, 7, etc. — 2. *Orat. contra Gent.*, n. 35. — 3. **Fénelon**, *Traité de l'exist. de Dieu*, ch. II. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 164. — 5. **Meyerson**, *De l'explication dans les sciences*, p. 231-268. — 6. **Farges**, *Ibid.*, p. 166.

sed, si non daretur causa finalis, causæ efficientes non agerent et impossibilis fieret earumdem concursus, etiam accidentalis ; — *d*) nec, etiam his datis, non concessis, ordinem mundi, nam adaptationes a casu productæ sunt elementares et raro obtinentur, dum adaptationes in ordine mundi suppositæ sunt perfectissimæ et implicatissimæ, constantes et uniformes, ita ut monstra et accidentia sic vocari non possent, si non existeret ordo (Ont., n. 167-170).

2° **Non necessitas** [1]. Hæc enim necessitas duplex est sicut possibilitas : *intrinseca* et *extrinseca*, prout importat exigentias naturæ alicujus entis vel destructionis impossibilitatem ab aliquo agente exteriori, et rursus hæc necessitas extrinseca duplex est : *absoluta*, i. e., relative ad quemcumque agentem vel *relativa*, i. e., relative ad talem vel talem causam. Porro necessitas de qua loquuntur est extrinseca et relativa : objiciunt enim homines non posse materiam nec illius leges destruere. Sed non sic probatur necessitas intrinseca materiæ : unde : 1. Nihil est in mundo necessarium, nec materia, nec leges quibus ipsa regitur, ut supra diximus (n. 20) ; ergo necessitas non est *intrinseca* naturæ. — 2. Sublato Deo, impotente homine, quænam erit hujusmodi causa *extrinseca*, quæ mundi ordinem necessario producat, non liquet. Ergo neutra est.

Objicit D. Bergson : Idea rerum sine ullo ordine (l'idée du désordre) est contradictoria, nam res non possunt coexistere sine modo coexistendi. Ergo ordo rerum est necessarius [2].

Resp. Nego ant. Ad *rationem* allatam *dist.* : coexistentia rerum implicat aliquem modum coexistendi, *conc.* ; talem modum bene ordinatum potiusquam alterum non ordinatum, *nego*. Ergo ordo hujus mundi non est necessarius, sed contingens.

Instant, sicut olim Epicurei, *ex calculo probabilitatum*, sic : Ordo actualis universi est una inter omnes, infinitas numero, combinationes atomorum possibiles ; aliunde numerus instantium proindeque combinationum in decursu temporum est pariter infinitus ; ergo combinationem actualem tandem evenire oportuit. — Confirmatur exemplo Æneidis, cujus characteres, si toties in terram jactarentur, quot sunt combinationes possibiles, aliquando in hanc formam Æneidis devenirent.

Resp. a) *Transeat* totum. Ergo, in casu 2°, 3° et 4° subsequenti, existit causa quæ atomos produxit, vi cujus atomi per vacuum agitantur, et quæ sortes dirigit, sc. Deus.

b) *Nego ant.*, nam in tempore reali, proindeque finito, quale nunc fluit, numerus instantium proindeque combinationum non-

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 167. — 2. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 439 et seq.

nisi finitus est, præsertim cum singulis instantibus non necessario nova efficiatur combinatio, sed continuatio præcedentis, ut in hoc mundo patet.

c) *Nego cons.* Nam in serie etiam infinita sortium, non *omnes* possibiles combinationes apparere debent, sed simpliciores frequentius, complexæ autem eo rarius quo magis sunt intricatæ. Quod si infinite complexa et difficilis supponatur aliqua combinatio, omnino impossibilis evadet. Porro ita est de actuali ordine mundi. Nam si octo litteræ possunt 40320 situs relativos induere, quantus erit numerus combinationum atomorum totius universi ! Talis computatio superat vires hominis et angeli. Ergo combinatio præsens nec prima vice, nec secunda, nec unquam, sorte apparebit : « il y a l'infini à parier contre un [1] ».

d) *Nego paritatem*, nam, etiamsi sortes infinities repetitæ dare possint combinationes characterum Æneidis, — quod vix credibile est, — combinationes vero atomorum hujus mundi non in infinitum fuerunt repetitæ, nam derivantur a prima et cum ea vinculo causali deviciuntur, ita ut dici possit mundum evolutum fuisse primo ictu et unico tenore.

3° **Non evolutio passiva** *seu mechanica* [2]. Juxta quosdam Darwinistas et plurimos evolutionistas, v. g., Hæckel et Spencer, ordo passive producitur a causis extrinsecis, ut sunt influxus locorum, elementorum, aliorumque mediorum.

Resp. Aliquot effectus in natura ordinati hoc modo explicari possunt, *conc.* ; omnes, *nego*.

Sic, v. g., adaptatio alvei fluminis suis aquis, mechanice explicatur mutua actione aut resistentia aquarum et alvei, nec requiritur alveum effossum et adaptatum fuisse ante transitum aquarum. Hæc autem adaptatio mechanica necessario supponit præsentiam mutuamque actionem utriusque termini adaptandi ; unde dicitur *ordo resultans*. E contra, permultis in casibus, v. g., in evolutione ovi, oculus, absente lumine, lumini futuro adaptatur ; item aures, os, stomachus, mamillæ, cæteraque organa ad res futuras præformantur. Ergo talis ordo non est resultans ex mechanica adaptatione terminorum, sed ex *præordinatione naturæ* et *intentione finis*.

4° Tandem **nec evolutio activa**, quam inducunt quidam naturalistæ, v. g., Hegel, Schelling, Schopenhauer et Strauss [3], et ipse Bergson. Juxta eos, non intellectus, sed *vis cæca* naturæ mirabiles ordinis effectus evolvit : nec mirum esse debet, siquidem, inquiunt, mirabiles instinctus animalium necnon ingenii subitæ inventiones nullam supponunt reflexionem : « Il y a une troisième hypothèse, celle d'une raison immanente [4] ».

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 168-172. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 172-180 ; — **Barbedette**, *Hist de la phil.*, n. 526 ; — **Guibert-Chincholle**, *Les origines*, p. 348-352. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 180-186 ; **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 471 et seq. — 4. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, p. 43.

Resp. Hæc producit vis cæca, *secunda* et sub motione agentis sapientissimi, *conc.*; *prima* et a seipsa operans, *nego* : hoc enim implicat contradictionem aut sapit pantheismum.

Exempla vero quæ afferuntur nihil probant ; nam 1° — Instinctus cæcus non est rerum ultima explicatio, cum sit et ipso explicandus. Cujus autem una est explicatio ; nam, sicut infantibus parentes varias inculcant dispositiones quibus postea ad virtutem colendam etiam inviti ducuntur, ita Deus tribuit animalibus notitias et inclinationes, quibus sponte trahuntur ad agendum secundum suam naturam (Psych., n. 47 ; — Cosmol., n. 82). 2° — Inventiones vero ingenii, gallice « les traits de génie », non sunt actus cæci, sed econtra intuitiones intellectus, quibus post longiora ratiocinia repente veritas illucescit.

Confirmatur, nam, sublata causa intelligente ab initio rerum, sequitur hoc absurdum, sc. intelligentiam esse terminum evolutionis cæcæ : « Quelle plus grande absurdité qu'une fatalité aveugle qui aurait produit des êtres intelligents [1] ! »

Existit ergo Ens summe intelligens, quod omnia quidem prævidit et ordinatos effectus decrevit, licet quædam accidentia vel monstra indirecte permiserit [2].

Hinc — 1. Constat finalitatem inconsciam supponere Intelligentiam ; imo partialiter consciam requirere Intelligentiam perfecte consciam [3] (n. 21 ; — Ont., n. 68, 167).

Hinc — 2. Indirecte probatur universalitas principii finalitatis : *omne ens suum habet finem ad quem ordinatur.*

26. COROLLARIUM

Colligitur ex dictis ORDO et SYNTHESIS totius demonstrationis.

A. — **Ordo generalis** : nam adfuit in ea progressus quoad terminum a quo, nempe a signis evidentioribus contingentiæ ad profundiora signa et quoad terminum ad quem, i. e., a necessitate causæ primæ in 1ª, 2ª, 3ª via ad perfectionem causæ primæ in 4ª et 5ª via, ita tamen ut in singulis viis eodem processu inductio disponatur (factum, duplex gressus seu principium) et terminetur ad aliquod attributum in quo implicite continetur Deus seu Ens cujus essentia est idem ac existentia, i. e., Ipsum esse per se subsistens.

Sed etiam **particularis ordo** : imprimis enim *quoad signa* contingentiæ ascendimus in *prima* via ab ente in fieri seu in motu ad Fontem τοῦ *fieri* seu motus, i. e., ad primum Motorem non motum, et in *secunda* via ab ente producto aut conservato, v. g., ab ente quod incipit esse ad Fontem entis

1. **Montesquieu**, *L'esprit des lois*, L. I, ch. I. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 185-189. — 3. **M. Couailhac**, *La liberté et la conservation de l'énergie*, in *Etudes*, tom. 76e, p. 765.

causati, i. e., ad Primam causam incausatam. — Dein *quoad ipsam* contingentiam, quæ manifestatur præsertim in entibus quæ generantur et corrumpuntur ascendimus in *tertia* via ad Fontem entis contingentis, i. e., ad Ens necessarium. — Tandem quoad *notam intimam* contingentiæ, ascendimus in *quarta* via a quacumque multiplicitate composita et imperfecta ad Fontem entis multiplicis, compositi, imperfecti, id est, ad ens unicum, simplex et perfectum, et in *quinta* via a multiplicitate ordinata ad Fontem entis ordinati, i. e., ad Primum Ens intelligens.

B. — Ecce **resolutio synthetica** totius demonstrationis :

Prævium : videmus entia magis ac magis perfecta ;

Via : atqui, cum ex nihilo nil fit, plus non producitur a minori, sed contra imperfectum a perfectiori ;

Terminus : ergo existit Primum Ens perfectum quod habet in se rationem suæ existentiæ, sc. Ens per se subsistens.

Patet autem ex omnibus hucusque dictis quinque vias ad unam reduci posse quæ est via contingentiæ ad causam necessariam (n. 10-20) [1] ; — hanc viam autem esse metaphysicam et solidissimam, nempe funditus innixam principio causalitatis ; — in scientiis tamen fundari, nam argumentatio nostra, ut videre est in singulis quinque viis, data scientiarum cuncta recipit et quod explicare non valent, sola et luculenter explicat [2] ; — ergo et uno verbo existentiam Dei nec extra rationem nec extra scientiam esse ablegandam.

ARTICULUS II

De Argumentis Psychologicis [3].

Sicut mundus, ita mens humana et ipsa *movetur*, *originem* habet, et, licet contingens, *necessarias* elicit ideas ; præterea *anhelat* ad summam perfectionem, et *ordine morali* regitur. Exinde colliges quinque nova argumenta existentiæ Dei, subtiliora quidem aut posteriora, sed similia prioribus : sunt enim applicationes quinque argumentorum fundamentalium.

27. Iª Via. — Probatur existentia Dei ex MOTU SPIRITUALI [4].

A. — **Argumentum generale.** Est in anima multiplex motus : hujus autem causa ultima nonnisi Deus est. Ergo Deus existit.

1. **Sertillanges**, *Les grandes thèses...*, p. 58-59. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 85. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 190-220 ; — **Abbé de Broglie** († 1896), *Preuves psychologiques*. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 191-197.

Major est certa ex dictis in Psychologia. *Minor* etiam : anima enim vel ex seipsa, vel ab alio primum movetur. Sed seipsam primo movere nequit, nam ante primum actum est tantum in potentia, porro nihil movet nisi secundum quod est in actu. Ergo ab alio movetur.

Rursus autem hoc movens vel Deus est vel alia creatura. Si prius, causam habemus : si posterius, hæc creatura et ipsa a Deo ultimo moveatur oportet, nisi regressum ad infinitum inducere velis. Ergo tandem principium ultimum activitatis animæ Deus est.

B. — Hoc quidem argumentum **speciatim** urget quoad motum intellectus et quoad motum voluntatis.

1. Quomodo enim movetur **intellectus** ad suum primum actum ? — A seipso ? sed repugnat aliquem primo movere seipsum (Ontol., n. 157). — A voluntate ? Et sane intellectus et voluntas invicem se movent ; attamen, « non oportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu sicut in primo : omnem enim voluntatis motum necesse est quod præcedat apprehensio [1] », sed non vicissim (Psych., n. 138). — Ab objecto intelligibili ? Sed e contra est intellectus agens qui facit objectum intelligibile ; unde objectum intelligibile movet quidem intellectum possibilem, sed debet et ipsum moveri seu illuminari ab intellectu agente.

Rursus autem intellectus agens si aliquando ipse moveri debuerit, redit eadem difficultas. Ergo tandem a Deo, ut egregie concludit ipse Aristoteles : « Quid sit principium motus in anima ? Patet vero, quemadmodum in universo est Deus, sic etiam in anima : moventur enim omnia ab inexistente in nobis Numine: *κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν Θεῖον*. Intellectus autem principium non (est) intellectus, sed præstantius quidpiam est. Quid autem et scientia præstantius est et ratione, nisi Deus [2] ? »

2. Quomodo etiam movetur **voluntas** ? — cujus profecto Deum esse primum motorem jam probavimus (Psych., n. 124, 125) sed et infra confirmatur (n. 121).

Brevius, ad instar Cartesii : « Cogito, volo, ergo Deus est. »

28. IIª Via. — Probatur existentia Dei EX ORIGINE ANIMARUM [3].

Inest singulis hominibus anima spiritualis et ideis universalibus prædita : sed talis et sic ideis instructæ animæ origo sine Deo explicari nequit. Ergo Deus existit.

Major probata manet ex dictis in Psychologia (n. 97, 181-5).

1. **Sum. theol.**, I, q. 82, a. 4, ad 3. — 2. *Moral. Eud.*, L. VII, c. 14, § 22. — 3. **Sertillanges**, *Les sources*, p. 141-150 ; — cf. *Revue des Jeunes*, 1932, p. 113 et seq.

Revera anima est spiritualis in suo *operari*, sc. in intellectionibus et volitionibus, quibus res universales et immateriales apprehendit et appetit. Ergo spiritualis est in suo *esse*.

Minor per partes duplici probatur enthymemate :

1º **Origo substantiæ per se subsistentis** sine Deo explicari nequit. Ergo Deus existit [1].

Probatur *antecedens*, nam animæ, quibus vivificatur materia, duplicis sunt generis : aliæ materiales, aliæ vero immateriales. Porro priores, cum sine materia subsistere vel operari non valeant, in materia præexistere virtualiter et « intus nasci in materia » possunt ; revera virtute seminis generantur. Posteriores autem, quarum esse proprium nihil habet corporeum, ideo in materia præexistere virtualiter et ex potentia materiæ educi repugnat. Ergo, cum a semetipsis non existant, *de foris* ab altero spiritu subsistente sint oportet, quem dicimus Deum... : quod ipse Aristoteles, licet modum originis animæ non dixerit, vi deductionis inferre cogitur : *Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ Θεῖον εἶναι μόνον* [2] (Psych., n. 233-234).

2º **Origo idearum universalium** in mente contingente sine Deo explicari nequit. Ergo Deus existit [3].

Probatur *antecedens*, nam, omisso empirismo, qui non explicat sed negat ideas universales, quadruplex superest sententia ad idearum universalium explicationem, nempe Ontologismus, Inneismus, Traditionalismus et Intellectualismus. Porro tria priora systemata explicite supponunt Deum, qui, si ipsis fides, vel ab intellectu immediate perspicitur, vel in eum infudit ideas, vel sermonem hominibus revelavit. — Qui vero postremam tenent sententiam, nempe scholastici, ad explicandam abstractionem idearum theoriam luminis divini in medium afferunt. Ergo et ipsi, licet non eodem modo, revera tamen Dei existentiam implicite confitentur [4].

Patet *consequentia*, nam ad apprehensionem etiam unius ideæ universalis duo requiruntur, virtus intellectiva et objectum intelligibile. Porro utrumque Deum supponit : — 1um quidem, nam hæc virtus animæ nostræ contingentis et mobilis, qua tendimus ad veritatem necessariam et æternam, non est nisi virtus partialis, mobilis et imperfecta ; sed « semper quod participat aliquid, et quod est mobile, et quod est imperfectum præexigit ante se aliquid quod est per essentiam tale, et quod est immobile, et quod est perfectum [5] ». Ergo « virtus intellectualis creaturæ, quasi a prima luce derivata est [6] » (n. 21). — 2um etiam : res enim contingentes non essent intelligibiles, nec in eis formas necessarias contemplari possemus, nisi conformes essent ideis divinis. Aliis verbis, nullum objec-

1. **Farges**, *La vie*, p. 188-192. — 2. **Aristoteles**, *De generatione*, L. II, c. 3. — 3. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 197-204. — 4. Cf. **Boyer**, *L'idée de vérité dans la philos. de S. Augustin*, 1921, p. 207-214. — 5. **Sum. theol.**, I, q. 79, a. 4, c. — 6. *Ibid.*, q. 12, a. 2.

tum intelligibile est, nisi verum sit : nihil autem verum est nisi divini Idealis habeat similitudinem [1] (Ontol., n. 57).

Nec *dicas* hæc conscientiæ impervia. — Hæc *quidem* divina idearum origo conscia non est, sed ratione infertur ex ipsarum genesi, alio etiam titulo ac Deus ex idea Infiniti (n. 12, B).

Existit ergo Deus, qui luce sua mentem hominis perenniter illuminat et dirigit, necnon objecta reddit intelligibilia [2].

29. IIIª Via. — Prob. Deus e necessitate absoluta VERITATIS [3].

Exstant veritates ab omni re creata independentes, ideo necessariæ et æternæ ; sed veritates hujusmodi nonnisi in Intellectu pariter necessario et æterno subsistunt ; ergo in Deo.

Vim **majoris** satis illustrant exempla, nam principia prima, sive speculativa, v. g. : idem non potest esse et non esse ; sive practica, v. g., bonum est faciendum... a creaturis non dependent ; — item ante omnem creatum intellectum vera sunt ; — imo ante creationem aut post annihilationem omnium rerum, earum possibilitas permanet absolute vera.

De quibus Bossuet : « Toutes ces vérités... subsistent indépendamment de tous les temps : en quelque temps que je mette un entendement humain, il les connaîtra, mais en les connaissant il les trouvera vérités, il ne les fera pas telles ; car ce ne sont pas nos connaissances qui font leurs objets, elles les supposent. Ainsi ces vérités subsistent devant tous les siècles, et devant qu'il y ait un entendement humain [4] ».

Vim autem **minoris** in Ontologia (n. 38-42) jam demonstravimus ; siquidem veritates, sicut ideæ, nec in se, nec in rebus materialibus, imo nec in qualibet potentia animæ ut voluntas, sed nonnisi in intellectu, et, si sunt necessariæ et æternæ, non in intellectu contingenti sed in Intellectu necessario et æterno formaliter subsistere tantummodo possunt. Hunc autem intellectum esse Deum non quidem directe percipimus, ut dicunt Ontologistæ (Psych., n. 79), sed ratiocinio deducimus. Unde propter contingentiam intellectus nostri « concludi potest quod veritates intellectæ fundantur in aliquo externo, in ipsa Prima Veritate [5] ».

Huic argumento vim absolutam tribuunt S. Augustinus [6], Leibniz, Kleutgen [7] et alii [8] : cui tamen a plurimis duo objici solent.

1. **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 6. — 2. **Piat**, *L'intellect actif : Quid divini ideis nostris tribuat D. Thomas ?* 1890. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 204-207 ; — *Revue thomiste*, an. 1904, p. 385. — 4. **Bossuet**, *Connaissance de Dieu*, ch. IV, p. 5. — 5. **Contra gent.**, II, c. 84 ; — *De veritate*, q. 3, a. 5, ad 1 et 2. — 6. *Conf.*, VIII, c. 17 ; — cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 188. — 7. *La philos. scol.*, n. 915, 936, 939. — 8. Ita **Mgr d'Hulst**, *Mélanges phil.* ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 296-302 ; — **Sertillanges**, *Les sources*, p. 202, 205, 239-294 ; — **Boyer**, *Op. cit.*, p. 47-71 ; — *contra* **Card. Mercier et Billot** ; — cf. **Lahousse**, *Theol. nat.*, n. 101-110.

Obj. 1ª. — Tales ideæ logice seu relative ad nos sunt necessariæ ; sed logica necessitas nihil requirit præter essentias rerum physicas ; ergo tales ideæ non requirunt Deum.

Resp. *Dist. maj.* : tales ideæ sunt logice et ontologice necessariæ, *conc.*, logice tantum, *nego* ; nam habent suam veritatem objectivam, etiamsi nullus intellectus creatus illas conciperet. — *Contradist. min.* : nihil ultra requirit logica necessitas, *transeat* ; ontologica, *nego*. Revera cur mens humana has ideas conceperit, partim saltem explicat existentia rerum physicarum ; minime vero cur hæc principia, etiam in hypothesi non existentiæ rerum physicarum, vera sint absolute [1].

Obj. 2ª. — Sublata intelligentia tum humana tum divina, veritas remanet necessaria, nam adest saltem *fundamentaliter* in rebus finitis existentibus (Ontol., n. 57) ; ergo veritatis necessitas non probat existentiam divini intellectus [2].

Resp. *Nego ant.*, nam nullum ens potest esse sufficiens fundamentum omnium essentiarum possibilium, nisi sit ens infinitum et æternum (infra, n. 51) ; quodlibet enim ens finitum sua essentia limitatur, v. g., hic circulus notionem circuli continet fundamentaliter, non autem quadrati aut alterius entis. Porro ens infinitum et æternum infinita et æterna intelligentia carere non potest. Ergo ens, in quo fundamentaliter nititur veritas infinita et æterna, non aliud est nisi divinus intellectus.

30. IVª Via. — Probatur Dei existentia ex DESIDERIO INFINITI [3].

Inest, non mihi solummodo, sed omnibus hominibus desiderium infiniti. Sed desiderium hujusmodi supponit existentiam sui objecti. Ergo existit Ens infinitum, nempe Deus.

Constat **major** testimonio conscientiæ, nam intellectus ad perfectam veritatis acquisitionem, voluntas ad boni absoluti possessionem, cor autem ad beatitudinem perfectam anhelant. — Hinc, his in terris, inquietudo hominis, suspiria ad vitam immortalem, in ore omnium gemitus et dolor quæ tantum spe melioris status quiescere possunt (Psych., n. 242).

Constat **minor**, siquidem hæc desideria, hæc suspiria sunt universalia, quæ profecto singuli experiuntur ; — sunt necessaria, quippe in nobis sunt, sed a nobis libere non eliciuntur ; — sunt immutabilia : hæc enim nec tempus, nec miseriæ, nec gaudia destruunt, sed potius adaugent. Jam desideria quæ talibus dotibus fruuntur, inania esse non posse constat

a) *Inductive* ; experientia enim teste, natura nihil facit

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 34-37. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 205-206 ; — cf. **Du Rousseaux**, *Le néo-dogmatisme*, in *Revue néo-scol.*, 1912, p. 108-114. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 212-215 ; — **Schiffini**, *Disp. metaph. special.*, 1888, II, n. 395 ; — *Revue de philos.*, 1921, p. 174-197 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 310-314 ; — **Sertillanges**, *Les sources*, p. 366-435 ; — **P. Termier**, *Op. cit.*, p. 257-266 ; — **Chaix**, *De Renan à J. Rivière*, 1930, p. 89-183.

frustra : tendentiæ naturales sive plantarum sive animalium nunquam sunt inanes, semper tendunt ad objectum existens realiter ; ergo non videtur cur exciperetur ens rationale solum :

b) Sed etiam *deductive*, nam si tendentia naturalis inanis esset seu sine objecto, esset etiam sine ratione sufficienti : ratio enim sufficiens hujus tendentiæ proxime consistit in determinatione causæ efficientis hanc vel illam tendentiam imponentis, ultimo vero in objecto attingendo seu in *fine* a quo determinatur agens ad imponendum talem vel talem structuram. Ergo hæc desideria sortiantur oportet suum effectum.

Confirmatur *consequentia* : secus enim natura esset essentialiter mala, nec major fides intellectui quam voluntati præstanda esset, quod vergit in scepticismum [1].

31. Va Via. — Probatur existentia Dei ex ORDINE MORALI [2].

Viget in corde hominum, etiam atheorum, imperativum absolutum boni faciendi, malique vitandi : hoc autem supponit legislatorem et judicem supremum, et hunc dicimus Deum.

Probatur **major**, nam tria *de facto* testatur sua cuique conscientia, nempe libertatem, obligationem et sanctionem. — Primo enim conscii sumus nostræ libertatis, ita ut eligere singuli possimus inter bonum et malum. — Secundo unusquisque sentit se non tantum aptum esse, sed et *absolute* teneri ad bonum eligendum et malum fugiendum. — Denique, post actum suum, sperat aut timet justam retributionem, nempe pro bono mercedem, pro malo pœnas.

Exinde patet **minor**, nam duo priora supponunt legislatorem, duo posteriora requirunt judicem supremum. Revera

1° Libertas individua ligari nequit nisi a domino, qui sit alius ab obligato, ei superior et anterior, necnon ab illo independens. Hic autem dominus non est individua *ratio*, quæ legem quidem cognoscit, sed non facit aut modificat ; — nec *ratio generalis*, quæ nihil est nisi abstractio mentis nostræ ; — nec tandem *societas* ut dicetur in Ethica, aut *alius homo*

1. **Contra gent.**, L. I, c. 53 ; L. II, c. 55 ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 2, a. 1-8. —
2. **Farges**, *Ibid.*, p. 216-220 ; — *L'idée de sanction*, in *Revue thomiste*, an. 1903, p. 1 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 302-314 ; — cf. **Sertillanges**, *Les sources*, ch. VIII, p. 294 ; *St Thomas d'Aq.*, I, p. 158 ; — **Gillet**, *Les actes humains* (commentaire de la Somme), 1926, p. 460 ; — **Du Plessis de Grénédan**, *La caravane humaine*, p. 78-82.

qui et ipse eadem lege, quovis tempore, detinetur. Ergo Deus est supremus ille Legislator, homini superior et creator.

2° Similiter actiones hominum morales mereri vel demereri nequeunt nisi erga aliquem, qui ab eis exigere pœnas possit vel illis retribuere mercedem. Hic autem non est ipsummet agens liberum quod sanctionem sibi imponere *nollet*, — nec societas, quæ sanctionibus adæquatis *impar esset*, — nec tandem ordo rerum objectivus, qui violationes quas patitur, *ignorat*. Ergo Deus est supremus iste Judex.

Dices : In Theodicea, Dei existentia per obligationem moralem probatur et in Ethica obligatio moralis per Deum : ergo est circulus vitiosus.

Resp. *Nego cons.* In Theodicea enim agitur de *existentia* seu de facto obligationis, quod percipi potest directe a conscientia sine cognitione existentiæ Dei. In Ethica autem agitur de *justificatione* hujusce obligationis, cujus fundamentum ratio reflexa apud Deum tantum invenit.

Confirmatur, nam tanta est vis illius argumenti, ut practice coegerit ipsum Kant, licet alia argumenta respuentem [1].

31*. Nota. — *Juxta plures tamen est argumentum indirectum* sicut et præcedens, et utrumque sic proponi potest : — 1um quidem sic : viget in corde hominum desiderium infiniti ; sed tale desiderium supponit Deum esse quacumque anteriori via, etiam cosmologica, *præcognitum* ; « desiderium enim in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem [2] » : ergo. — 2um sic : viget in corde omnium lex boni faciendi ; sed talis lex supponit legislatorem quocumque modo præcognitum : non enim datur lex sine legislatore ; ergo. — In utroque casu, desiderium, itemque lex non sumitur ut factum ex quo deducitur existentia Dei *anterius incognita*, sed ut factum inexplicabile sine Deo *antea cognito*, sc. argumentis cosmologicis, et ideo factum primitivum, insertum naturæ humanæ, fundamentale argumentum Dei (n. 7-8).

32. Corol. gen. — de inanitate Criticæ KANTIANÆ [3].

A. — **Si audiatur Kant,** male fundaretur divisio argumentorum existentiæ Dei. Hæc enim, juxta eum, triplicis sunt generis, nempe argumenta *ontologica*, quæ principio identitatis, argumenta *cosmologica*, quæ principio causalitatis, argumenta tandem *teleologica*, quæ principio finalitatis nituntur.

1. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 463. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 75, a. 5. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 261.

Ast ex idea Dei non licet ad existentiam Dei realem transire ; similiter necessitas recurrendi ad primam causam lex est forsan mere subjectiva mentis nostræ, quin habeat realitatem objectivam ; denique ordo mundanus nonnisi ad ordinatorem finitum ducit. Ergo vana sunt seu objective insufficientia cuncta usu probata argumenta existentiæ Dei [1].

B. — Hæc Kant : ast in promptu est **responsio**. — Nam ultro fatentur scholastici ex idea Dei per viam analysis seu identitatis nihil educi posse : hinc est cur in omni tempore rejecerint argumentum a simultaneo (n. 13). — At non ita dicendum de argumento cosmologico, quod, cum ab effectu reali sumat exordium, ad causam realem, non tantum idealem, imo ad causam necessariam perveniat necesse est : secus enim series entium contingentium, etiamsi per impossibile daretur numero infinita, ut gratuito supponit Kant, sine ente necessario explicari non posset (n. 20). — Denique, ut supra dictum est (n. 24), ex ordine mundano colligitur existentia ordinatoris quam sapientissimi, et quidem vi solius principii causalitatis, non vi principii finalitatis, ut voluit Kant.

Quæ cum ita sint, non ratione principiorum, sed ratione factorum dividi debent argumenta existentiæ Dei, nempe in cosmologica et psychologica : hæc enim omnia quæ valida sunt, unico principio causalitatis proxime innituntur [2]. — Ideo crisis kantiana, sive quoad divisionem, sive quoad valorem argumentorum, tota corruit — eo sane magis quod argumentum morale, ab ipso supra laudatum (n. 31), conducit tantummodo ad *fidem moralem* in Deum, cujus certitudo, subjective quidem sufficiens, *objective insufficiens* remanet [3].

CAPUT TERTIUM

CONFIRMATIO DEMONSTRATIONIS

Fusius, ob rei momentum, evolvimus argumenta a posteriori existentiæ Dei. Hæc adhuc duplici modo confirmare licet, directe et indirecte ; directe *ex consensu generis humani*, indirecte *ex falsitate atheismi*.

1. Ita etiam **neo-kantistæ**, cf. *Annales de phil. chrét.*, oct. 1901. — 2. **J. Halleux**, *Les preuves de l'existence de Dieu*, in *Revue néo-scol.*, 1906-1907 ; — *Le problème de Dieu*, *Ibid.*, 1907-1908. — 3. *Critique de la raison pratique*, I, I, 11, c. 5.

ARTICULUS I

De Consensu generis humani [1].

33. Quid de consensu hominum circa existentiam Dei ?

Ille consensus generalis sub duplici respectu considerari potest.

1° Est nempe *novum argumentum* existentiæ Dei, quod *morale* vocant et hanc formam induere solet : Omnes populi consentiunt in agnoscendo Numine supremo ; sed consensus hujusmodi constans et universalis exoriri nequit ab errore communi ; existit igitur Numen supremum, quod Deum appellamus.

Constat vis argumenti, nam ille consensus est effectus et requirit causam : porro, quocumque tandem modo explicetur, sive primitiva revelatione, sive sensu communi, sive instinctu naturæ (Crit., n. 90), est argumentum veritatis, i. e., existentiæ Dei.

2° Melius tamen habetur ut *confirmatio* indirecta nostræ demonstrationis : ideo enim de existentia supremi Numinis consentiunt homines, quia evidentia objectiva variorum quæ supra allata sunt argumentorum, implicite vel explicite trahuntur ad eamdem veritatem admittendam. — Inde fit ut ratio individualis ratione collectiva generis humani illustretur et roboretur, juxta illud Stagiritæ : « Potentissima probatio est, si id in quo dicimus, omnes consentiunt. »

Quidquid sit, duo supersunt probanda : 1° consensionem hujusmodi esse universalem, 2° eam consensionem a veritate oriri. — Unde

34. I° Consentiunt omnes in agnoscendo Numine Supremo.

1° **Consentiunt populi** [2]. — Probatur e gentium *ritibus* ; nam erecta templa, festi dies instituti, statuti sacerdotum ordines, consecrata ubique altaria, oblataque sacrificia testantur fidem omnium populorum et consensionem de supremi Numinis existentia. — Constat etiam ex *testimoniis* historicorum, imprimis Plutarchii [3] et Tullii : « Nulla est gens tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat [4]. »

Hoc mire confirmant recentiorum *inventa*, nempe missionariorum viatorumque, necnon monumenta vetustissima ab Oriente in Europam translata. Hæc enim omnia in eamdem conclusionem deveniunt : sc. omnes populi, quorum historia dignoscitur, Numen supremum admisere : quod et Sinenses *Thung*, Ægyptii *Ammon-Ra*, Indi *Brahma*, Chaldæi *Hu*

1. Cf. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 221-260 ; — **P. Huby**, *Christus*, manuel d'hist. des religions, 1916 ; — **P. Schmidt**, in *La vie intellectuelle*, janv. 1931. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 221-234 ; — **Monsabré**, *Conf. de N.-D.*, 1873 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 1, 4, etc. — 3. *Adversus Coloten. Epicureum.* — 4. *De legibus*, L. I, c. 8 ; — cf. **Nicolai**, *Histoire des croyances*, 3 vol.

vel *Assur*, Phœnicei *Baal*, Persæ *Orzmud*, Galli *Teutatès*, Græci *Zeus*, Romani *Jovem* nuncupaverunt [1].

Nec aliter dicendum est de *Primitivis* qui, v. g., Nigritæ [2], Deum vocant *Lu* : quod hodie jam agnoscitur a doctis plurimis, scientiam religionum excolentibus [3].

Idem dicendum videtur de *protohistoricis* et de *populis præhistoricis*, sive Indo-Europæis, sive semiticis [4], ut colligere fas est, tum ex Bibliæ sacræ testimonio, tum ex antiquissimis de origine rerum traditionibus, tum ex inventis sepulchris aliisve religionis signis, tum præsertim ex sacrificio primitiarum supremæ divinitati reservato [5], tum denique ex paritate cum hodiernis Nigritis qui, licet fere omni industria destituti, idea Dei minime destituuntur. Unde de Quatrefages : « Là est le grand fait. L'athéisme n'est nulle part qu'à l'état erratique » ; ita ut illustris ille naturalista hominem definire voluerit : « animal religiosum [6] ».

2° **Consentiunt et summi hominum** [7]. Horum enim optimus quisque Dei existentiam propugnavit. Sic apud veteres Anaxagoras et Xenophon, Socrates, Plato et Aristoteles, — Tullius, Seneca, — S. Augustinus et omnes SS. Patres, — S. Thomas et doctores scholastici, — Copernic, Galilæus, Baco, Kepler et Newton, Cartesius, Leibniz, Fenelon, Bossuet, — ipsimet Diderot, Voltaire et J.-J. Rousseau, necnon multi recentes, v. g., inter mathematicos, Cauchy, Herschel, Le Verrier, Faye, Laplace, Ampère, Volta, Œrstedt, R. Mayer, Fresnel, Faradey, Liebig, J.-B. Biot, etc. ; — inter naturalistas autem : Cuvier, Agassiz, Latreille, Milne-Edwards, Lamarck, ipse Darwin, G. Saint-Hilaire, Cruveilhier, Wurtz, Chevreul, Pasteur, de Lapparent, Vialleton, etc., — plurimi inter Academicos [8], etc. Ecquis societatem tot et tantorum doctorum deserere voluerit, ut paucorum, ignoti sane nominis, numerum augere tentet ?

35. II° Ea concordia generalis a VERITATE tantum oritur [9]. Alioquin, undenam sit unanimis populorum consensus ?

1. **P. Briault**, *Polythéisme et fétichisme*, 1929 ; — **H. Maspéro**, *La Chine antique*, 1927, p. 157-176 ; — **Meillet**, *Linguistique historique et linguistique générale*, 1926, p. 326-329. — 2. **Mgr Le Roy**, *La religion des primitifs*, 1909 ; — **Trilles**, *Les Pygmées*, 1933. — 3. **Schmidt**, S. V. D., *Origine et évolution de la religion*, 1931, p. 219-278, 347 ; — **Pinard de la Boullaye**, *Op. cit.*, I, p. 392-399 ; II, p. 224, 419 et seq. — 4. **P. Lagrange**, *Les religions sémitiques*, 1905, p. 460. — 5. **Schmidt**, *Op. cit.*, p. 344, 347 ; — cf. **Mainage**, *Les religions de la préhistoire*, 1921 ; — **Guibert-Chincholle**, *Op. cit.*, p. 616. — 6. **A. de Quatrefages**, *Unité de l'espèce humaine*, 1861, ch. 35, p. 356 ; imprimis, *Les pygmées*, 1887 ; — **Lamennais**, *Essai sur l'indifférence*, t. II, ch. XVI ; — cf. **Bricout**, *Dict. prat.*, art. *Protohistoriques*, v. col. 886-897 et *Préhistoriques*, col. 718-735. — 7. **Farges**, *Ibid.*, p. 234-259 ; — cf. **Bricout**, *Dict. prat.*, art. *Foi et savants*, t. III, col. 302-319 ; — **Schmidt**, *Op. cit.*, p. 65-81. — 8. **D. Aubry**, *La foi sous la coupole*, 1931 ; — **Sendererens**, *Création et évolution*, 1928, p. 43, — 9. **Farges**, *Ibid.*, p. 221-225.

A. — **Secundum jam antiquatos atheismi fautores**, exordium sumeret vel a *præjudiciis* educationis, vel ab *ignorantia legum* naturalium, vel a *sacerdotum et legislatorum* fraude, vel ab inani *metu*. Sed nullum ex his figmentis admitti potest.

Non 1um. *Præjudicia* enim a cupiditatibus oriuntur, quibusdam familiis aut gentibus propria sunt, proindeque tempore destruuntur : non ita dogma existentiæ Dei.

Non 2um. Nam dogma existentiæ Dei, ad mores instruendos necessarium, agnosci potest ab his qui leges physicas *ignorant* ; idem vero dogma, scientiarum naturalium cultores peritissimi aperte confessi sunt ; ita ut vera sit ea Baconis sententia : « Leves gustus in philosophia movere fortasse possunt ad atheismum ; sed pleniores haustus ad religionem reducunt [1]. »

Non 3um. Et sane institutio *sacerdotii* jam supponit Dei notitiam per orbem vulgatam : itemque multi sylvicolæ nullum humanum *legislatorem* agnoscunt ; apud quos tamen viget idea supremi Numinis. — Aliunde, quisnam sit sacerdos ille solertissimus, celeberrimusve legislator qui tali fide genus humanum imbuerit ? aut quomodo fraus hujusmodi non fuerit detecta ? et quo jure, qua solertia, deceptor iste gravissimo religionis onere gentes premere potuerit ?

Non 4um. Non solum enim timidi infantes et mulierculæ, verum etiam viri fortes et impavidi Deum esse crediderunt. — Cæteroquin gentes Numen supremum non habuere veluti monstrum fulminibus procellisque armatum, sed tanquam virtutis remuneratorem et ultorem criminis. — Imo, *timor* hujusmodi jam supponit ideas justi et injusti, criminis et virtutis ; ideoque non est causa, bene vero effectus hujusce fidei, quam apud omnes populos vigentem invenimus.

B. — **Juxta plerosque rationalistas hodiernos** [2], agnitio *Dei supremi* et *unici* non est factum primitivum nec fructus ratiocinii spontanei hominis sed simplex evolutio polytheismi. Nempe polytheistæ plures habebant deos : in societate deorum ad instar societatis humanæ, conceperunt unum ex diis suis esse principem et regem aliorum, qui paulatim adorari et etiam ut deos haberi desierunt. Sic explicatur non tantum monotheismus christianorum, judæorum et mahumetanorum sed etiam religio paganorum adhuc anceps inter polytheismum et monotheismum.

Sed contra : præterquam quod hæc theoria, ut patet, non rejicit agnitionem Dei supremi et unici, falso innititur fundamento, sc. præsupposito evolutionismi, juxta cujus exigentias, primitivi, vix animalibus superiores, non possent ipsi ad conceptionem *causæ* et præsertim causæ *personalis* mundi

1. *De augm. scient.*, L. I. — 2. Cf. **Schmidt, Pinard de la Boullaye, Mainage**, *Op. cit.*

et legis moralis pervenire. Quod falsum est : vitæ intellectualis imperfectionem apud primitivos non negamus, sed apud illos non deficiunt notio causæ et notio personæ : utramque exprimunt in linguis suis, instrumenta concipiunt et conficiunt, seipsos et alios ut causas et personas tenent, moralitatis et imputabilitatis capaces. Concludere licet non tantum primitivos existentiam Dei supremi agnoscere, sed per *viam causalitatis*, ad hanc conclusionem pervenire potuisse, spontanee quidem sed tamen vere (Crit., n. 40) sicque de facto consensum populorum hac in re, cum auxilio etiam traditionis, vere existere et explicari. — Cui minime contradicit polytheismus, ut infra dicetur (69-70).

C. — **Novissime juxta Le Roy** [1], iste consensus non oritur ab argumentis cosmologicis, sed ab aspirationibus cordis humani ad beatitudinem (n. 30), ad obligationes morales (n. 31). Sed utræque non arguunt verum esse Deum. Ergo.

Resp. hunc consensum ex argumentis psychologicis sed et cosmologicis, quæ stant utræque bene, *simul* oriri.

Quæ cum ita sint, ea populorum consensio nonnisi **a veritatis evidentia** oriri potest. — Ast affertur **duplex objectio :**

Dicunt alii sylvicolas, v. g., in America, *nullum* Deum colere. Sed in promptu est responsio : nam — *a*) sicut unus aut alter atheus positivus, ita unus aut alter atheus negativus non destruit vim consensus moraliter universalis : uterque in natura monstrum est [2] ; — *b*) duplex est naturalis homini modus acquirendi scientiam, disciplina primum et inventio [3] : porro sylvicolæ privantur disciplina et hoc etiam monstruosum est.

Dicunt alii : Multi, cum apud antiquas gentes, tum apud recentes, ita plures deos coluere, ut adorarent entia quam maxime infima, v. g., plantas et mineralia. Ergo Deum non agnoverunt [4].

Resp. *Dist. antec.* : multi erraverunt circa Dei naturam, *transeat* ; circa Dei existentiam, *nego*. — Dixi : *transeat*, quia tanta polytheismi extensio infra rejicietur (n. 70).

36. Hinc Deus est omnium CENTRUM et vincit theismus.

« Il est donc vrai, **Dieu nous cerne de toutes parts** ; et par quelque issue que nous prétendions lui échapper, Il est là qui la garde. Par où le fuir, en effet ? Par l'histoire ? Il la remplit tout entière de la foi qu'il inspire à l'humanité. Par les choses sensibles, qui si souvent détournent de lui les âmes asservies à leur corps ? Il est le principe du mécanisme admirable qui fait vivre et mouvoir ce corps lui-même, et de l'ordre qui éclate dans cet univers auquel on voudrait s'arrêter. Par la raison, dont les sophistes abusent si

1. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, p. 49-59. — 2. **Racine**, *Poème de la religion*, ch. I, v. 374, etc. — 3. *De veritate*, q. XVI, a. 1. . — 4. Ita etiam inter theistas, **D. Lesserteur**, *La controverse*, juin 1883.

souvent contre Lui ? Elle n'est rien autre chose que la faculté de s'élever au divin. Par le cœur, si souvent idolâtre des créatures ? Il n'est que la puissance d'aimer le bien, le bien véritable et absolu, et la glorieuse impuissance à se reposer en tout bien qui n'est pas Dieu ou ne se rapporte pas à lui. Par la morale ? Il en est le législateur. Par la science ? Il en est la base, le centre et le sommet [1]. » — « L'idée de Dieu est le **carrefour** où toutes les avenues de la pensée humaine se rencontrent [2]. » — Credo in Deum.

ARTICULUS II

De Atheismo.

Ex dictis, non minus auctoritati quam scientiæ et rationi contradicit atheismus. Attamen error iste, quo deterior esse nequit, paucis abhinc annis ubique grassatur, non sine magno animarum damno, ita ut non solum « Ecclesiæ viscera commoveantur [3] », verum etiam philosophi spiritualistæ [4]. Ad rem igitur duo sint paragraphi : 1us *Expositio* ; 2us *Confutatio* atheismi.

§ I. — *Expositio atheismi.*

Ecce atheismi *notio*, *formæ*, et *causæ historicæ*.

37. QUID sit et UTRUM vere existat atheus ?

A. — **Est atheus**, e vocibus græcis *a* (privativum) et Θεός (Deus), omnis homo qui existentiam Dei rejicit vel omnino *ignorat*, vel *in dubium*, practice saltem, *revocat*, vel *aperte negat*.

Quare athei dividuntur in *negativos*, *practicos* et *theoreticos* seu *positivos*. — Atheus negativus diceretur ille qui, licet ad ætatem adultam evectus, usuque rationis præditus, utrum Deus sit penitus ignoraret. — Athei practici, de existentia Dei minime curantes, in praxi vivunt perinde ac si Deus non esset. — Athei vero theoretici, vel Deum existere audacter negant, vel argumentis fallacibus hanc veritatem in dubium revocare et extra scientiam ablegare conniuntur.

B. — *Quæris* 1o, utrum dari possint **athei negativi** ? — Respondemus quod homo qui ad ætatem adultam pervenit et sana mente, disciplina paululum et usu rationis fruitur, in *absoluta* ignorantia de Ente quodam supremo, diu perseverare nequit.

1. **A. de Margerie**, *Théodicée*, 1865, t. I, c. VIII ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 61. — 2. **J. Simon**, cit. in *Les sources de la croyance* a **D. Sertillanges**, 1905. — 3. **Conc. Vatic.**, *De Fide*, can. 1, 2 ; — *Dict. d'hist. eccl.*, art. *Athéisme* ; — *Dict. de theol. cath.*, art. *Athéisme* ; — **Bergson**, *Les deux sources*, 1932. — 4. **E. Caro**, *L'idée de Dieu*, 1873, p. 42.

Et vero, ope primorum principiorum quæ omnibus innotescunt, sive e notitia ordinis mundani, sive e notione contingentiæ, quisque facile deducere potest existentiam Dei, sic :

1. *Probatione vulgari* : omnes enim intelligunt quod plus non explicatur a minore : et hæc est forma vulgaris principii causalitatis, cujus ope rudes prompte et facile perveniunt ad cognitionem existentiæ Dei.

2. *Inductione spontanea*, post perceptum duplex factum :

a) *factum externum*, sc. : mineralia, vegetalia, animalia et ipsum *cosmos* in genere habere perfectiones et præsertim ordinem mirabilem quem non tenent a semetipsis : ordo enim exigit intelligentiam. Ergo existit ens summe intelligens et potens quod illis dedit has perfectiones et illis imposuit hunc ordinem, sc. Deus.

b) *factum internum*, sc. : nos habere vitam, intelligentiam, moralitatem quas non tenemus a nobismet ipsis ; ergo accepimus illas ab aliquo ente superiori quod est vivens, intelligens et moralitate plenum.

Præterea, nostram assertionem confirmat *historia* ; nam, testibus Polygenistis [1], apud omnes, etiam sylvicolas, viget *aliqua* notio Divinitatis ; etiam apud infideles, forsan plures, qui ætate, non conscientia adulti videntur [2] ; nec nisi amentes, de Deo nullam habent notitiam (n. 34) : alii sunt inexcusabiles.

Quæris 2º, utrum sint **athei practici** ? — Respondemus *affirmative* : non pauci enim, negotiis sæcularibus implicati aut cœno vitiorum obruti, irretiti forsan diversis doctrinis philosophicis quæ existentiam Dei ut agnoscibilem tenent vel etiam ut falsam, perinde vivunt ac si Deus non esset, nullumve honorem Enti supremo persolvunt [3]. — Et ratio est quia in persolvendo cultu debito, libertate fruuntur homines.

Inter quos plures athei practici curam de existentia Dei non habent sed habere nolunt. Juxta illos speculationes religiosæ vel metaphysicæ circa existentiam et naturam Dei sunt inutiles simul et nocivæ : inutiles, quia ad certitudinem scientificam et universalem ducere non valent, nocivæ quia divisiones inter cives generant et impediunt progressum scientiarum moralium. Sunt ergo relinquendæ et tota vita humana ordinari debet eodem modo ac si Deus non existeret. Exinde ortæ sunt « ethicæ sine dogmatibus seu autonomæ » dictæ, doctrinæ politicæ, sociales, œconomicæ, juridicæ, internationales, pædagogicæ quæ sub diversis nominibus activitatem humanam ordinant sine Deo vel etiam contra Deum, v. g., in Russia. — En pessima ex principio falso consectaria.

1. Cf. **Lagrange**, *Les religions sémitiques*, 1903, p. 22. — 2. Cf. **Billot**, *Les Infidèles, adultes d'âge*... in *Etudes*, déc. 1920, 1921. — 3. **Baylo**, *Pensées div.*, t. IV, p. 94 ; — **Contenson**, *Theologia mentis et cordis*, lib. 1, Dissert. 2, cap. 1.

Quæris 3º, utrum sint **athei positivi** ? — Resp. : Non solum quidam athei positivi, sed etiam atheismi systema existere potest *ad tempus*, conc. ; universali *perennique modo*, nego.

Revera : *a*) Dei existentia, etsi facillime probatur, ut diximus (n. 8), non est veritas intuitiva, et ideo demonstratione indiget ; sed homo, cupiditatibus indulgens, rationem ab argumentis, quibus Deum esse constat, avertere potest, et sic paulatim in atheismum incidere. Imo, errorem hujusmodi, fallaciis innixum et aliunde vitiis faventem, tanquam systema disseminari non repugnat, ut experientia luctuosa demonstratur.

b) Atheismus autem, quum ratione individua et auctoritate generis humani respuatur, nec universalis esse potest, nec etiam diu perseverare ; qua de causa, sectæ atheorum raro solum apparent, ut videbitur infra, et mox ut umbra fugiunt. Ipsi fautores atheismi sæpe fluctuantes videntur, secundum ea Senecæ : « Mentiuntur qui dicunt se non sentire esse Deum ; nam, etsi tibi affirment interdiu, noctu tamen et soli dubitant. »

38. Quænam sint FORMÆ theoretici atheismi hodierni [1] ?

Hic et illic, in decursu sæculorum, athei non defuerunt sed ad duas *sectas* revocari possunt ; unam scilicet apud antiquos, duce Protagora (Log., n. 161) ; alteram vero apud recentiores. Porro, atheismus hodiernus multiplices induit formas, inter quas triplex est præcipua : *materialista, positivista, pantheistica*.

1º **Materialismus** theismo directe opponitur ; juxta quem materia est simul *una, necessaria* ac proinde *æterna* : una, sub diversis formis ut patet ex mutationibus materiæ ; necessaria, cum nec generari nec annihilari queat : « rien ne se perd, rien ne se crée, tout se transforme » ; æterna, quia quod est necessarium est æternum ac creari non potuit.

Quo posito, a materialistis rejicitur ut antiquata theoria hominum primæva *de Dei existentia*, quippe quæ *progressui et scientiæ* contradicit : cujus loco tria supponunt principia.

Primum. — *Materia, spatium et tempus sunt infinita* : proinde, hypothesis Dei *Creatoris* est mere gratuita : « Trois infinis, l'espace, le temps, la matière, également sans commencement et sans fin, composent la trinité de la nature [2]. »

Secundum. — Quum *materia* sit infinita, gaudet attributis divinis, nec ab extrinseco, sc. a Deo, sed ab intrinseco seipsam movet viribus ab ipsa inseparabilibus. Quapropter hypothesis primi *Motoris* a materia distincti, est prorsus inutilis [3].

1. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 37, 109, 506, etc. — 2. **Viardot**, *Le libre examen*, 1871, p. 25. — 3. **P. Janet**, *Le matérialisme contemporain*, p. 22.

Tertium. — Materia, ut patet ex scientiis, ope virium physicarum seipsam apte *disponit*, spontanee gignit vitam, usquedum variis transformationibus homo nascitur e simia anthropoïda. Ideo hypothesis primi *Ordinatoris* a materia distincti est « mera scholasticorum abstractio [1] ».

Cui materialismo scientifico consonat materialismus *œconomicus*, nam Karl Marx et plurimi socialistæ mundum œconomicum pariter explicant per leges necessarias et naturales quæ interventum Providentiæ non permittunt, et quas sufficere solas sine Deo ad beatitudinem humanitatis prætendunt. Quare ab ipsis doctrinæ spirituales nocivæ æstimantur, quia cives avertunt a progressu rerum socialium et felicitatis temporalis.

2° **Positivismus** existentiam Dei non negat directe, tamen æquivalenter. Juxta illum humanitas, in decursu sæculorum, et etiam omnis homo, in decursu vitæ, tres status successivos cognosceret (Log. 210) : statum theologicum, statum metaphysicum, denique statum positivum in quo ultimo homines adulti et populi plene exculti agnoscunt solas causas experimentales *certe* et *scientifice* cognosci posse. In illo tertio et scientifico statu, Humanitas locum Dei tenere et ejus loco amari debet.

Paulo aliter res explicat sociologismus positivus sed pariter existentiam realem Dei negat. Juxta illum enim omne quod habet vim coercitionis relative ad individuum, a societate causatur ; talis est notio Dei, quæ ergo divinisatio ipsius societatis reputari debet.

3° **Pantheismus**, de quo infra (n. 99), practice existentiam Dei personalis, creatoris et liberi negat ac proinde inter diversas et tres præcipuas formas atheismi reponendus est.

Jamvero ad hanc vel alteram formam atheismi accedunt plures idealistæ coævi, v. g., Brunschvicg, Parodi, Ruyssen, et alii, qui Deum personalem non agnoscunt, licet nomen athei vel pantheistæ enixe respuant [2].

Ecce atheismus hodiernus quem post Proudhon A. Ruge, Feuerbach, Dr Rouget, Renan, Buchner, Viardot, etc. propugnant multi, longe lateque divulgant innumeræ ephemerides, v.g.,hodie « L'athée » in Russia. Jamvero istæ et illi multifariam loquuntur et præ se ferunt, v. g., — quandoque *blasphemiam* : « Que doit-on à Dieu ? La guerre [3] » ; — non semel *hypocrisim* : « Une réserve exagérée retient sur les lèvres du savant scrupuleux le mot que tant d'autres profanent [4] » ; — sæpius *scepticismum* : « Mes réflexions... m'ont réduit, comme Montagne, à n'avoir pour reposer ma tête que l'oreiller du doute [5] » ; — semper *pseudo-scientiam* : « Les hommes primitifs pouvaient admettre le Dieu des Juifs... mais aujourd'hui la science a ébranlé les croyances surannées et enfantines de la primitive humanité [1] » ; — denique *speciem religionis*, nam alii cum positivista Comte trinitatem quamdam admittunt, nempe terram, mundum et hominem : « le grand Tout, le grand Fétiche et le grand Etre » ; alii vero solum habent cultum humanitatis : « L'homme seul est le sauveur véritable [2] ». At omnium atheorum commenta, quæ vocantur a Tullio « delirantium somnia », exponere fastidiosum esset.

1. **P. Janet**, *Ibid.*, p. 26, 27. — 2. **Jolivet**, *Etudes sur le problème de Dieu dans la philosophie contemporaine*, Lyon, 1932. — 3. **Proudhon**. — 4. **Renan**, *Essais de morale et de critique*, 1860, p. 66-67. — 5. **Viardot**, *Ibid.*

39. CAUSÆ atheismi jam ex dictis manifestæ sunt.

1. **Generatim** ex parte *voluntatis* et *intellectus* desumuntur. — *Voluntatis* sollicitudo exaggerata pro rebus temporalibus et felicitate materiali, a fortiori pravitas et corruptela cordis ad atheismum, imo ad odium quoddam rabidum propellere potest : quippe, homo vitiis indulgens, cupere pronus est ut nullus existat Deus, judex et ultor criminum [3]. Unde ipse J.-J. Rousseau : « Tenez votre âme en état de désirer qu'il y ait un Dieu, et vous n'en douterez jamais. » — Præterea *Intellectus*, superbia plenus, fallaciis assuetus, vel scientiis physicis aut mathematicis, philosophia neglecta [4], exclusive intentus, non capit argumenta quibus Deum esse constat.

2. **Specialis** autem origo atheismi recentis triplex affertur.

Imprimis et remote theoria « liberi examinis », olim a Luthero excogitata et hodie, post Cartesium cum dubio universali, ab omnibus fere doctis admissa ut initium methodi : hæc logice mentes avertit a doctrinis revelatis et a traditione sapientium.

Dein anarchia in philosophiam introducta ; nam, omnium sæculorum tramite relicto, *alii* ex ideis Cartesii innatis ratiocinantes, quas Malebranche in Deo videre prætendit, quas Spinoza dicit esse tantum evolutiones Infiniti, per excessus suos et falsas explicationes adduxerunt aut confirmarunt mentes in idealismum quem induxit Hume, in criticismum kantianum, in scepticismum subjectivistarum : inde atheismus [5] ; *alii* vero post Baconem, Locke et Condillac qui athei non erant, scientias naturales exclusive colentes solaque methodo experimentali utentes, ideas universales ad sensationem reduxerunt illisque et primis principiis denegando valorem necessarium, paulatim in sensualismum, empirismum cum Hume et positivismum cum Comte devenerunt : inde etiam atheismus.

Postremo contemptus metaphysicæ ex utraque parte, sc. positivismi et kantismi, ortus, qui pariter, etsi diverso

1. **Viardot**, *Ibid.*, p. 16. — 2. Ita **Feuerbach**. — 3. *Psal.* XIII, 1 ; V, 11 ; — cf. **Cabanis**, *Discours à l'Institut*. — 4. **Ch. Lévêque**, *La science de l'invisible*, 1865, p. 129. — 5. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 528-529.

modo, metaphysicam rejicit. Jamvero ille contemptus qui hodiernos inhabiles reddit ad intelligenda argumenta quibus existentia Dei probatur, est *proxima* causa atheismi hodierni [1], cujus propagationem nefanda politica assecurat et fovet (n. 42).

§ II. — *Confutatio atheismi.*

40. Melior atheismi confutatio — *est claritas in quinque viis ad Deum relucens.* Sit tamen, ob rei momentum,

THESIS

Atheimus, quocumque modo propugnetur, falsus est.

I. **Falsis principiis innititur,** quæ supra exposita sunt, innixa quidem in theoria de scientia et progressu, quæ non est nisi gratuita affirmatio aut vana declamatio (Cosmol., n. 158). — *Primum* de infinitate spatii, temporis et materiæ, jamdiu a nobis fuit confutatum : spatium enim et tempus sunt quid indefinitum et ideale ; moles autem infinita absurditatem numeri infiniti implicaret [2] (Ontol., n. 89 ; Cosmol., n. 126, 132). — *Secundum* sophistice concludit ex infinitate quantitatis ad infinitatem qualitatis et perfectionis : nam, etiamsi numerus partium materiæ esset infinitus, materia, quum sit imperfecta et contingens, cum Ente perfecto, et necessario numquam æquiparari posset. — *Tertium* asserit quod esset probandum, sc. mundum seipsum ordinare et perficere ; itaque laborat petitione principii... *Brevi*, materia sine *Creatore*, Primo *Motore*, *Ordinatore* nihil explicat.

41. II. Atheismus rationi, scientiæ, auctoritati contradicit.

A. — **Rationi contradicit.** Quippe, rationi repugnat quod ens contingens sit sine Ente necessario, ens ab alio sine Ente a se, seu effectus sine causa ; sed ita est in atheorum systemate, nam mundus est finitus, mutabilis, compositus, contingens (Cosmol., n. 102-106), videlicet undequaque est effectus. Sublata igitur Causa necessaria, jam mundus est effectus sine causa. — *Hinc* athei recentes, qui asserere non audent omnia esse contingentia et Ens necessarium non existere, in confusionem utriusque, mundi sc. et Dei, seu in pantheismum prolabuntur [1].

1. **Mouret,** *Histoire générale de l'Eglise,* t. IX, ch. III ; — **Tavernier,** *Cinquante ans de politique,* 1924, p. 165-285 ; — **Georges Goyau,** *Dieu chez les Soviets,* 1929, p. 131-237 ; — **Pinard de la Boullaye,** *Op. cit.,* I, ch. V-IX, passim ; — **Léonce de Grandmaison,** *Jésus Christ,* II, p. 167-202 ; — **Robinot-Marcy,** *Aux prises avec l'apostasie des masses,* 1930, p. 9-51. — 2. **Sum. theol.,** I, q. 7, a. 3.

Unde Bertrand : « L'athéisme n'est qu'une négation sans consistance, purement verbale, puisque toute intelligence qui suit ses propres lois est bien obligée d'aboutir à un Principe suprême... Selon A. Comte, l'athée est le plus inconséquent et le plus rétrograde des théologiens [2]. »

B. — **Scientiæ contradicit.** Nam, ut alias omittam realitates scientificas, quomodo athei *ordinem* universalem, corpora *viventia*, et inter viventia *hominem*, explicant ?

1. — *Ordo*, quem in orbe conspicimus, non semper exstitit ; cæterum, etiamsi diceretur ab æterno, adhuc esset contingens. Consequenter est effectus et causam supponit ; eaque causa, secundum atheos, a viribus est repetenda materiæ, quæ seipsam movet et ordinat. Sed scientia constat materiam esse inertem, sc. non posse seipsam movere localiter, nec statum suum mutare : « Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum, nisi quatenus a viribus impressis cogitur statum suum mutare [3] » (n. 17).

2. — Ex entibus, quibus orbis conflatur, quædam *vita* fruuntur ; vita autem non semper exstitit, ideoque dicitur effectus, cui rationem assignare debemus. Athei quidem asserunt materiam gaudere vi *creatrice*, cujus ope vita *spontanee* apparuit in orbe physico. Sed demonstratur experientia universali systema generationum spontanearum esse assertionem gratuitam et falsam : « Les expériences de M. Pasteur contre les générations spontanées sont décisives et sans réplique [4] » (cf. Cosmol., n. 95 et supra, n. 19, B).

3. — Cæteris viventibus *homo* præcellit forma externa et præcipue facultatibus internis : quum autem non semper exstiterit, habuit causam a se distinctam. Athei hodierni contendunt originem hominis per seriem evolutionum seu « *transformationum* », explicari. Sed, omissa illius hypothesis confutatione (Psych., n. 238), patet ortum rationis humanæ a causis irrationalibus apertam involvere contradictionem.

C. — Tandem **auctoritati contradicit.** — Consensio enim populorum, ut supra probavimus (n. 34), moraliter unanimis

1. **C. Lévêque,** *La science de l'invisible,* 1865, p. 97-98. — 2. *Principes de philosophie scientifique,* 1893, p. 417 ; — *Revue thomiste,* an. 1903, p. 520. — 3. **Newton,** *Principia philosophiæ,* 1863. — 4. **Flourens,** *Buffon, histoire de ses travaux et de ses idées,* 1844 ; — **P. Janet,** *Le matérial. contemp.,* p. 117 ; — **D. Gentili,** *L'athéisme réfuté par la science,* 1869.

est in admittendo Numine supremo, et nomen illud, atheus, ab hominibus enixe respuitur : « Ce nom d'athéisme fait horreur... On le repousse comme une injure [1] ».

42. III. Atheismi exitiales necessario sunt CONSEQUENTIÆ [2]. Nam, rejecta Dei existentia, corruit fundamentum

A. — Imprimis **scientiæ** generatim. Quippe, atheus contradicit primis principiis : idem non potest esse simul et non esse, non est effectus sine causa ; logice enim asserere debet mundum esse simul finitum et infinitum, causam et effectum, necessarium et contingentem. — Ex alia parte, atheus rejicit Ens absolutum, quo sublato, non solum corruit præstantissima et nobilissima omnium scientia, sc. Theodicea, sed etiam nulla superest ratio sufficiens rerum mundanarum, nullumque absolutum et immutabile veritatis fundamentum.

B. — Sed etiam **artis**. Nam duo sunt inspicienda in *artibus* : pulchri exemplar et artificis inspiratio ; ars enim est pulchri expressio. Sed, sublato Deo, jam superesse nequit supremum ac pulcherrimum artis exemplar, quod rationes rerum ideales in se complectitur, sed nec fons primarius ingenii et inspirationis ; exinde atheorum opificia crassissimum materialismum sæpissime redolent.

C. — Denique **moralitatis**. Nam ordo moralis, jus, auctoritas, officium, religio, societas civilis et domestica, Dei seu supremi Principis existentiam supponunt, eaque veritate semel negata, concipi non possunt ; ideoque atheismus, fundamentum moralitatis diruens, ad omnia socialismi consectaria, ut aliunde constat experientia recentis ævi, necessario propellit [3] : siquidem bolchevismus, ex atheismo ortus, ipsius Dei auctoritatem arroganter assumpsit.

Recte igitur Voltaire : « Je ne voudrais pas avoir affaire à un prince athée, qui trouverait son intérêt à me faire piler dans un mortier ; je serais bien sûr d'être pilé. Je ne voudrais pas, si j'étais souverain, avoir affaire à des courtisans athées dont l'intérêt serait de m'empoisonner : il me faudrait prendre du contre-poison tous les jours [4]. »

1. **Dupanloup**, *L'athéisme et le péril social*, 1866. — 2. **Tavernier**, *Cinquante ans de politique*, p. 285-361 ; — **Encycl.** *Quadragesimo anno*, in *Act. Ap. Sed.*, 1931, p. 177 ; — **Daniel Rops**, *Le monde sans âme*, 1932 ; — **G. Ferrero**, *La fin des aventures : guerre et paix*, 1931 ; — **Paul Bureau**, *La crise morale des temps nouveaux*, p. 127-185 ; — **A. M. C.**, *Le mariage et l'encyclique « Casti connubii »*, I, 1932, p. 152-171. — 3. **P. Janet**, *Le matérial. contemp.*, p. 11. — 4. *Diction. philosoph.*, art. *Athée* ; et alibi : *Homélies sur l'athéisme* ; — **Montesquieu**, *L'esprit des lois*, L. XXIV, c. II.

LIBER SECUNDUS THEODICEÆ

DE NATURA DEI

43. UTRUM et QUOMODO natura Dei cognosci possit [1] ?

I^um negant Spencer et Stuart Mill, Littré et Fouillée, modernistæ plures, *agnosticismo* faventes, — tum quia absurdum est mysterium, — tum quia infinitum, nempe Deus, ab intellectu finito comprehendi non potest. — Sed contra :

1° Negamus mysterium et aliquid absurdum esse unum et idem. Absurdum contradictionem involvit ac proinde errorem ; mysterium autem obscuritatem tantum seu cognitionem veram, quamvis incompletam. Porro in omnibus scientiis humanis, etiam in exactissimis, non deficit mysterium ; a fortiori in scientia de Ente infinito inveniri debet.

2° Equidem perfecta Infiniti comprehensio perfecto intellectui propria est. Sed ejus cognitio imperfecta, simul et sufficiens ad directionem vitæ, intellectui humano proportionatur et ratiocinio certa fit [2]. Aliis verbis, Deus, etsi nobis non sit *comprehensibilis*, *intelligibilis* tamen esse potest et debet.

Confirmatur, nam si natura Dei nobis penitus esset ignota, lata panderetur via illusionibus superstitionis et illuminismi.

Ad II^um duplex via panditur, *remotionis* sc. et *eminentiæ*. Prior removet de Deo omnes creaturarum imperfectiones et præcipue manifestat *quid non sit*. Posterior, *quid sit* nobis ostendit, Ei tribuendo eminenter quidquid est bonitatis et excellentiæ in creaturis [3], — modo tamen *analogico* [4].

Revera dantur notiones transcendentales, quæ sc. transcendunt experientiam et limites cujuslibet speciei aut generis, etiam supremi. Duplicis sunt generis : aliæ sunt *absolute* transcendentales quæ conveniunt omni enti, sicuti *ens*, *res*, *unum*, *aliquid*, *verum* et *bonum* ; aliæ sunt *respective* transcendentales, quæ non inveniuntur in omnibus generibus, sed cum uno e transcendentalibus relationem habent — sive immediatam sicuti, v. g., *causa* cum ente, *intellectus* cum vero, *voluntas* cum bono, — sive mediatam sicuti *potentia* cum causa, *sapientia* cum intellectu, *justitia* cum voluntate.

Jamvero hujusmodi notiones Enti, quod omne genus crea-

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 268-284. — 2. **Denz.-Banw.**, n. 1622, 1670. — 3. **Contra gent.**, I, c. 14, 30, 35 ; — *I Sent.*, dist. III, quæst. 1, a. 3, *sol.* ; — **Sum. theol.**, I, q. 18, a. 2, 3. — 4. Cf. **Thesis thomistica XX^a** ; — cf. **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 183-190 ; *Dieu* (commentaire de la Somme), t. II, 1926, p. 379-388 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, ch. VI ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 530-545.

tum transcendit, applicari poterunt secundum analogiam : sunt enim analoga analogia proportionalitatis ea quorum similitudo est quædam proportio, quia principaliter seu perfectiori modo invenitur in majori analogato, secundario seu imperfectiori modo in parvis analogatis. Quo sensu, v. g., Enti primo et enti secundo *ens analogice* tribui potest (Ontol., n. 8), a fortiori esse vivens, aut intelligens... de Deo non *univoce*, nec tamen *æquivoce*, sed vere prædicantur. Ergo de Ipso habetur *cognitio vera, quamvis analogica,* notitia quidem non quidditativa sed tantum abstractiva (Log., n. 27, 35).

Hinc duplex excessus, agnosticismi sc. et anthropomorphismi, simul vitabitur [1] : siquidem non tribuimus Deo formam hominis, v. g., ratiocinium, sed e contra homini formam quamdam et remotissimam Dei similitudinem. Porro methodus hujusmodi non anthropomorphisat Deum, sed quasi deificat hominem.

Hanc duplicem viam sive remotionis, sive eminentiæ sequemur in determinandis naturæ Dei *attributis.*

44. Quid et quotuplex sit ATTRIBUTUM Dei [2] ?

A. — **Attributum** Dei est *perfectio, quæ, juxta nostrum concipiendi modum, vel essentiam entis divini constituit, vel ab ea dimanat.* Est *perfectio,* non accidentalis, sed essentialis : siquidem a parte rei nullum est in Deo attributum ab ejus essentia differens. — Attamen varias perfectiones de Deo, juxta *nostrum concipiendi modum,* prædicamus, sicque primi Entis perficitur conceptus [3]. — Quomodo ergo hæc attributa constituant naturam Dei et quænam inter hanc et illa sistat differentia, infra dicetur (n. 46, 51).

B. — Hæc attributa duplici præsertim modo **dividuntur** :

1. *In absoluta et relativa,* prout pertinent ad Deum in seipso consideratum vel non et ideo nullam vel aliquam important relationem ad res contingentes. Deus enim esset, v. g., unus et simplex, etiamsi mundus nunquam extitisset ; creator autem et providus non dicitur, nisi quia de facto mundum condidit atque gubernat [4]. — De posterioribus agetur in ultimo libro Theodiceæ : hic tantum de prioribus dicemus.

2. Hæc autem attributa dividuntur in *negativa* et *positiva* :

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 292-296 ; — **Contra gent.**, I, c. 30 ; — **Cajetanus**, *De nominum analogia.* — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 309 et suiv. ; — **Lessius**, *De perfect. moribusque div.* ; — **Franzelin**, *De Deo uno*, thes. XXI, p. 262 ; — **Clarke**, *Traité de l'existence et des attributs de Dieu*, trad. **Ricotier**, 1744, ch. 3-13. — 3. Mahumetani nonaginta novem attributa secernunt ; — cf. *Dict. de théol. cath.*, art. *Attributs divins*, col. 2228. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 14.

priora de Deo prædicantur per viam negationis cujuslibet imperfectionis, sic Deus dicitur increatus, incorporeus, immutabilis, æternus ; posteriora vero per viam excellentiæ Deo tribuunt perfectiones quarum conceptus imperfectionem non implicat, quales sunt intelligentia, voluntas, omnipotentia.

Jamvero in secundo capite, dicemus de attributis absolutis et positivis, quæ vocantur etiam *moralia, operativa* et *communicabilia.* — In præsenti vero et primum agendum est de attributis absolutis et negativis, quæ dicuntur a recentioribus *metaphysica, incommunicabilia.*

CAPUT PRIMUM

DE ATTRIBUTIS NEGATIVIS

Inter ea, talis erit ordo ut primo de attributo naturæ *constitutivo,* quod est aseitas, postea de attributis naturæ *consecutivis* loquamur, juxta ordinem *Summæ theologicæ,* prout entis *proprietates transcendentales* vel ejus *activitatem* respiciunt (n. 47 nota, 56 nota).

ARTICULUS I

De Aseitate Dei [1].

45. An Deus SIT ENS A SE, primum, necessarium, subsistens ?

Resp. hæc quatuor *logice* colligi ex quinque viis ad Deum : ideo declaratione magis indigent quam probatione.

I. Deus est **a se.** — Aseitas enim est perfectio vi cujus entis essentia ex seipsa, non aliunde, habet existentiam (Ontol., n. 87). Porro hoc in sensu, jure Deus dicitur ens a se, — non *positive* quidem, ut voluit Cartesius, videlicet sibimetipsi existentiam non est largitus ; — sed *negative* tantum, i. e., quia ab extrinseca causa non habet ut sit. Revera speciatim ex prima, secunda et quinta via, *Deus est* primum movens, efficiens et ordinans ; non habet *ab alio* sed *a se* esse movens, efficiens et ordinans ; ergo etiam *esse*, non *ab alio* sed *a se* tenet, quia operatio sequitur esse.

II. Deus est **Primum Ens.** — Nec enim *dicas* adhuc non probari *unicum* esse ens a se. Nihil enim refert in præsenti : ex probatis requiritur et existit ens, saltem unum, quod ab alio

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 185 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, p. 95 et seq.

non accepit motum, efficientiam, causalitatem, perfectionem, sapientiam, — quod ideo, relative saltem ad alia est *Prima* cæterorum *Causa*, et hunc dicimus Ens a se et *Primum* Ens. — Cætera suo loco probabuntur (n. 65-70).

III. Deus est **Ens necessarium** : — quod directe concludit tertia via. *Necessarium* enim dicitur ens quod non ab alio nec a se accepit existentiam sed existit ex necessitate suæ naturæ seu essentialiter. Sed talis est Deus qui non habet causam a seipso distinctam, nec a se tanquam a causa efficiente existentiam recepit, sed eam habet necessario, vi suæ naturæ ; proinde « quod est *per se* necessarium [1] » (Ontol., n. 87).

IV. Deus est **per se subsistens**, et hoc speciatim concludit quarta via. *Subsistens est*, quia esse divinum in nulla essentia recipitur : hæc enim est ipsamet existentia, ipsum esse et fons totius esse ; secus essentia Dei non existeret a se, sed esset tantum particeps essendi.

Cor. Deus est **actus purus**. — Sic vocatur ens, quod nulla potentia miscetur : sed Deus concipi nequit in statu meræ possibilitatis aut transire de potentia in actum : sic enim nunquam ad existentiam venisset, nam Ipse a nullo alio, aliæ vero ab Ipso sunt. Ergo primus motor, primum Ens, Prima causa, Ens summe perfectum et intelligentia ordinatrix est Actus purus (n. 61).

46. Utrum et quo sensu aseitas sit attributum Dei PRIMARIUM?

A. — **Attributum primarium** est *illud — quod prius a nobis concipitur, — quo ens primario distinguitur a cæteris entibus, a quo tanquam a communi fonte alia attributa deduci possunt.*

Dicitur attributum Dei *constitutivum*, quia *relative ad nos* constituit essentiam divinam. Jamvero, etsi quævis perfectio in Deo ejus essentiam physice constituat, nobis tamen, qui non possumus uno mentis intuitu divinas perfectiones complecti, inquirere licet quænam ex ipsis tanquam Dei essentiam metaphysicam constituens spectari possit.

B. — Quatuor præsertim prodierunt **sententiæ** : — 1° *Nominalistæ*, duce Occamo, in « aggregatione actuali » omnium perfectionum possibilium essentiam Dei reponunt. — 2° Non pauci, saltem inter *Scotistas* veteres, docuerunt attributum primarium esse « infinitatem radicalem » seu exigentiam omnium perfectionum. — 3° Non desunt veteres *Thomistæ*, v.g. Joannes a S. Thoma,

1. **Contra gent.**, I, c. 15, n. 4.

Gonetus, Salmanticenses, qui sentiunt attributum primarium esse « intellectionem actualem », sc. actum quo Deus seipsum cognoscit, vel « intellectionem radicalem » seu vim intelligendi qua Deus essentialiter præditus est. — 4° Alii *Thomistæ*, præsertim inter recentiores, enixe propugnant « aseitatem », videlicet attributum quo Deum a se quidem et non ab alio, existere prædicamus, esse omnium primum : — ad quos accedunt qui, inter Scholasticos et Thomistas, putant notam Dei primariam in eo consistere quod sit « ens simpliciter » et « subsistens ».

C. — **Solutio**. Quænam sit sentendia amplectenda, statuit

THESIS

Ipsum esse subsistens
seu aseitas radicalis est attributum Dei primarium [1].

I. Est **aseitas**. — Aseitas enim tres dotes habet attributi primarii. Ergo ipsum est. — Probatur antecedens :

1° Aseitas *ante alia* attributa concipitur a nobis, nam per viam causalitatis asserimus Deum esse, eo quod omnes creaturæ non sunt a seipsis, sed ab alio ente, statimque inferimus Deum esse a seipso, eo quod non habet causam (n. 45).

2° Aseitas est prima nota per quam Deus *distinguitur* a cæteris entibus ; hæc enim ab alio sunt, Ipse vero a se, et in hoc concipimus Deum a creaturis essentialiter differentem.

3° Denique omnes Dei perfectiones ab aseitate logice *deduci* possunt : nam — *a*) ens a se actum purum esse, ergo subsistens jam diximus (n. 45) ; sed — *b*) ex ente subsistente concludimus per *viam remotionis* Deum esse simplicem, infinitum, immensum, immutabilem, æternum, et unum ; — *c*) per viam *excellentiæ* probatur ens infinitum summa intelligentia gaudere : ex intelligentia autem defluunt scientia, voluntas... omnia attributa positiva Dei.

Ergo quoad nos et in ordine cognitionis, primaria est aseitas.

II. Est **aseitas radicalis** [2]. — Potest enim rursus quæri cur in ordine rei Deus sit ens a se, et occurrit ulterior et ultima ratio : quia Deus est *Ens* seu *Esse simpliciter* et ostenditur sic :

Esse non eodem modo convenit Deo et creaturis, sed secundum remotam analogiam ; hæ sc. habent esse participatum, Ille vero esse imparticipatum ; hæ habent esse secundum

1. **Thesis thomistica XXIII**ª ; — cf. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 356-370 ; — **Gilson**, *L'esprit de la philosophie médiévale*, 1932, ch. III. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 285-295.

quid, nempe esse minerale, organicum, sensitivum, Ille habet esse simpliciter, quia esse a se est supremus gradus essendi per se, et in hoc Deus dicitur et est Ipsum Esse subsistens. Atqui — 1. hoc in Deo primum est, nam « divina essentia exercitæ actualitati ipsius *esse* identificatur (n. 45) ; — 2. hac ipsa puritate sui *esse* a finitis omnibus rebus secernitur Deus (supra, 2°) ; et — 3. per hoc idem rationem nobis exhibet suæ infinitatis in perfectione », ut infra probabitur (n. 52). Ergo « divina essentia, per hoc quod est ipsum esse subsistens in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur [1] ».

Hinc est cur variis nominibus designetur esse creaturarum, quasi totidem limitationibus ; dum nomen Dei est *Esse simpliciter* ; quare dicit de seipso : « Ego sum qui sum. » « Hoc nomen *Qui est* proprie nominat ipsum et est proprium ejus [2]. »

47. Hinc aliæ opiniones aliquam habent SPECIEM VERI [3].

Imprimis enim certum est omnes perfectiones ad Dei essentiam, physice sumptam, pertinere, sed quæritur utrum logice et pro nobis una ex ipsis sit fons aliarum perfectionum seu essentia metaphysica : — de hoc tacent **nominalistæ**.

Præterea, Dei essentia jus quidem habet ad omnes perfectiones possibiles : sed jus entis dos est, quæ supponit ens jam in suo esse constitutum. Cur ergo natura Dei jus habeat ad omnes perfectiones, id non dicunt **Scotistæ**. Adde quod infinitas radicalis non prima concipitur : unde nec in ordine cognitionis, nec in ordine rei est attributum Dei primarium. — Haberi tamen potest ut attributum fundamentale seu universale, ut ita dicam, quod scilicet in omnibus aliis invenitur et est quasi eorum mensura.

Similiter, intelligentia est operatio quæ supponit essentiam rei et, si fuerit summa, requirit summum esse : siquidem prius est esse quam agere. Hinc ne intelligentia quidem est quid primarium in ordine conceptionis nostræ, ut volunt *antiqui Thomistæ*. — Si tamen Deus spectetur ut vivens, actus quo intelligit seu intellectio actualis, est attributum vitæ divinæ constitutivum [4].

Denique, Esse simpliciter non est quidem id quod primum nobis innotescit, est tamen id quod primum in Deo esse concipitur, secernit a creaturis, et radix est infinitæ perfectionis. Unde, etsi non sit attributum primarium in ordine cognitionis, est revera primarium in ordine rei et naturæ divinæ constitutivum.

Nil diximus de opinione **modernorum**, qui cum Secretan [5] et Hermann Schell essentiam Dei reponunt in absoluta *libertate* sibi dandi esse, substantiam et vivere. Hi enim voluntaristæ meminisse debent intellectum esse radicem libertatis, libertatem vero sibi dandi vivere et alia aliquid esse chimericum et contradictorium.

1. **Thesis thomistica XXIII^a et XXXIV^a.** — 2. *In I Sent.*, dist. VIII, q. 1, a. 1. — 3. **Farges,** *Ibid.*, p. 289. — 4. **Billuart,** *Tract. de Deo*, Dissert. II, a. 1, § 1-4. — 5. *La philosophie de la liberté*, 1848-9, t. II, p. 361-370.

Nota. — Nunc de attributis consecutivis aseitatis : sed tres sunt proprietates transcendentales, unitas, veritas, bonitas, quæ in Deo sunt *simplicitas, veritas, perfectio infinita.* De veritate tamen infra (n. 74), statim de aliis duabus.

ARTICULUS II

De Simplicitate Dei [1].

48. Utrum et quonam sensu Deus sit SIMPLEX ?

Simplicitas est attributum *quo essentia Dei ab omni compositione immunis est.* — Porro triplex compositio distingui potest in rebus mundanis : physica scilicet, metaphysica et logica. — Compositio *physica* nihil est aliud nisi compages partium sive substantialium, sive quantitativarum, quibus res materiales coalescunt. — Compositio *metaphysica* competit entibus in quibus potentia et actus, essentia et existentia, natura et suppositum, substantia et attributa, vel attributa inter se distinctione quadam reali afficiuntur. — Compositio tandem *logica* reperitur in entibus quæ constant genere et specie.

Jamvero ens, trium hujusmodi compositionum expers, merito dicitur **absolute simplex,** nam simplicitas absoluta est immunitas ab omni compositione. Porro Deum ea simplicitate gaudere statuit sequens

THESIS

Deus est absolute simplex.

Prob. in universum quintuplici attributo Dei prælaudato.

1° Deus est *ens a se* ; porro « omne compositum causam habet : quæ enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in unum nisi per aliquam causam adunantem ipsa [2] ». Ergo.

2° Deus est *ens Primum* et Independens ; quidquid autem partibus est compositum, posterius est suis componentibus, ab eisque dependet ; ergo Deus non est compositus.

3° Deus est *per se necessarium,* ergo non compositum essentia et existentia.

4° Deus est *per se subsistens,* ergo non receptus in alio.

1. **Farges,** *Ibid.*, p. 310-324 ; — **Sum. theol.,** I, q. 3, a. 1, 2, 5, 7 ; — **Billuart,** *De Deo*, Dissert. III ; — **Sertillanges,** *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 166-177. — 2. **Sum. theol.,** I, q. 3, a. 7.

5° Deus est *Actus purus* : sed ens compositum numero determinato partium fuit aliquando in potentia ad hujusmodi compositionem, ergo non Deus.

Dices : viget in Mathesi compositum, i. e., infinitum numericum : ergo et in Deo, quin lædatur ejus perfecta actualitas essendi [1]. Resp. Ne timeas verba et voces et merum loquendi modum mathematicorum : viget hujusmodi **infinitum** in ordine ideali, *conc.* ; — in ordine reali, *nego* (Ontol., n. 88, 89). — Unde *nego* consequens ; secus auferretur actualitas pura naturæ Dei.

49. Hinc imprimis nulla est in Deo COMPOSITIO PHYSICA.

Fusius : 1° Deus non est *materia* prima. — Hæc enim est pure potentia, omnino indeterminata, imperfectissima et prope nihil : ergo magnopere differt ab Ente Infinito et Actu Puro. — Similiter est iners et passiva, dum e contra Deus est motor Primus, omnino activus.

2° Deus non est *forma* corporis, nec etiam mundi. Hæc enim per se non subsistit, sed a materia pendet in esse et in operari, saltem extrinsece ut anima humana. Porro Deus, cum sit a se et subsistens, ab alio pendere nequit.

3° Deus non est *corpus* ex materia et forma compositum. Talis enim compositio ab alio fieri debuit, ab eodem destrui potest, et finita dici debet, utpote elementis finitis constituta. Deus autem est ens a se, independens et infinitum.

Hinc « Spiritus est Deus », ut dicit Scriptura [2], quæ tamen brachia, oculos et membra, sensu metaphorico, Deo tribuit. — Imo est **spiritus purus**, nam « immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia sint quoque gradus intellectualitatis [3] ».

50. Hinc etiam in Deo nulla est compositio METAPHYSICA.

Fusius : 1° Non componitur *actu et potentia*. — Quod enim habet potentiam, movetur ad actum, sicque perficitur, novum esse acquirendo. Porro Deus est motor immobilis qui perfici nequit, nec aliquid acquirere potest. Ergo Deus est Actus Purus seu Actus « irreceptus et irreceptivus », quia sine *potentia* est in qua recipiatur aut qua recipiat (Ontol., n. 20).

2° Non componitur *essentia et existentia*. — Nam Deus est Ens necessarium et subsistens : sed in tali ente essentia ab existentia non distinguitur. — Cæterum existentia est quasi actus relative ad essentiam in qua recipitur et quam perficit : in Deo autem non est potentia et actus (Ontol., n. 32-35).

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 311-314. — 2. **Jo.**, IV, 24. — 3. **Thesis thom. XVIII**[a].

3° Non componitur *supposito et natura* : propter easdem rationes, siquidem subsistentia est actus relative ad naturam quam perficit (Ontol., n. 107-9).

4° Similiter non constat *substantia et accidentibus*, siquidem et accidentia sunt determinationes substantiarum, quæ sunt in potentia ad ipsa accidentia sicut ad perfectiones (Ontol., n. 112).

5° Denique in Deo non sunt *attributa realiter distincta* : tum quia ex dictis idem sunt ac essentia divina ; tum quia proprietates inter se diversæ evidenter supponunt respectivos limites et ideo imperfectiones, quas in Deo infinito ponere non licet.

Hinc **attributa Dei sunt essentialia**, seu « unum et idem est ejus essentia cum attributis [1] ». Ideoque minus recte dicitur : Deus *habet* veritatem, potestatem, etc. ; melius vero : Deus *est* ipsa veritas, potestas, etc., seu est « sua Deitas, sua vita, sua essentia, suum esse [2] ».

51. Quid ergo de DISTINCTIONE **attributorum positivorum Dei ?**

Dico : *positivorum*, nam negativa sunt tantum aspectus essentiæ divinæ relative ad creaturas.

Distinctionem vero aliorum attributorum Dei, tum inter se, tum ab essentia divina, **non esse realem** de fide est, ait Suarezius : unde « hæretica » est sententia « cujusdam Gualteri » et Gilberti Porretani, qui distinctionem proprie realem posuerunt [3].

Utrum vero sit mere logica, vel virtualis, vel etiam formalis, gravis exsurgit disceptatio inter Nominales post Maïmonidem, Thomistas et Scotistas [4]. Sed distinctionem formalem Scotistarum in Ontologia (n. 53) jam rejecimus : aliunde constat nomina quæ Deo attribuuntur non esse synonyma, quamvis rem omnino unam significent ; ergo distinctio **non est mere logica**. — Est cum fundamento in re : siquidem hæc attributa Dei vel extra Deum diversos effectus producunt, sicut justitia et misericordia vel conceptus inter se distinctos fundant, sive independenter ab omni creatione ut intelligere et amare, sive de facto quia distinctæ in creaturis, ut essentia et existentia, intellectus et intellectio. Ergo **distinctio virtualis** seu rationis ratiocinatæ admittenda est, minor tamen seu incompleta, quia conceptus, licet diversi, cum designent eamdem rem, absolute simplicem, se includunt, eodem fere modo ac lumen solis et septem colores arcus cœlestis (Ont., n. 52). Non ergo errat intellectus noster, quando Deum, quem agnoscere non potest nisi per conceptus incompletos et præcisivos, variis nominibus exprimit [5].

1. **Contra gent.**, I, c. 22. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 3, a. 3, 4 ; — **S. Augustinus**, *Medit.*, c. XII et XIX. — 3. **Suarez**, *De Deo*, L. I, c. X. — 4. Cf. **Lherminier**, *Dissertation sur la distinction des attributs de Dieu* vel *Summa theologiæ*, 1714 ; — *Revue thomiste*, 1913, p. 17-48 ; — **S. Basilius**, Epist. 80 ; — **Fénelon**, *Op. cit.*, p. II, ch. VI, a. 2. — 5. **Denz.-Banw.**, n. 523 ; — cf. **Roaldès**, *Les penseurs du jour*, 1869, p. 320.

52. Hinc tandem in Deo nulla est compositio LOGICA.

I. **Arg. gen.** — In entibus, quæ species et genera constituunt, invenimus relationes æqualitatis vel similitudinis, et simul unam alteramve differentiam accidentalem aut essentialem. Videlicet individua ejusdem speciei, v. g., homines, æqualitatem naturæ important, discrepant autem nonnullis accidentibus. Similiter, inter species ad idem genus referendas, v. g., leonis et hominis, similitudinem sub quodam respectu, et quamdam differentiam essentialem comperimus.

Deus autem cum entibus omnibus quibus species et genera constituuntur, non habet similitudinem nisi tantum analogice [1]; quippe Deus est necessarius vi suæ naturæ, cætera autem omnia sunt essentialiter contingentia. — Præterea, in Deo nulla est proprietas accidentalis et attributa Ejus non discrepant ab Illius essentia : quapropter Deus, non secundum unam alteramve proprietatem accidentalem aut essentialem, sed secundum totam essentiam, cætera omnia transcendit.

Ergo tandem Deus non continetur in specie nec in genere.

II. **Arg. spec.** — Deus est Ens subsistens : unde esset genus vel quatenus ens, vel quatenus subsistens. Porro

1° Non est in genere *entis*, ut voluerunt Nominales et Rosmini, nam ens non est notio generica. « Omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis ; nulla autem differentia potest inveniri, quæ esset extra ens, quia non-ens non potest esse differentia ; unde relinquitur quod Deus non sit in genere entis [2] », seu quod Ens simpliciter non sit genus (Ontol., n. 8).

2° Non est in genere *substantiæ*. Quo in casu, substantia univoce conveniret Deo et creaturis ; sed non ita est, nam substantia Dei est a se, per se, absque accidentibus, dum substantia creata nec a se existit, nec per se subsistit, sed et substratum est accidentium.

Hinc Deus definiri nequit : caret enim elementis definitionis logicæ (infra, n. 140).

53. Hinc circa Dei simplicitatem plures ERRAVERUNT :

1° *Materialistæ* : hi enim, post David de Dinando, « stultissime [3] » ponunt Deum esse materiam, ab eaque, vi progressus infiniti, res omnes.

2° *Gentiles*, *Anthropomorphistæ*, *Stoïci*, — quorum alii formam corpoream Numini tribuunt, — alii contendunt Ens supremum, haud secus ac hominem, habere pedes, brachia, oculos, — alii tandem Deum animam mundi, mundum vero ingens animal esse volunt.

3° Denique *Pantheistæ*, qui Deum ab hac universitate non esse distinctum, aut res mundanas ab essentia Dei emanasse docuerunt.

1. **Contra gent.**, I, c. 29, 32, 33, 34. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 3, a. 5. — 3. **S. Thomas**, *Ibid.*, a. 7.

ARTICULUS III

De Infinitate Dei [1].

54. Utrum et QUONAM SENSU Deus dicatur infinite perfectus ?

Perfectio Dei considerari potest vel relative ad suam bonitatem et per comparationem ad creaturas, vel in se et absolute.

A. — Deus est **perfectus.** Perfectio significat rem esse finitam, sc. possidere omnes perfectiones quas exigit sua natura (Ont., n. 86). Sed ita Deus, qui est Actus purus : secus esset perfectibilis, ergo in potentia, ergo multiplex. A fortiori Deus *bonus* est, tum in se, quia ens et bonum convertuntur, tum pro aliis entibus, quibus est appetibilis, utpote capax ea perficiendi.

B. — Certum est Deum esse saltem **relative perfectissimum.** Revera Deus est causa, creator et ordinator mundi. Sed — 1° *Causa* continet omnes perfectiones suorum effectuum ; imo perfectior est suis effectibus ratione sive temporis, sive naturæ, sive independentiæ. Ergo Deus perfectione superat omnes creaturas [2] (Ontol., n. 151). — 2° *Creatio*, juxta plures, causalitatem requirit infinitam ; juxta omnes, saltem permaximam, quæ actu creationis certe exhauriri non potuit (infra, n. 111). — 3° Similiter, ut supra diximus (n. 24), *ordinatio* mundi supponit intelligentiam quam sapientissimam. Ergo Deus est relative perfectissimus.

Corol. — Hinc possidet Deus **omnes perfectiones creaturarum** sive quæ in suo formali conceptu puram perfectionem exhibent (*simpliciter simplices*), v. g., vita, libertas ; sive quæ mixtæ sunt quadam essentiali imperfectione (*simplices secundum quid*), v. g., corporeitas. Sed aliter et aliter eas possidet.

1° Priores enim reperiuntur in Deo *formaliter et eminenter*. Sunt formaliter seu secundum formam propriam, nam, si spectantur in se, nullum defectum involvunt ; sic, v. g., Deus est sapiens, justus, omnipotens ; sunt eminenter seu gradu

1. **Sum. theol.**, I, q. 4, 5, 6, 7 ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 297-306 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, 383-386 ; — **Sertillanges**, *St Thomas d'Aq.*, I, p. 193 et seq. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 281-282.

perfectiori et modo analogico, nam, si considerentur in homine, v. g., voluntas, intellectus, sapientia, defectibus coarctantur, quos a Deo removeri oportet (cf. Log., n. 35 ; Ont., n. 8, 151-B-4°).

2° Posteriores non sunt in Deo, nisi *virtualiter et eminenter* : virtualiter, nam secundum proprium conceptum involvunt imperfectionem ; unde eo magis eminenter seu modo præstantiori. Sic, v. g., extensio materiæ non est formaliter in Deo ; attamen perfectiones extensionis modo excellentissimo et eminentissimo, in plenitudine divina reperiuntur.

55. Utrum etiam Deus sit in se et ABSOLUTE perfectus ?

C. — Ulterius autem quæritur utrum perfectio Dei sit *absoluta*, seu utrum omnes perfectiones possideat, et quidem in gradu infinito seu absque ulla limitatione. Unde

1° **Notio.** Ea infinitudo Dei merito definitur : « Omnis perfectionis et entitatis simplicissima complexio [1]. » Non est numerica, nec extensa, sed una et simplicissima ; siquidem Infinitum sit absolute simplex, necesse est (Ontol., n. 89).

2° **Errores.** Unde qui, teste S. Thoma [2], per infinitum nihil aliud intelligunt nisi quantitatem materiæ vel ejus evolutionem, sicut pantheistæ, necessario asserere debent essentiam divinam non esse infinitam. — Sunt et alii qui dicunt Deum esse infinitum secundum quid aut relative, sed non simpliciter et absolute : ita quidam philosophi sæculi proxime elapsi, sapientiam, bonitatem, providentiam, aliave attributa absoluta Deo denegabant (Locke, Hobbes, Robinet).

Contra hos omnes sit

THESIS

Deus est ens undequaque et absolute infinitum [3].

Prob. — logice ex quinque attributis jam in tuto positis.

1° — *Ex notione* **Aseitatis.** Existit ens *a se* seu necessarium, i. e., ens cujus essentia continet existentiam. Porro tale ens perfectum est : si enim Deus a se seu in sua essentia limitaretur, adesset ratio hujus limitationis. Sed nulla est ratio quia, ex una parte, essendi necessitas, vi cujus Deus est, ad nullum peculiarem gradum perfectionis cum exclusione alterius definitur ; ex altera vero, si finitam haberet perfectionem, hæc numerari posset. Sit ergo X^n mensura hujusmodi perfectionis. « De quel droit pourrait-on attribuer la nécessité à un nombre X_n, plutôt qu'à $X^n + 1$, ou $X^n - 1$? Ce serait

1. **Lessius**, *De perfect. moribusque div.*, c. 1. — 2. *In I Sent.*, dist. XLIII, a. 1. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 7, a. 1 ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 297-302.

là une supposition arbitraire, une nécessité sans raison d'être, et par conséquent inintelligible. Seul l'absolu peut être nécessaire [1]. »

2° *Ex notione* **Primæ causæ.** Causa prima est ultima ratio omnium entium, sive nunc existentium, sive possibilium. Hoc autem esse non valet, nisi sit ens absolute infinitum.

Si enim possibilia fundarentur in Ente finito, quantacumque sit ejus perfectio, locus esset fingendi ens aliquod majus possibile. Hoc autem non haberet rationem essendi in essentia Entis necessarii, utpote imperfectioris, nec in eo pariter inveniret potentiam idoneam et proportionatam, per quam transire posset ad actum existentiæ : sicque possibile jam non esset possibile, neque intrinsecus, neque extrinsecus : quod est contradictorium. Ergo ens necessarium debet esse infinitum [2] (cf. n. 29).

3° *Ex notione* **Actus puri.** Deus est Actus purus qui, ne partialiter quidem, habet transire de potentia in actum. Porro, si non esset Ens infinitum, concipi posset tale ens fieri perfectius, saltem *idealiter*, ac proinde transire posse de potentia ad actum, quod apertam contradictionem involvit. Ergo ens quod est actus sine potentia seu actus purus debet esse infinitum.

4° *Ex notione* **Entis Subsistentis.** Deus est ens in se et per se et per se subsistens ; sed ens in se et per se subsistens est infinitum ; ergo Deus est infinitus (n. 45).

Probatur *minor* : Quod enim in alio, non per se, subsistit, ab illo mensuretur oportet : est *hoc* vel *illud*, v. g., planta, animal, homo ; quod autem in nullo recipitur, a nullo mensurari valet, cum sit esse simpliciter. — S. Thomas rem illustrat *exemplo* : ideo enim calor major est in uno corpore et minor in altero, quia nonnisi ad capacitatem subjecti recipitur, juxta illud : quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Si vero calor non in alio, sed per se subsisteret, oporteret ut calor, quatenus calor, nullam haberet limitationem. Similiter existentia coarctatur essentiis in quibus recipitur, sed, si per se subsistat, nullam habet limitationem.

« Ex hoc *ergo* quod Deus est ipsum esse per se subsistens, oportet quod totam perfectionem essendi in se contineat [3]. »

5° *Ex Dei* **simplicitate.** Deus est actus omnino simplex seu

1. Cf. **Farges**, *Ibid.*, p. 299-300. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 4, a. 2. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 4, a. 1, ad 3 ; — *I Sent.*, Dist. XLII, q. 1, a. 1.

essentia et existentia non compositus, sed « actus utpote perfectio non limitatur nisi per potentiam : ubi est finitus et multiplex in veram incidit cum potentia compositionem. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus existit [1]. »

56. Objectiones contra infinitatem Dei.

Athei cujusvis ætatis, imprimis vero Hegel et Germani non pauci ; deinde apud Gallos, Renan, Vacherot et Taine, ideam entis in genere, necnon « indefiniti », ab Infinito reali minime secernentes, asserunt Deum non esse aliquid reale, sed tantum in intellectu nostro. Juxta illos, Deus est « categoria idealis » ; « Dieu est pour l'humanité le résumé transcendant de ses besoins supra-sensibles, la catégorie de l'idéal, c'est-à-dire la forme sous laquelle nous concevons l'idéal ; comme l'espace et le temps sont des catégories des corps, c'est-à-dire les formes sous lesquelles nous concevons les corps [2] ». — Sic argumentatur [3] :

Obj. 1a. — *Ideale* non existit ; porro perfectum est ideale ; ergo perfectum non existit.

Resp. *Dist. maj.* : Ideale non existit, si est mere ideale, *conc.* : secus, *nego*. — *Dist. min.* Perfectum est ideale quod est simul reale ; *conc.*, est ideale tantum, *nego* ; siquidem ideale potest repræsentare aliquid realiter existens extra mentem nostram.

Inst. — Perfectio et realitas sunt in ratione inversa ; sic perfectior est linea idealis quam realis ; ergo perfectio absoluta erit summe idealis [4].

Resp. *Dist. ant.* Perfectio et realitas materialis sunt in ratione inversa, *conc.* ; perfectio et realitas formalis, *neg.* Revera materia est fons imperfectionum ; inde non mirum si linea idealis sit perfectior quam linea materialis. — Sed e contra, crescit perfectio cum realitate formali ; sic perfectior anima belluina quam vegetativa, et rationalis quam belluina. Quapropter, forma Dei, quæ est in supremo gradu, erit summe perfecta et infinita.

Obj. 2a. — Ens *indeterminatum* non potest esse reale : sed perfectum est indeterminatum ; ergo perfectum nequit esse reale.

Resp. *Nego min.* Nam determinatio est actus et perfectio : ergo Ens maxime perfectum est maxime determinatum.

Inst. — Determinatio est limitatio : ergo Perfectum, vel omnino indeterminatum, vel omnino limitatum sit oportet.

Resp. *Dist. ant.* Determinatio est limitatio per accidens, quando oritur ex compositione potentiæ et actuationis, ut in rebus finitis, *conc.* ; quando oritur ex perfectione actus et exemptione ab omni potentia, ut in Actu puro, *nego*. Equidem res finitæ determinantur et inter se distinguuntur gradu finitudinis seu actuationis cujusque ; sed Ens increatum ab omnibus perfecte distinguitur et omnes supereminet ipsa puritate actus.

1. **Thesis thomistica IIa** ; — cf. **Gilson**, *L'esprit de la philosophie médiévale*, 1932, p. 45-66. — 2. **Vacherot**, *La métaphysique et la science*, 1858, t. III, p. 217 ; — **Taine**, *Les philosophes classiques au XIXe siècle en France*, 1868, p. 370. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 300-303 vel 438-441. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 303-306 ; — **Caro**, *L'idée de Dieu*, 1873, p. 71.

Hinc in se hegelianismus nihil est nisi fucatus et excultior atheismus, juxta quem idealis, finitus et multiplex esset Deus (n. 61).

Nota. Activitas entis contingentis exercetur mutationibus in loco et in tempore : cujus imperfectiones in Deo negant *immensitas, immutabilitas et æternitas*, tria sc. attributa, de quibus remanet dicendum.

ARTICULUS IV

De Immensitate Dei [1].

57. Quomodo immensitas definiri possit ?

Immensitas est attributum, *quo substantia Dei est actualiter aut virtualiter præsens omnibus, quin ab illis definiatur.*

1º Dicitur attributum quo *substantia* Dei est præsens omnibus entibus. — Nempe « (Deus) est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur. Est per scientiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus. Est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi [2] ». Porro immensitas designat præsentiam non solum per potentiam et per scientiam, sed imprimis per essentiam suam intimam [3].

2º Additur Deum esse præsentem omnibus *actualiter* aut *virtualiter*. — Actualiter, scilicet rebus creatis omnibus et singulis, quod est *ubiquitas* seu omnipræsentia ; virtualiter, scilicet entibus, locis aut spatiis mere possibilibus quibus præsentiam suam exhibere potis est et hæc est proprie immensitas... Quare actualis omnipræsentia est quasi pars immensitatis, immensitas vero non tam est præsentia, quam vis ad præsentiam indefinitam.

3º Vi immensitatis, Deus adest omnibus, quin tamen ab illis *definiatur*, — *a*) sicut *corpus* quod est in loco *circumscriptive*, quia, vi quantitatis, spatio clauditur et circumscribitur [4], — *b*) sicut *anima* humana, quæ, vi *informationis*, non est extra corpus suum informatum, — *c*) sicut *spiritus*, creati qui, vi operationis, sunt in loco *definitive* simpliciter, quorum actio certos limites excedere nequit. Deus igitur modo sibi proprio est in omnibus et ubique, imo potest esse in locis innumeris, quæ crearet, si vellet : sc. vi operationis quidem,

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 337-344 ; — **Sertillanges**, *St Thomas d'Aq.*, I, p. 195-201. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 8, a. 3. — 3. Cf. **Lessius**, *Ibid.*, L. II, c. 1 ; — **Sum. theol.**, I, q. 8, a. 1-2. — 4. **S. Gregorius Magnus**, *Mor.*, XVI.

sed, quia operatio identificatur cum ejus essentia, per essentiam etiam, sed non definitive, ita ut nusquam ubi est vel sit, contineatur, sed omnes limites, omnia loca superexcedat et transcendat (Ontol., n. 138).

Hinc immensitas Dei, etsi negative concipiatur a nobis, est attributum **maxime positivum**, nec differt ab esse divino. Nam, priusquam mundus fieret, Deus erat immensus, et tunc orbi terrarum futuro eodem modo aderat, quo nunc adesse dicitur enti mere possibili sc. virtute. Creatione vero semel effecta, jam Deus præsentiam suam rebus physicis actualiter exhibuit, sed illius immensitas non est aucta. Unde S. Bernardus : « Ubi erat, antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quæras ultra ubi erat : præter ipsum nihil erat : ergo in Seipso erat [1]. »

58. Utrum Deus in sensu definitionis sit IMMENSUS ? — Contra plures hæreticos, pantheistas et quosdam spiritualistas, sit

THESIS

Non ubiquitate tantum, sed immensitate gaudet Deus.

I. **Prob. per partes.** A. — Deus est *ubique*. Revera ubi operatur, ibi Dei virtus est. Atqui Deus operatur ubique, ut operi suo conferat « esse », « virtutem » et « operationem [2] ». Ergo Dei virtus ubique est. Sed ubi Dei virtus est, ibi ejus substantia, ob identitatem virtutis et essentiæ. Ergo Deus ubique est per substantiam suam.

B. — Deus est *immensus*. Ibi Deus est virtualiter, ubi res esse possunt, nulla tamen sine Ipso ; sed in spatiis possibilibus res existere possunt, nec tamen sine Deo, quia nihil esse potest nisi per Eum [3] ; ergo in spatiis possibilibus Deus est virtualiter, et per hoc immensus est.

Uti vides, argumentum fundamentale in gratiam immensitatis divinæ fundatur in axiomate scholastico : « Non est actio in distans » ; siquidem agens operi suo conjungi debet. Unde operatio Dei in rebus, quæ dicitur virtualiter transiens, est ratio formalis, propter quam Deus existit intime in rebus [4] : idem est Deum esse in creatura quam Eum creare creaturam. — Ita Thomistæ adversus Scotistas, qui contendunt agens summe perfectum, actionem suam in distans exercere posse, per actionem a se diffusam ; sed immerito, siquidem principium : « non est actio in distans » est metaphysice verum, quum actio ab agente separari nequeat (Ontol., n. 134).

II. **Prob. in universum** *ex quinque attributis supra relatis.*

1. *De consideratione*, L. V, c. 6 ; — **Billuart**, *De Deo*, dissert. III, a. 6 ; — **Suarez**, *De Deo*, c. II, n. 8. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 8. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 4. — 4. **Billuart**, *De Deo*, dissert. III, a. 6.

1° Ex *aseitate*. — Ens enim quomodocumque localisatum, est in potentia ad esse in tali aut tali loco : sed quod est in potentia ad esse vel ad non esse in tali vel tali loco, habet supra se ens in actu, et ita est ens ab alio. — *Nec dicas* Deum ipsum esse in potentia saltem ad loca possibilia : hæc enim implentur creaturis, quin mutetur Deus, eodem ferme modo ac corpora lumen solis pervadunt, quin sol mutetur.

2° Ex notione *Actus puri*. — Ens in loco positum transire potest in alterum locum ; ergo non est ens movens et non motum, sed in potentia nec Actus purus.

3° Ex notione *Entis subsistentis*. — Ens in loco positum quasi loco recipitur et circumscribitur : sed Deus est ens irreceptum omnino et imparticipatum.

4° Ex *simplicitate*. — Deus ita simplex est ut actu et potentia non sit compositus ; sed ens in loco positum est actu in uno loco et in potentia ad alium ; ergo Deus non potest loco coarctari.

5° Ex *infinitate*. — Si Deus immensitate careret, eo ipso ejus virtus esset limitata ; sed est illimitata, ergo et immensa.

Non est ergo Deus in loco ad modum loci, sc. definitive, præcipue localiter, sed ubique est et immensus [1].

59. Hinc satisfit ERRORIBUS circa Dei immensitatem.

Primus est quorumdam, imprimis *Manichæorum* qui negarunt Dei « omnipræsentiam ». Sic nonnulli cum Cartesio [2] autumarunt Deum non esse præsentem ubique per essentiam, sed tantummodo per potentiam et scientiam. Manichæi vero putabant non esse in omnibus per potentiam, quia, secundum eos, spiritualia tantum subjecta essent divinæ potestati. — Cujus quidem asserti falsitas satis patet ex dictis.

Secundum profitentur Newton et Clarke qui tenuerunt immensitatem esse spatium infinitum : « Dieu, disent-ils, n'est pas le temps et l'espace, mais en durant partout et toujours, il constitue le temps et l'espace [3] ». — Quod est falsum, sed habet speciem veri : siquidem spatium est possibile per immensitatem Dei, sine qua nunquam actuari posset.

Tertius est scepticorum, imprimis Bayle, quorumdam etiam spiritualistarum (Rémusat, Hauréau), juxta quos immensitas et simplicitas in Deo conciliari nequeunt. — Sed e contrario Deus est immensus eo quod sit absolute simplex ; nam, quum Deus sit simplicissimus, non est præsens omnibus per contactum quantitativum, sed per operationem suam, seu per contactum virtutis [4].

Quartus est atheorum et pantheistarum, qui spatium universum

1. **S. Gregorius Magnus**, *De summo bono*, c. II. — 2. Item **Fénelon**, *Op. cit.*, p. II, n. 103. — 3. **Am. de Margerie**, *Théodicée*, 1865, t. I, p. 316. — 4. **Contra gent.**, I, c. 26.

asserunt esse collectionem omnium rerum. — Sed priores qui hoc spatium sine Deo immensum ponunt, jam confutati sunt ; posteriores vero qui hanc collectionem immensam volunt esse Deum, mox confutabimus (n. 105).

ARTICULUS V

De Immutabilitate Dei [1].

60. Utrum et quonam sensu Deus sit IMMUTABILIS ?

Immutabilitas, vi vocis, est attributum quo Deus *ab omni mutatione immunis est* : est autem mutatio *transitus de uno modo ad alterum modum se habendi* (Ontol., n. 87).

Porro res contingentes, etiam spirituales, et in esse et in operari sunt natura sua mutabiles : eaque variatio jure dicitur imperfectio, quam a Deo amovere oportet. Hac igitur perfectione gaudet, juxta quam nec in sua natura, nec in suis decretis, variationem experiri potest. Unde sit

THESIS

Deus est absolute immutabilis.

A. — **Arg. gen.** — Deus est ens a se, simplex, infinitum et immensum. Porro 1° *Ens a se* est immutabile : secus esset « aliquo modo in potentia » ad mutandum [2] ; et sic alius esset a quo de facto vel de jure mutaretur, proindeque jam non esset a se.

2° Ens *simplex* est immutabile : mutatio enim importat compositionem partium, quarum una permanet, dum alia mutatur.

3° Ens *infinitum* est immutabile ; non enim potest aliquid acquirere vel amittere, amplius enim non esset infinitum.

4° Ens *immensum* est immutabile : non enim habet transire de loco in locum, nec esse præsens ubi antea non erat.

Ergo Deus est absolute immutabilis.

B. — **Arg. part.** — Duplex est immutabilitas : *physica* seu in natura, *moralis* seu in decretis voluntatis. Porro

1° Deus physice immutabilis est in sua natura, nam

a) Non mutatur in *sua existentia*, — nec de non esse ad esse, quia non causatur, — nec de esse ad non esse, quia est ens necessarium.

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 324-330 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 387-390 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 202. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 9, a. 1 ; — **S. Augustinus**, *De Trinit.*, c. VI.

b) Non mutatur in *sua essentia* ; — tum quia ejus essentia non minus est necessaria quam existentia a qua reapse non differt, — tum quia transformatio substantialis competit tantum entibus materia et forma coalescentibus.

c) Non mutatur in *suis attributis*. Sunt enim idem ac essentia : cæterum evolutionem non habet Actus purus.

2° Deus est *moraliter immutabilis*, duplicem ob causam.

a) Non mutatur in *decretis suis* : mutatio enim hujusmodi supponit defectum in intellectu, qui ab initio non perpendit omnia diligenter, — aut arguit imperfectionem in voluntate quæ, modo rem unam, modo aliam, sine ratione sufficienti, mutato consilio, prosequitur.

b) Nec ei adduntur *novæ relationes*, saltem *reales*. — Relatio enim realis non advenit in aliquo, nisi per entitatem in eo novam. Entitas autem nova Actui puro nunquam addi potest, sed tantum creaturis quæ a Deo esse accipiunt.

Quare, creatio facta est et per creationem, **sine mutatione reali in Ipso**, Deus fit Dominus, Providus..., eodem ferme modo ac mons immobilis, modo ad sinistram, modo ad dexteram viatoris invenitur, qui solus mutatur.

61. Hinc Deus ACTUS PURUS, non τό *Fieri*, dici potest.

1° Est **Actus Purus** immobilis seu potius immutabilis[1] : « Ego Dominus et non mutor [2] » ; quod etiam recensetur « inter vulgaris philosophiæ decreta [3] ». — Cave tamen ne immutabilitas cum inactivitate et infecunditate confundatur : nam Actus Purus summa activitate præditus est, et, sine motu, operatione indefectibili gaudet.

2° **Non est τό fieri** ad sensum Heracliti, Hegelianorum et Bergsonistarum : juxta quos Deus non *est*, sed *fit* indesinenter, et progressus indefiniti legibus obtemperat [4]. — Sed contra :

a) Actus in *universum* prior est quam potentia. Ergo Ens Primum est actus et non potentia. — Antecedens probatur in Ontologia (n. 31), præsertim eo quod actus non pendet a potentia, sine qua esse potest, dum potentia omnino dependet ab actu, sine quo nunquam transiret ad actum, et nihil esset nisi mera impotentia. Unde potentia ut nota entis dependentis seu contingentis merito habetur, et a conceptu entis necessarii omnino excludenda est.

b) *Speciatim* Renan frustra duplicem Deum agnoscit : unum immutabilem et æternum, sed mere *abstractum*, alterum *realem*, sed imperfectum et progressus capacem : « En ce sens, inquit, Dieu sera plutôt qu'il n'est ; il est *in fieri*, il est en voie de se faire. » Sed, ex una parte, Deus idealis est mera fictio, ut alibi diximus

1. **Aristoteles**, *Metaph.*, L. XI, c. VII. — 2. **Malachias**, III, 6. — 3. **Sallustius**. — 4. **Farges**, *L'idée de Dieu*, 328-330 ; cf. *Théorie fond.*, p. 192 et seq. ; — *La philosophie de M. Bergson*, p. 267 et seq.

(n. 53) ; ex altera parte, Deus ad progressum habilis, non differt ab hac rerum contingentium universitate : « Il est synonyme de la totale existence [1]. » Quapropter systema progressistarum nihil est nisi pantheismus immanens, et omnium crassissimus, ut infra videbitur (n. 104-107).

ARTICULUS VI

De Æternitate Dei [2].

62. Quid sit in Deo ÆTERNITAS ?

Celeberrima est æternitatis **definitio a Boetio tradita** : « *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* »

Dicitur — 1° *possessio* : et sane Deus habet dominium plenum vitæ ; cujus vero creatura usumfructum tantum possidet.

2° Est possessio *vitæ* : nam « vita est perfectissimum esse, ac proinde in ejus possessione merito ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio [3] ».

3° Est possessio vitæ *interminabilis* ; hæc enim « principio et fine [4] » caret, et ideo sempiterna dicitur.

4° Est possessio *tota simul* seu *simultanea*, in qua scilicet nec gradum, nec successionem numericam invenies : et proinde differt a tempore, necnon ab ævo : in utroque enim habentur numero finitæ successiones (Cosmol., n. 130).

5° Hinc est possessio *perfecta*, nempe tum ratione objecti seu vitæ infinitæ quæ possidetur, tum ratione modi quo reapse possidetur.

Ex quibus **tria** inferre licet : — 1. Æternitatis duplex est elementum, unum *materiale*, nempe sempiternitas, alterum *formale*, nempe simultaneitas possessionis. — 2. Vox porro « æternitas » non est negativa, sed *positiva* : hinc non præcise sempiternitatem, sed magis simultaneitatem vitæ designat. — 3. Denique æternitas est quasi *species immutabilitatis* : nam immutabilitas est attributum « commune », secundum quod omnis mutatio a Deo removetur ; æternitas vero specialem temporis finiti vicissitudinem ab ente necessario removet.

63. Utrum Deus in sensu definitionis sit ÆTERNUS ?

Ad hoc tria requiruntur et sufficiunt : videlicet ut Deus initio, fine et successione careat. Unde sit

1. *Les sciences de la nature et les sciences histor.*, 1863, *passim.* — 2. **Farges**, *L'idée de Dieu*, 330-337 ; — cf. *Dict. de théol. cath.*, art. *Eternité* ; — **Sertillanges** *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 203-208. — 3. **Lessius**, *De perfect. moribusque div.*, L. IV, c. 1. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 10, a. 1 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 189.

THESIS

Deus est æternus seu initio, fine et successione carens.

Prob. — ex quinque attributis jam in tuto positis :

1° *Ex aseitate.* — Deus est Ens a se, necessarium et subsistens. Ergo — initium habere nequit, nam illud haberet ab alio ; — nec finem habere potest, jam enim non esset ens necessarium ; — nec tandem in eo succedit esse, nam esse non recipitur in Deo, propter identitatem essentiæ et existentiæ.

2° *Ex simplicitate.* — Deus est absolute simplex : ergo ejus existentiam cum essentia uniri ab initio, ab ea separari in fine, gradatim ei communicari decursu temporum, concipi nequit.

3° *Ex infinitate.* — Deus est ens absolute perfectum : sed ens temporaneum infinite perfectum esse nequit : nam — *a*) limitatur serie numerica et semper finita ; *b*) in eo inveniuntur præteritum et futurum, quibus hic et nunc indiget, ac proinde vita tantum partiali et quasi stillante (*goutte à goutte*), non autem plena et perfecta fruitur.

4° Ex *immensitate.* — Deus est *immensus* ; ergo, non habet, sicut ens in loco positum, suam præsentiam diversis entibus successive tantum exhibere : ergo sine successione est seu æternus.

5° *Ex immutabilitate.* — Deus est immutabilis ; sed initium, successio et finis, mutationem quamdam in natura aut in actibus important ; ergo « ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum [1] ».

Quin etiam Deus « nec solum est æternus, sed est sua æternitas... suum esse uniforme [2] ».

64. Hinc Dei æternitas IMAGINARI nec potest, nec debet.

1° **Non potest** imaginari res, cujus imago e rebus sensibilibus hauriri non potest. Porro tale est Ens in quo nec initium, nec successio, nec finis est ; in quo neque præteritum, neque futurum est, sed perenne præsens, dum fluxu sæculorum mutatio fit tantum in creaturis. — Non desunt tamen *exempla* quæ rem illustrant. Respectu temporis, « image mobile de l'immobile éternité [3] », æternitas non incongruenter assimilabitur immoto *centro*, quod, quum individuum sit et permanens, vi linearum quæ inde ducuntur, punctis omnibus spheræ respondet, quæ circa ipsum forte volvatur. Vel etiam æternitas comparari potest *axiomati* mathematico vel geometrico, quod neque in præterito incepit esse, neque in futurum desinet, sed sine ulla vicissitudine totum simul et perfectum existere concipitur.

1. **Sum. theol.**, I, q. 10, a. 2. — 2. **Sum. theol.**, *Ibid.* — 3. **J.-J. Rousseau.**

2° **Nec debet** imaginari, imprimis tanquam successiva seu indefinita duratio. Hinc est enim cur Locke, Clarke et nonnulli Scotistæ erraverint. — Nam *Locke* perperam asseruit æternitatem constitui ex infinita temporis multiplicatione ; — aliunde *Clarke* voluit tempus abstractum, et ideo numerum instantium, ab æternitate Dei non esse distinctum ; — *Scotistæ* vero nonnulli docuerunt æternitatem non excludere successionem et illam definiunt : seriem infinitam instantium sine initio et sine fine sibi succedentium. Falsæ sunt istæ sententiæ, quæ successiones, easque numero infinitas, in æternitate Dei reponunt.

ARTICULUS VII

De Unicitate Dei [1].

65. Utrum et quonam sensu Deus sit unus et UNICUS ?

Unicitati contradicunt dualistæ et polytheistæ ; sit igitur

THESIS

Deus est unicus, i. e., sibi consortem habere non potest.

Prob. — thesis ex omnibus aliis attributis jam expositis.

1° Ex *aseitate*. — Deus est ens a se et ideo necessarium et subsistens. Sed aseitas pluribus, nec inesse, nec communicari potest. — 1. Pluribus *inesse* nequit, nam cum sufficiat unum ens a se, cætera non modo non sunt necessaria, sed etiam sunt inutilia : quæ vero sine ratione sunt, inexistere dicenda sunt. — 2. Pluribus *communicari* nequit, quia multiplicari non potest nisi recipiatur in diversis potentiis seu essentiis, sed plures dii, qui, juxta mythologiam sic extra Deum in tempore generarentur, jam non essent esse subsistens sed entia a se simul et ab alio : quod est contradictorium. Ergo Deus unicus est.

2° Ex *simplicitate Dei*. — Deus est absolute simplex ; sed ens absolute simplex est unicum : ergo Deus unicus est.

Minor sic probatur : in ente quam simplicissimo, principium naturæ est ipsum principium individuationis. Ergo Deus, per hoc quod est Deus, est *hic* Deus. Porro hoc est quid unicum : v. g., id quo Petrus est Petrus, non potest aliis hominibus convenire. Idcirco unus est Deus, eodem ferme modo ac « si Socrates per id esset homo per quod est *hic* homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines [2] ». Hoc autem convenit Deo.

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 306-308 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 298-210. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 11.

3° Ex infinita Dei *perfectione*. — Deus est infinitus ; sed Ens infinitum non potest esse nisi unicum ; ergo Deus unicus est. — *Minorem* sic confirmat S. Thomas : « Si essent plures dii, oporteret eos differre ; aliquid ergo conveniret uni quod non conveniret alteri, et, si hoc esset privatio, unus non esset simpliciter perfectus ; si autem hoc esset perfectio, alteri eorum deesset. Impossibile est ergo plures esse deos [1]. »

4° Ex *immensitate, immutabilitate et æternitate* simul. — Hæc tria attributa sunt incommunicabilia. Ergo Deus unicus est.

Probatur antecedens, nam in hypothesi plurium deorum : — 1. Nullus erit *immensus*, siquidem nullus erit præsens entibus quæ ab aliis producerentur. — 2. Nullus erit *immutabilis*, sed singuli erunt in potentia, saltem ad perfectiones quibus alii individuantur. — 3. Nullus erit *æternus*, nam per se solum nullus habebit totam et perfectam vitæ possessionem [2]. Ergo unus est tantum Deus immensus, immutabilis et æternus.

Confirmatur thesis : — tum pro doctis *ex unitate mundi* : nempe mundus unus est ; porro unitas mundi arguit unum ordinatorem ; ergo ordinator mundi seu Deus, unus est [3] : — tum pro viro catholico ex *auctoritate* Scripturæ [4] et Ecclesiæ : « Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema sit [5]. »

Superest ut plenius evertatur *Dualismus* et *Polytheismus*.

§ I. — *De Dualismo.*

66. Quid sit DUALISMUS et quid de eo sit sentiendum ?

Dualismus est systema eorum qui *duplex admittunt principium primum*, nempe *Deum et materiam*, — *vel principium a quo bona procedunt et alterum a quo mala sumunt exordium.* — Prior dualismus *philosophicus*, posterior *Manichæismus* seu dualismus *theologicus* appellari solet.

Manes, qui Manichæus quoque dicitur, e Perside oriundus, circa annum 240, dualismum ad tria puncta revocavit : — 1° Duo sunt principia, unum a quo *bona* procedunt, et alterum a quo *mala* dimanant ; — 2° Duo hæc principia sunt æterna, et a se invicem non pendent ; — 3° Principium malum semper necessarioque dimicat adversus principium bonum, et omnia quæ defluunt a bono, divexare non cessat.

1. **Sum. theol.**, I, q. 11, a. 3. — 2. **Sum. theol.**, *Ibid.* — **Lessius**, *Ibid.*, L. IV, c. II. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 307 ; — cf. **Sum. theol.**, I, q. 11, a. 3. — 4. Cf. **Deut.**, VI, 4 ; XXXII, 39 ; — **Is.**, XLIV, 6 ; — **Ps.**, XVII, 32 ; — **Marc**, XII, 29 ; — **I Cor.**, VIII, 6. — 5. **Concil. Vatic.**, Const. *Dei Filius*, can. 1, in **Denz.-Banw.**, n. 1801.

Huic recens adhæserunt Stuart Mill [1], Spencer [2], Proudhon et Pessimistæ. — Contra quos omnes sit

THESIS

Dualismus, quicumque sit, rejiciendus est [3].

Prob. — Quia dualismus *theoretice* impossibilis est aut contradictorius, *practice* vero inutilis et perniciosus.

1° **Impossibilis** est. Nam probatum est primum principium esse independens et infinitum. Si autem duo vel plura essent rerum principia, aliquid conveniret uni quod non alteri, et unum ab alio penderet : v. g., Deus in creando a materia penderet et ab ea limitaretur ; sicque neutrum dici posset independens et infinitum. Ergo non est possibile quod duplex sit primum principium.

Dices : principium malum esse materiam primam et *prope nihil*. *Resp.* Hoc posito : — 1° existit realitas necessaria extra Deum ipsum ; — 2° jam non est independens Ipsius operatio, quæ nihil per se sine materia producere valet ; — 3° denique ab Illo non pendent opera mundi, saltem in esse suo substantiali. Porro hæc omnia falsa sunt.

2° Si tamen propugnatur, **contradictorius** est. Duo enim prima principia sunt simul infinita et non infinita : — sunt infinita, siquidem sunt a se, aseitas autem importat infinitatem ; — non sunt infinita, duo enim infinita sese invicem excludunt.

Imo, in hypothesi Manichæorum, sunt *entia* et *non entia*. — Sunt entia, nam simpliciter et a se subsistunt : — Non sunt entia, nam principium bonum attributis fruitur sui destructivis : est enim independens in esse et dependens in operari, infinitum in esse et finitum in operari... etc. ; principium vero malum est purum nihilum ; nam, sicut omne ens est bonum, ita malum est privatio boni, ideoque principium summe malum est summa realitatis privatio. Unde S. Augustinus : « Vos, (o Manichæi !) colitis ea quæ nec aliquid sunt, quorum prorsus nulla sunt [4] ! »

3° Practice **inutilis** est. Excogitatus enim fuit dualismus vel ad mysterium creationis vitandum, vel ad explicandam mali existentiam. Porro ex utraque parte incassum evadit. Nam — 1. in hypothesi materiæ æternæ, Principio alteri non incumbit quidem creatio materiæ, bene tamen formarum substantialium præsertimque animæ humanæ : si autem formas etiam subsistentes creare valet, cur non ipsam materiam [5] ? — 2. In hypothesi vero Principii summe mali, tunc illud Principio Bono erit vel inferius, vel superius, vel æquale viribus : si primum, nullum erit in mundo malum ; si secundum, nullum erit bonum ; si tertium, neque bonum, neque malum.

1. *Mes mémoires*, 1869. — 2. *Principes de biologie*, 1864. — 3. **Farges**, *Ibid.*, 442. — 4. *Contra Faustum*, L. XX, c. 9. — 5. **Farges**, *Ibid.*, 443.

4° Denique **perniciosus** est. Si enim malum et peccatum tribuuntur materiæ vel nescio cui Principio malo, jam pereunt libertas, imputatio, meritum et demeritum ; sicque in vitia cujusvis generis impelluntur homines. — Quod et historia sive antiqua, sive recentiori comprobatur : jam enim in vulgus prodierunt dæmonolatria et crimina sectarum Massonicarum, quæ Luciferum Deo opponunt.

Obj. — Est malum in mundo ; sed malum procedere nequit nisi a principio malo ; ergo existit principium malum.

Resp. *Dist. maj.* : est malum in mundo, nempe privatio boni, *conc.* ; entitas autem essentialiter mala, *nego*. Nam, ex dictis supra (2°) et in Ontologia (n. 65), ens essentialiter malum esse nequit.

Inst. — Sed effectus saltem moraliter malus a principio bono procedere nequit ; ergo nonnisi a principio malo sumit exordium.

Resp. *Dist. ant.* : Effectus malus non potest *immediate* et *directe* a primo Principio bono procedere, conc. ; *mediate* et *indirecte*, nego : nihil impedit, v. g., quin Deus nobis largiri queat *liberum arbitrium*, ex cujus *abusu* malum oriatur (n. 139) [1].

§ II. — *De Polytheismo* [2].

67. Quænam sint FORMÆ, CAUSÆ et RATIO polytheismi ?

A. — **Polytheismus** est error eorum, qui *plures paucioresve deos* admittunt, aut numero *indefinitos* esse putant.

Error ille varias induit formas, e quibus præcipuæ sunt :

1° *Dæmonolatria* seu cultus geniorum, sive bonorum, sive malorum ; viguit olim apud Græcos et Romanos, nunc apud Orientales et in Oceania.

2° *Sabæismus* seu cultus siderum ; celeber fuit apud Persas et in Græcia nonnullos sectatores habuit.

3° *Anthropolatria*, nempe cultus hominum ; talis fuit in Græcia cultus Jovis et Saturni, imperatorum Romæ [3] et avorum apud Sinenses.

4° *Zoolatria*, id est cultus quorumdam animalium ; floruit potissimum in Chaldæa, in Egypto et in India.

5° *Fetichismus*, id est adoratio naturæ inanimis, sc. fluminum, terræ, olerum, imo et idolorum ; viget adhuc in nonnullis Indiæ et Africæ regionibus : olim autem grassatus est apud Ægyptios.

« Porrum et cæpe nefas violare et frangere morsu.
« O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
« Numina [4] ! »

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 79, a. 1, ad 3. — 2. **Briault**, *Polythéisme et fétichisme*, 1929. — 3. **Allo**, *Commentaire sur l'apocalypse*, 1921, p. 204, 210. — 4. **Juvenalis**, *Sat. XV* ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 4.

B. — **Tres causæ** fuisse videntur : sc. *adulteratio revelationis primævæ, segnities rationis* et *corruptela cordis humani.*

1° Cultus geniorum sive bonorum sive malorum seu dæmonolatria, traditiones quorumdam populorum de mundi origine, de lapsu primi hominis, de mercede et pœnis alterius vitæ, testantur existentiam revelationis primitivæ, quæ paulatim apud populos a Judæis distinctos fuit *adulterata* [1].

2° Intellectus *segnities et imbecillitas* in inquirendis veritatibus metaphysicis non paucos ad polytheismum propulit. Et vero, ad Deum ascendimus per viam causalitatis ; quum autem plures sint causæ secundæ, inter primam Causam et effectus maxime remotos, qui per experientiam innotescunt, ratio, ex his effectibus exordiens, sæpe immoratur in causis secundis, et idcirco primam Causam non attingens, incidit in errorem sabæismi, fetichismi, animismi, mânismi, etc.

3° Ultima tandem polytheismi causa repetitur e *corruptela* cordis humani, eaque forsitan est cæteris universalior ; nam, ut dicit Origenes, « ea quæ diligunt homines, deos esse volunt, et humanis quibusque vitiis et cupiditatibus divinum nomen adscribunt ». Talis fuit præsertim anthropolatriæ origo [2].

68. C. — Utrum autem polytheismus **in se essentialiter** sit *error* intellectus, aut solummodo voluntatis *depravatio*, disputatur.

1° *Alii* certitudinis fundamentum requirentes ab auctoritate generis humani, docuerunt polytheismum non esse intellectus errorem proprie dictum, sed *voluntatis crimen* horribile : videlicet, omnes populi dogma unitatis Dei semper agnovere, Deo autem grates agere noluerunt [3]. — A quibus parum recedunt, qui nihil aliud inveniunt in polytheismo, nisi quemdam deismum ; id est, juxta eos, pagani Deum esse credunt, putant autem Illum de rebus mundanis nullam curam habere : verumtamen genios, sive bonos, sive malos, vitæ nostræ opitulantes vel insidiantes, admittunt, eosque veluti deos adorant.

2° **Verior** est sententia, quæ asserit poytheismum non esse duntaxat voluntatis depravationem, sed *intellectus errorem* proprie dictum. Quod probatur historia profana, Sacris Scripturis et auctoritate SS. Patrum ; nam « quod notum est Dei, manifestum est in illis (paganis), ita ut sint inexcusabiles,... sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est cor eorum [4] ».

1. Cf. **R. P. Montiton**, *Cosmogonie des Pomotous*, in Missions catholiques, 1874, p. 342 ; — **Vigouroux**, *La Bible et les découvertes modernes*, 1877 ; — **Lenormant**, *Monographie*, 1864 ;— **Briault**, *Op. cit.*, p. 191-195 ; — **Pinard de la Boullaye**, *Op. cit.*, cf. *Index général*, voc. *Polythéisme*. — 2. Cf. **Pluche**, *Histoire du ciel*, 1788, t. I, p. 200 ; — **Origines**, *Homil.*, II, in c. II Judic. ; — Item **S. Catharina**, patrona philosophorum, ad imperatorem Maximinum ap. **Giry**, *Vie des Saints*, 25 nov. — 3. **Ita de Lamennais**. — 4. **Rom.**, I, 19 et 20.

69. Quatenus polytheismus sit POSTERIOR monotheismo.

Contradicunt quidem athei [1], plerique rationalistæ moderni, juxta quos polytheismus est fructus activitatis præ-religiosæ vel etiam a-religiosæ et explicatur [2] :

a) sive *personificatione* rerum et virium naturæ (tonitruum, fontes, cœlum, astra, etc.) (schola mythologica, panbabylonistica).

b) sive *evolutione* conviviorum quæ super sepulchra mortuorum, præsertim avorum et benefactorum tribus, fiebant (mânismus, Spencer).

c) sive *persuasione* quod res naturæ, per assimilationem ad hominem, animantur a spiritibus bonis vel malis (animismus, Tylor).

d) sive *magia*, quæ ducitur persuasione quod facta insolita non explicantur per vires ordinarias sed per vires speciales, impersonales et materiales quæ moveri non possunt nisi per carmina, saltationes, et alios similes ritus magicos.

e) denique *deificatione* societatis, a qua homo acciperet omnia : loquelam, ideas, artes, moralitatem, protectionem, quæ plerumque dantur ei sub forma mandatorum vel interdictorum. Tunc enim individuum instinctive supponit vim magicam esse in ista societate sibi superiori et speciatim in animali vel planta (totem) a quo tribus (le clan) originem habere censetur et cujus nomen tenet. Jamque sicut illa vis magica et extraordinaria, ita hæc virtus socialis et symbolica paulatim divina sed impersonalis, personalis evadit adorationesque et invocationes proprie dictas accipit : sic orta est religio (ita Durkheim, Freud, omnes sociologistæ et Lévy-Bruhl modo parum diverso). — Sed contra sit

THESIS

70. *Monotheismus est natura et tempore prior po lytheismo.*

Prob. — Hac in re distinguere est omnino inter facta et theoriam ; sc. deificatio virium naturæ, cultus mortuorum, animismus, magia et totemismus sunt facta a nemine negata ; sed falsa est theoria in quantum intendit sic explicare monotheismum, consensum populorum in agnoscendo Deo et originem religionis : monotheismus enim

1. Natura prior est ut infertur ex quinque viis ad Deum, in universum et ubique, apertis : dum facta prædicta non sunt universalia, sed pendere videntur a tali vel tali modo vivendi (agricultura, venatio, vita pastoralis) vel tali aut tali familiæ regimine (patriarchatus, matriarchatus). *Ideo polytheismus* nunquam fuit universalis, nam, fatente ipso Renan, nunquam viguit apud Judæos [3], sed et inter gentes multi philosophi (ex. g., Anaxagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero et

1. **Aug. Comte**, *Catéchisme positiviste*, 1852. — 2. Cf. **Schmidt**, **Pinard de la Boullaye**, **Biault**, *Op. cit.* ; — **Trilles**, *Les pygmées*, 1932. — 3. Negat **Viardot**, *Libre examen*, p. 14, 15.

alii), deorum pluralitatem deridentes, existentiam Entis supremi noverunt [1].

2. **Tempore etiam prior** est, quia eadem facta non sunt primitiva ; etenim eo rarius apparent quo populi sunt magis primitivi, apud quos e contra, v. g. apud Pygmeos, clariores vigent agnitio, invocatio et etiam cultus *Dei supremi*, *unici*, *mundi creatoris* et *legis moralis conditoris* simul et *vindicis* ; historice enim certum est polytheismum non extitisse ante monotheismum [2].

Cæterum Polytheistæ Deum, imo implicite Deum unum et supremum admittunt, nam Deum deorum patrem et rectorem confitentur (n. 34). Ideo polytheismus error est, sed tantum circa naturam Dei, qui vim probantem argumenti moralis in gratiam existentiæ Dei, imo ejus unicitatem, inficere non valet.

71. Corollarium

De invisibilitate, incomprehensibilitate, cognoscibilitate Dei [3].

1. Deus, etsi maxime cognoscibilis in se, est *invisibilis* omni creaturæ, non propter defectum, sed propter excessum intelligibilis supra intellectum creatum, sicut sol, qui est maxime visibilis, videri non potest a vespertilione, propter excessum luminis. Hinc nec secundum aliquam speciem creatam, nec a fortiori oculis corporalibus videri potest ejus essentia [4].

2. Non repugnat tamen quod aliquo lumine roboretur ad Deum videndum etiam intellectus creatus, cui tamen Deus remanebit *incomprehensibilis*, non in eo sensu quod aliquid ejus sit quod videatur et aliquid quod non videatur, sed quia tota essentia non ita perfecte cognoscitur, sicut cognoscibilis est.

3. Remanet ut *per speculum creaturarum*, sc. per viam negationis earumdem imperfectionem cognoscatur et nominetur Deus. Non tamen attributa negativa dicuntur eo quod aliquid in Deo negent, sed contra negant imperfectionem creaturarum ut affirment in Deo perfectiorem realitatem, sc. per viam analogiæ et eminentiæ ut statim melius videndum in attributis positivis [5].

1. Cf. **Sum. theol.**, II-II, q. 174, a. 6 et q. 94, a. 4, ad 2 ; — **Brugère**, *De vera religione*, app. xv ; — **Mgr Freppel**, *Les apologistes chrétiens*, *S. Justin*, 1869, 6e, 7e et 8e leç., p. 110-164. — 2. Cf. **S. Cyrillus Alexandrinus**, *Contra Julian.*, L. I ; — **Tullius**, *De natura Deor.*, L. I, n. 36 ; — cf. **P. Schebuta**, *Chez les Pygmées*, 1932. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 12. — 4. *Ibid.*, a. 1, 2, 3. — 5. **Sum. theol.**, I, q. xiii.

CAPUT SECUNDUM

DE ATTRIBUTIS DEI POSITIVIS [1]

72. Utrum et quænam in Deo sint attributa POSITIVA ?

A. — **Hactenus per viam negationis** removimus a natura Dei creaturarum imperfectiones, v. g., dependentiam, limites, compositionem.... Sunt autem in creatis perfectiones, quas Ipsi per viam affirmationis tribuere nunc oportet. Nam, « quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a Creatore. Quod autem est causa alicujus, habet illud excellentius et nobilius. Unde oportet quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo, sed *analogice*, ut supra dictum est (n. 43). Jamvero inter eas eminet *vita* : vita enim est perfectio, eo quod perfectius est vivere quam non vivere. Indubium est igitur Deum vivere.

B. — **Nobiliori tamen modo** [2]. Gradus enim diversi reperiuntur in viventibus. Alia enim, ut vegetalia, viribus suis inconsciis sponte moventur ad finem suum ; alia, scilicet animalia, secundum impressionem per sensum acceptam se ipsa movent ; alia tandem seu homines finem sibi præstituere et eligere possunt : « quod quidem non fit nisi per rationem, et intellectum [3] ». Et in hoc ultimo consistit *vita intellectualis*, quæ, utpote perfectior, Deo, et quidem modo superexcellenti, convenire debet.

Jam vita intellectualis duabus potentiis ad intra exercetur : *Intellectu* et *Voluntate*, quas in Deo consequitur *Omnipotentia* et importat *Personalitas*. Unde quadruplex articulus.

ARTICULUS I

De Intellectu Dei [4].

In quatuor paragraphis dicemus : 1° de *Existentia*, 2° de *Objecto*, 3° de *Medio*, 4° de *Proprietatibus* scientiæ divinæ.

§ I. — *De Existentia scientiæ divinæ.*

Scientia, ut jam diximus, requirit *cognoscens*, *cognitum*, utriusque *unionem* : unde quæritur an hæc tria sint in Deo.

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 345 et seq. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 18, a. 2-3 ; — cf. **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 238. — 3. **Sum. theol.**, *Ibid.* — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 345 et suiv. ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 395-440 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, p. 107.

73. Utrum et quonam gradu in Deo sit INTELLECTUS **?**

THESIS

Deus intellectu, et quidem infinito, fruitur.

I. — Deum **intelligentia gaudere**, sat ex dictis patet. *Imprimis* enim ordo mundanus arguit existentiam supremæ Intelligentiæ, quam supra (n. 24), diximus esse Deum — *Præterea* Deus est Spiritus (n. 49); sed primarium spiritus attributum est intellectus; ergo Deus intellectu fruitur. Quare Θεός, id est videns, a Græcis perbelle vocatur.— *Denique* fons perfectionum moralium est intellectus, sine quo, nec voluntas libera, nec amor, nec beatitudo, concipi possunt; ergo Deus intellectu gaudet.

II. — Deum esse **summe intelligentem** exinde deducitur. *Nam* prævisio omnium possibilium requirit intelligentiam infinitam; porro, etiamsi hanc prævisionem absolute non requireret ordinatio mundi, illam exigit aseitas divina; siquidem ens a se est locus, et ratio, et mensura omnium possibilium (n. 29). — *Cæterum* intelligere, quod in homine est limitatum, est perfectio simplex (n. 54), quæ nullam, si spectatur in se seu in suo conceptu, imperfectionem connotat. Ergo Deus est *summe* intelligens: secus enim et non esset infinite perfectus et aliqua in effectu perfectio deficeret in causa.

74. Utrum etiam et quonam sensu Deus sit VERITAS **?**

Veritas et esse sunt unum et idem. Porro Deus est summum et primum Ens. Ergo *fundamentaliter* est summa et prima Veritas, sed etiam formaliter, unde

THESIS

Deus est summa et prima Veritas [1].

Prob. — Veritas formaliter est ipsum ens, quatenus refertur et tripliciter ad intellectum (Ontol., n. 54). Pariter Deus

I. — Est **summa veritas** et quidem in triplici sensu, nam

a) Veritas est *conformitas objecti cum intellectu*; sed in Deo est identitas (qua major non est conformitas) objecti seu essentiæ et intellectus; igitur Deus est summa Veritas *metaphysica*.

b) Veritas est etiam *conformitas intellectus cum objecto cognito*; sed intellectus divinus est conformis, non solum ipsi

1. **Sum. theol.**, I, q. 16, a. 5.

Deo, sed omnibus rebus creatis quas adæquate cognoscit et producit; ergo Deus est summa veritas *logica*.

c) Denique veritas est *conformitas loquelæ cum intellectu loquentis*, sed Deus, sicut falli non potest, ita nec fallere quomodocumque loquatur, ergo tandem in Deo est summa veritas *moralis*. — Hinc in ordine supernaturali sicut in ordine naturali Deus est summe *verax*, revelatio, si adest, omnino certa, proindeque, « etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest [1] ».

Confirmatur, quia intelligere Dei est causa et mensura omnis alterius entis et omnis alterius intellectus, ac proinde omnis alterius veritatis quæ splendet in intellectu creato.

II. — Deus est **prima Veritas.** — Et sane non tantum est Primum Ens et omnibus prior, sed primario seipsum cognoscit, objectum est excellentissimum cognitionis creatæ et verbum Ejus primo fide dignum. Ergo sub eodem triplici respectu, in se et relative ad creaturas, est *prima* Veritas.

75. Utrum ergo sit et quid sit SCIENTIA **in Deo ?**

A. — **Scire** seu intuitu intellectus veritatem quasi intus vel inter legere, Deo maxime convenit. Nam, ex una parte, Deus est summe intelligens, imo est intellectio actualis, et, ex altera parte, Deus est summa veritas; sed intellectio actualis summæ veritatis constituit scientiam eamque perfectissimam; scire igitur Deo maxime convenit.

Imo, *lux est Deus* ob eminentiam suæ scientiæ. Nam eo perfectior est scientia, quo subjectum cognoscens magis exuitur a dependentia materiæ; sic intellectus est magis cognoscitivus quam sensus, quia magis separatus est a materia. Quum autem Deus « sit in summo (gradu) immaterialitatis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis [2] (n. 49).

B. — Hinc scientia divina **definiri** potest: *actus purus, comprehendens omnem veritatem.* — Est 1° *actus* seu intellectio actualis; unde non est partim in potentia, nec etiam vocari potest habitus. — 2° Est actus *purus* seu perfectissimus: nempe, Deus seipsum et omnia in seipso cognoscit, actu simplicissimo [3], et sic designatur *modus* scientiæ divinæ. — 3° *Comprehendit* omnem veritatem, et hoc verbo exprimitur

1. **Conc. Vatic.**, Constitutio *Dei Filius*, c. v; — cf. **Monsabré**, *Conf.* 1874. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 1. — 3. **Sum. theol.**, *Ibid.*, q. 16, a. 5, ad 1.

hujus scientiæ *perfectio*. — 4° Amplectitur *omnem veritatem* ; et illæ voces *extensionem* scientiæ divinæ significant.

Quæ jam ex dictis patent, et fusius statim sunt evolvenda.

§ II. — *De Objecto scientiæ divinæ.*

Deus seipsum et *alia* a se cognoscit. Hæc autem vel sunt *possibilia*, vel *realia*, sive *necessaria*, sive *libera*. Unde

76. Utrum et quatenus Deus SEIPSUM intelligat [1] ?

Primarium scientiæ divinæ objectum est *id quod Deus ante alia et in quo alia cognoscit*. Porro talis est essentia divina. Unde sit

THESIS

Deus Seipsum intuitive cognoscit et perfecte comprehendit.

I. — Deus **seipsum** cognoscit. Ad hoc enim tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut Deus habeat intellectum ; — 2° ut esse suum sit perfecte intelligibile ; — 3° ut immediate præsens sit suo intellectui. Sed *hæc tria* in Deo sunt, — qui est summe intelligens, — summa veritas, — et in quo hæc duo sunt unum et idem. Ergo Deus seipsum per seipsum cognoscit.

Hinc Aristoteles Illum optime vocat : ἡ νόησις νοήσεως νόησις.

II. — Deus **intuitive** se cognoscit [2]. — Duplici enim modo quis seipsum dignoscere potest, reflexione et intuitione. Porro *reflexio*, qualis in homine existit, aliquid habet imperfectum : est enim motus ex substantia ad operationes et ex operationibus ad substantiam, qui supponit compositionem substantiæ et operationum. Ergo Deus, utpote summe perfectus, non reflexione, sed *intuitione* directa se cognoscit. — Ergo sine specie intelligibili, qua non indiget, — ergo sine discursu, quia omnia videt in uno, quod est Ipse [3].

III. — Deus **perfecte** se comprehendit. Ad hoc enim requiritur et sufficit adæquatio perfecta inter intellectum et objectum ejus. Hæc autem perfecta adæquatio, non in homine, sed in Deo est. — 1. In homine *non* est, sive quod nostra intelligentia imbecillis et imperfecta est, sive quod objectum nostræ cognitionis non est totaliter in actu, et ideo totum actualiter intelligi nequit. Inde fit, ut homo nullius rei, etiam minimæ, habeat comprehensionem adæquatam.

2. In Deo autem *perfecta est*, nam, ex una parte, infinitus est intellectus divinus, et, ex altera, Deus est totaliter in actu,

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 349-353 ; — **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 2, 3. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 2. — 3. *Ibid.*, a. 7.

cum sit Actus Purus : unde « tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo [1] ». Ergo perfecta est et Deus perfecte seipsum comprehendit.

Hinc infinitum homini, non Deo, incomprehensibile est. — A fortiori cognoscit *finita*, sive possibilia sive realia sint.

77. I°. — Utrum et quatenus Deus POSSIBILIA cognoscat [2] ?

Secundarium scientiæ divinæ objectum est *quidquid in sua essentia et per suam essentiam Deus cognoscit*. Unde sit

THESIS II

Deus in Seipso, et uno quidem actu, cuncta possibilia *cognoscit.*

I. — **Cognoscit**. Possibilia enim nihil aliud sunt quam essentia divina secundum quod est *participabilis* secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Porro Deus essentiam suam perfectissime cognoscit non solum in seipsa, sed et secundum quod participari potest a creaturis. Ergo cognoscit cuncta possibilia. — *Similiter* possibilia sunt ea ad quæ virtus Dei se extendit. Hæc autem Deus perfecte cognoscit, secus enim suam virtutem imperfecte cognosceret : siquidem « virtus alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quæ virtus se extendit [3] ». Ergo Deus cognoscit cuncta possibilia.

II. — **In Seipso.** Vel enim in rebus externis, vel in ipsis, vel in seipso Deus cognoscit possibilia. — Sed duo priora falsa sunt, ex dictis de fundamento possibilium (Ontol., n. 38-42) :

1um quidem : secus enim scientia Dei, sicut humana, hauriretur a rebus, quotidie perficeretur, et multiplex dici deberet. — Cæterum, sicut architecti exemplaria suis operibus, ita ideæ divinæ rebus contingentibus præexistunt.

2um etiam : nam possibilia, cum habeant esse mere ideale, nonnisi in intellectu divino existere possunt. — Secus enim cum Platone induceretur dualismus, nam hæ formæ separatæ a seipsis existerent ; necnon limitaretur Deus, qui illis ideis, tanquam archetypis suorum operum, indigeret.

Ergo *in Deo* sunt ab æterno ideæ omnium rerum possibilium : ergo cognoscit alia a se, non in seipsis, sed in Seipso « in quantum essentia sua continet similitudines aliorum ab ipso [4] ».

1. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 3. — 2. **Farges**, *Op. cit.*, p. 353-355 ; — cf. **Billot**, *De Deo uno*, p. 195. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 5 et 6. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 5.

78. III. — *Cognoscit uno actu, licet plures ideæ sint in Deo.*

A. — **Uno actu.** Possibilia in mente divina sunt ipsamet essentia Dei cognita, non præcise quatenus in se est, sed in quantum est « participabilis et imitabilis [1] » a creaturis. Porro uno et eodem actu Deus cognoscit essentiam suam, et in seipsa, et quatenus variis modis imitabilem a creatura. Ergo uno actu simplicissimo Deus cognoscit seipsum et possibilia.

B. — Sunt ergo **plures ideæ** in Deo, — tum quia scientia esse nequit sine quadam ratione interna per quam rerum forma exprimitur in cognoscente : ergo « omnium quæ cognoscit, Deus habet proprias rationes [2] » ; — tum quia ideæ sunt exemplaria ad quarum imitationem Deus universa condidit : ergo omnium quæ creavit Deus habet proprias ideas. Hinc ideæ, quæ sunt principia cognitionis rerum et generationis ipsarum, plures sunt in mente divina.

Nec *dicas* sic in Deum induci compositionem, nam pluralitas se tenet ex parte conceptuum objectivorum, simplicitas ex parte actus cognitionis subjectivæ. « Cum sint diversæ rerum proportiones, necesse est esse plures ideas, et est quidem una omnium ex parte essentiæ [3]. » — Hinc in Deo *idea multorum*, potiusquam *ideæ multæ*.

79. II°. — An et quatenus REALITATES creatas cognoscat Deus ?

Quoad creaturas, « in tantum se extendit scientia Dei, in quantum se extendit ejus causalitas [4] ». Unde

THESIS III

Deus realitates creatas, *quæcumque sint, perfecte cognoscit.*

I. — **Cognoscit.** — Qui seipsum, suamque virtutem cognoscit, cognoscit et ea omnia *quæ operatur*. Atqui Deus res omnes existentes, ut ita dicam, operatur, quatenus eas educit e nihilo, servat in esse, et promovet ad agendum. Ergo Deus res omnes existentes in seipso cognoscit. — Quod illustratur exemplo artificis, qui in suis ideis artefacta omnia, quæ operatus est, contemplatur. Porro artifex hujus Universi Deus est.

II. — **Perfecte.** — Ergo *propria* cognitione, cui, sicut scientiæ humanæ, crimini verti non potest, quod ipsam et totam essentiam rerum cum suis notis distinctivis non attingat : siquidem, « species factiva rerum infinite superat species

1. **Sum. theol.**, q. 14, a. 4. — 2. *Ibid.*, I, q. 15, a. 2 ; cf. a. 1, 3. — 3. *De veritate*, q. 3, a. 2 ; — cf. **Billuart**, *De Deo*, dissert. V, a. 7. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 11.

a rebus acceptas » et per eam « omnia in Deo præexistunt non solum quantum ad id quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea secundum quæ res distinguuntur [1] ».

80. Dixi : QUÆCUMQUE sint seu res omnes, imo et non entia [2].

1. Cognoscit **singularia**, — contra Averroem et alios, juxta quos Deus cognosceret genera et species tantum, non individua. Sed contra : « Deus, *quales producit res*, tales cognoscit : porro non creat res in genere, sed in individuo ; ergo notas entium individuales, sicut et genericas, cognoscit [3]. »

2. Cognoscit **minima**, sicut et maxima. — Hæc enim æqualiter requirunt efficientiam divinam : quæ enim vilia nobis apparent, minus distant a rebus maximis quam res maximæ ab infinito.

3. Cognoscit **peccatum** et malum, — tum quia est supremus Judex et Ultor criminis, — tum quia Deus *physice producit* res, quæ, propter malam voluntatem hominis, malæ sunt moraliter, — tum denique eo quod imperfecte cognosceret ens et bonum, nisi cognosceret quidquid bono et enti potest accidere, nempe defectus et privationes : « sunt enim quædam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur [4] ».

4. Cognoscit non tantum præsens, sed et *præterita* et *futura*, etiam **libera** : contra Tullium. — Etenim « in tantum se extendit scientia divina, in quantum *se extendit ejus causalitas* [5] » ; porro nihil effugere potest Causæ primæ et universalis causalitatem, nequidem actiones liberæ hominum (n. 119) ; ergo non tantum quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia sua vel creaturæ et ideo etiam libera cognoscit.

5. Eadem ratione Deus cognoscit **futuribilia libera**. Sunt porro futuribilia seu futura conditionata, ea quæ nec in præterito fuerunt, nec in præsenti existunt, nec in futurum evenient, quæ tamen in præterito fuissent, vel nunc essent, vel in futurum evenirent, si talis conditio poneretur, v. g., quid fecissent Sidonii, si audivissent prædicationem D. N. J. C. : « Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent [6]. »

Brevius : Deus, cum sit ipsum esse, scit omnia quæcumque sunt quocumque modo [7], et mirabilis ejus scientia (n. 86).

1. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 6 et 11. — 2. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 406-415. — 3. **Sum. theol.**, *Ibid.* — 4. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 10 ; cf. a. 9. — 5. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 11 ; cf. a. 11 ; cf. a. 13. — 6. **Matth.**, XI, 21. — 7. **Sum. theol.**, I, q. 9, a. 9.

§ III. — *De Medio scientiæ divinæ* [1].

81. Status quæstionis de medio scientiæ divinæ.

A. — **Notiones.** — Hic tria sedulo sunt distinguenda : *principium, modus* et *medium in quo* hujus scientiæ.

Revera principium *quo* Deus intelligit est ipsamet Dei essentia : Deus enim « non intelligit per aliquam speciem, quæ non sit sua essentia [2] ». — Præterea, modus *secundum quem* Deus omnia comprehendit, est actus unicus et simplicissimus, qui reapse non differt ab esse divino (n. 78). — Tandem, id *cujus cognitio includit cognitionem alterius*, vocatur *medium in quo* Deus alia a se distincta intelligit : de quo nunc.

B. — **Sensus.** — Tria apud omnes indubia videntur : nam

1° Deus omnia *in seipso* cognoscit ; secus enim scientia divina partim acciperetur a creaturis, successiva et dependens esset, et idcirco non esset infinite perfecta.

2° Ulterius autem quæritur *quomodo* in seipso Deus omnia cognoscat ; utrum, v. g., in contemplatione essentiæ suæ, an in suis liberis decretis. Porro de operibus *non liberis* non ambigitur : quorum mere possibilia in sua essentia (n. 79), realia autem in suis liberis decretis Deus contemplatur.

3° Totus est cardo difficultatis in determinatione medii *in quo* Deus *liberas* actiones hominis sive futuras, sive futuribiles, prævidere possit : ex quo etiam pendet difficillima quæstio de concordia præscientiæ divinæ cum libertate humana.

82. C. — **Sententiæ.** — Celeberrima est Molinistarum et Thomistarum controversia [3] :

1° **Juxta Thomistas,** Deus seipsum cognoscit ut objectum primarium, et alia tanquam objectum secundarium in seipso intelligit et videt ; possibilia intelligit in *essentia sua* velut in archetypo ; realia autem, sive necessaria, sive libera, sive absoluta, sive conditionata, videt aut intelligit in seipso tanquam in causa, seu *in decreto* absoluto vel conditionato, quo omnia determinantur, vel determinarentur ad existentiam, tali talive conditione posita. Unde scientia Dei est synthesis amplissima qua Deus actu simplicissimo et seipsum et omnia in seipso, supposito actu voluntatis, intuetur [4].

1. **Mercier,** *Traité élém.. : Théodicée*, p. 103-108 ; — **Sertillanges,** *Dieu* (commentaire de la Somme théol.), III, p. 321-326. — 2. **Contra gent.,** L. I, c. 46. — 3. **Farges,** *L'idée de Dieu*, p. 365-376 ; — **Gayraud,** *Thomisme et molinisme et Réplique au P. de Régnon*, 1890 ; — **Billuart,** *De Deo*, diss. VI ; — **Garrigou-Lagrange,** *S. Thomas et le néo-molinisme*, 1917 ; — **Gredt,** *Op. cit.*, tom. II, n. 728-739. — 4. **Contra gent.,** I, c. 68, n. 2 ; — **Sum. theol.,** I, q. 14, a. 5.

Hinc, juxta Thomistas, recte partitur scientia Dei in scientiam *intelligentiæ*, quæ pro objecto habet mere possibilia, et in scientiam *visionis*, cujus objectum sunt omnia realia, sive præsentia, præterita aut futura, sive absoluta aut conditionata, sive necessaria aut libera.

2° Recentioribus autem sæculis, nonnulli philosophi, relicto tramite S. Doctoris, **Molinæ vestigiis** adhæserunt. Hic enim quoad futura conditionata, excogitavit celeberrimum cognoscendi modum, qui dicitur *scientia media.* — *Negative* definiri potest : cognitio qua Deus, ante omne decretum, certo prævidet quid voluntas hominis ageret, si talis talisve conditio poneretur. — Quomodo autem *positive* definiatur scientia media, non consentiunt inter se Molinistæ. Alii, duce Molina, contendunt Deum ab æterno intelligere futura contingentia in altissima *supercomprehensione* causarum secundarum ante quemlibet actum earum et ante omne decretum suum ; alii cum Vasquezio docent a Deo, qui est extra tempus, futura libera videri *in seipsis* seu in libera hominis determinatione ; alii in *essentiis* rerum ; alii tandem in *medio contradictoriarum* seu in eorum veritate objectiva (n. 84).

Hinc Molinistæ contendunt divisionem in scientiam *intelligentiæ* et *visionis* non esse adæquatam, quippe non attingeret futura conditionata libera, quæ essent exclusive objectum scientiæ *mediæ*, quæ sc. mediat inter scientiam visionis et simplicis intelligentiæ, seu inter scientiam naturalem et scientiam liberam.

83. Quid sentiendum de decretis thomistarum [1] ?

Hic molinismo contradictorie opponitur thomistica

THESIS

Deus nonnisi in suis decretis *futurorum liberorum habet præscientiam.*

Prob. — Ea Deo tribuenda est futurorum liberorum præscientia, quæ Illum deceat et sit infallibilis. Atqui talis scientia quocumque modo explicetur, nonnisi in decretis Dei, quibus imperat aut permittit, inveniri potest ; quod sic probatur.

A. — Quicumque cognoscit causam necessariam et infallibilem certo prævidere potest effectus ejus futuros : quicumque autem cognoscit causam deficientem et liberam non habet eo ipso de effectibus ejus « nisi conjecturalem cognitionem [2] ». Sed præscientia Dei nequit esse conjecturalis, sed certa est et infallibilis. Ergo palam est quod, sicut possibilia in essentia sua

1. **Farges,** *Ibid.*, p. 364-368. — 2. **Sum. theol.,** I, q. 14, a. 13, c.

præcise spectata cognoscit, sic futura in essentia sua per voluntatem determinata seu in decreto suæ voluntatis cognoscit [1].

B. — **Dicunt molinistæ** : « nihil est pro Deo futurum, nihil præteritum ; sed omnia præsentia, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem [2] ». Unde potius *visionem* habet Deus futurorum, quam præscientiam.

Resp. Recte quidem : hæc autem visio postulat rerum præsentiam : hæc vero præsentia quomodo habetur ? Responsio est petitio principii, aut explicatio insufficiens. Revera

1. Non valet pro *futuribilibus*, ut patet ; quæ enim nunquam erunt realia, objectum visionis actualis dici non possunt.

2. Nec sufficit pro *futuris* liberis. Nam visio non est nisi præsentium : unde rursus quæritur, quomodo futura sint Deo præsentia. Porro e duobus unum est eligendum : — Vel Deus ea futura videt, cum in tempore ea exequitur voluntas humana, sicut ex alto quis videt ea quæ fiunt in inferiori loco. Hoc autem in casu, scientia Dei certa quidem esset, sed penderet e rebus creatis, quotidie novis incrementis perficeretur, et ideo multiplex esset : imo nulla dici deberet præscientia futurorum, saltem ante eorum productionem ; — Vel Deus ea futura videt ante creationem : hæc autem videre nequit nisi in suis decretis, saltem permissivis, in quibus sunt eodem ferme modo ac artifici cognita sunt omnia artefacta ante suam executionem : quo sensu tantum Deus non cognoscit res prout sunt in tempore, sed prout sunt in æternitate, sc. prout sunt ei præsentia tam necessaria quam contingentia.

Confirmatur, nam vanæ sunt aliæ explicationes, quibus adversarii explanare volunt præscientiam divinam, ut statim dicendum.

84. Quid sentiendum sit de SCIENTIA MEDIA Molinistarum [3] ?

Absit ut tot virorum, acuitate mentis insignium, auctoritas hac in re dubia despiciatur : pluribus tamen de causis sententiam Molinistarum rejiciendam esse putamus. Unde sit

THESIS

Scientia media, quocumque modo propugnetur, vana et libertatis eversiva videtur.

I. — **Vana est.** — Hæc scientia vana merito dicitur, quæ proprium non habet objectum, vel objectum suum non attingit. Porro talis est scientia media Molinistarum :

1. *Proprium non habet objectum.* Non enim objectum materiale specificat scientiam, sed objectum formale seu medium quo cognoscitur ; atqui objectum scientiæ mediæ materialiter tantum distinguitur ab objecto scientiæ visionis et intelligentiæ ; ergo ab utraque specifice non differt scientia media. — Constant *major* : quæcumque enim uno et eodem medio apprehenduntur, ad eamdem scientiam pertinent, sicut, v. g., ad theologiam cuncta mysteria quæ per fidem habentur ; — et *minor*, nam duplex est tantum in Deo medium cognitionis : sua *essentia*, qua omnia potest, et sua *voluntas*, qua hæc de facto potiusquam alia efficit aut permittit.

1. Cf. **Billuart**, *De Deo*, diss. VI, a. 4, § II ; — **Zigliara**, *Theol. nat.*, Lib. III, cap. 2, a. 3. — 2. **Sum. theol.**, *loc. cit.* : *In I Sent., Dist.* XXXVIII, q. 1, a. 3 ; *Quodl.*, XI, a. 3. — 3. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 301, 416-424, 791-849 ; — *Le thomisme et le néo-molinisme*, 1917.

Ergo duplex est tantum in Deo scientia specifice distincta, « naturalis et libera ». Nec dari potest *intermedia* : hæc enim haberet pro objecto futura aut futuribilia et quidem ante decretum prædeterminans voluntatis ; sed ante illum decretum, vi essentiæ divinæ solius, nullum possibile est futurum vel futuribile sed merum possibile : ergo hæc media non habet objectum nec datur.

2° *Non attingit suum objectum.* Si enim daretur modus cognoscendi futura conditionata libera, « independens ab omni decreto et absoluto et efficaci, eoque anterior [1] », hæc futura, juxta ipsos Molinistas, in essentia Dei, sed vel in supercomprehensione voluntatis humanæ, vel in seipsis, vel in essentiis rerum, vel in medio contradictoriarum cognoscerentur [2]. Porro hæc omnia vana sunt ad finem intentum : nam

a) — Non in *supercomprehensione* cujusque liberi arbitrii cognoscuntur, ut voluerunt Molina, Bellarminus, Billot ; futura enim libera non habent connexionem certam cum suis causis proximis liberis ; ergo in eis certo cognosci non possunt.

b) — Non in *seipsis*, ut asserunt Vasquez et Molinistæ plerique recentiores : quæ enim non existunt, nec unquam existent, qualia sunt futuribilia, in seipsis non possunt cognosci.

c) — Non in *essentiis* rerum, ut post Leibniz dicunt Neo-Molinistæ : nam in essentiis rerum, ut in essentia sua, Deus videt res necessarias et immutabiles cum suis consectariis necessariis, non vero contingentia et libera.

d) — Denique non in *medio contradictoriarum*, ut dicunt post Suarezium alii Neo-Molinistæ. Nam, etsi verum sit, v. g., Petrum non posse peccare simul et non peccare, potest tamen unum vel alterum eligere sine ulla contradictione.

Hinc, quomodocumque explicetur, impossibilis evadit scientia media, fatente ipso neo-molinista P. de Régnon : « C'est là le mystère, l'insondable mystère : de toutes les explications proposées aucune n'est complètement satisfaisante. Expliquer cette

1. **Tournely**, *De Deo*, q. 16 : *De scientia Dei*, a. 5. — 2. **P. de Régnon**, *Bannez et Molina*, 1890, p. 113-115.

science, c'est œuvre de dilettantisme philosophique [1]. » — « Insolubile nobis ænigma », ait ipse Billot [2]. — Et ita omnes...
Verumenimvero, quod gratis asseritur, gratis negari potest.

II. — **Est eversiva libertatis.** Hæc theoria eversiva est libertatis, quæ importat prædeterminationem *essentialem* liberorum ad existentiam. Sed ita est in scientia media quæ scire prætendit quid homines in tali statu acturi sint : sive enim in voluntate hominis, sive in seipsis, sive in essentia rerum, sive in medio contradictoriarum, hæc potiusquam illa futura certo prævideantur, ergo in voluntate, ergo in seipsis, ergo in essentia Dei, ergo in principio contradictionis, *essentialiter*, positis ponendis, ante omne Dei decretum, prædeterminantur ad existendum et non evenire nullatenus possunt. Hoc autem parum differt, si tamen differt, a determinatione leibniziana [3].

Undenam enim voluntati sua determinatio ? ex seipsa solummodo, siquidem Deus nil adhuc decrevit. Sed si ex seipsa, ergo ex seipsa, etiam *in tali aut tali statu* posita, voluntas est *determinata* et vincit saltem *determinismus circumstantiarum* [4].

Quapropter scientia media videtur inutilis, imo contraria fini propter quem inventa fuit : non enim facilius quam Thomistarum sententia solvit difficultatem de concordia præscientiæ Dei et libertatis hominum. — Hinc *pressius* concludunt Thomistæ : vana scientia media, vel libertatis logica destructio : seu etiam, Deus est vel determinans vel determinatus : ecce Charybdis aut Scylla Molinistarum.

85. Quid de CONCORDIA præscientiæ Dei et libertatis ?

A. — **Rationalistæ** *objiciunt* post Tullium [5]. Quod prænoscitur necessario eveniet ; ergo futurum Deus ignorat vel non est liberum.

Resp. *Dist. ant.* : quod a Deo prænoscitur *certo* eveniet, *conc.* ; *necessario* eveniet, subdist. : si pendet a decreto Dei *necessitante*, *conc.* : si pendet a decreto *non necessitante, nego.* Et sane quidquid prænoscitur, certo eveniet ; sed aliquid potest certo et libere simul evenire ; secus enim, etiam in systemate rationalistarum, libertas hominis corrueret. Et vero, ea quæ cras libere evenient, hodie procul dubio in se vera sunt, et, sin ab homine semper, a Deo saltem præcognosci potuerunt [6].

B. — **Molinistæ** sic : quæ in essentia divina videntur, in ea prædeterminantur, juxta ipsos Thomistas, et non sunt libera. Ergo, a pari, quæ in decretis Dei præcognoscuntur.

1. **De Régnon**, *Ibid.*, p. 115-118. — 2. *De Deo uno*, p. 207. — 3. **Gayraud**, *Thomisme et molinisme*, 1889. — 4. **Garrigou-Lagrange**, *S. Thomas et le néo-molinisme*, 1917. — 5. **Damiron**, *Psych.*, tom. II, p. 75-77 ; — item **J. Simon** et **Gœthe**. — 6. **Frayssinous**, *Déf. du Christ.* : Libre arbitre ; — **Mazzella**, *De gratia.*

Resp. : 1° *Retorqueo*, nam, ex modo dictis, scientia media molinistica necessario eamdem, imo majorem importat determinationem. — 2° *Nego paritatem.* In essentia enim Dei viget prædeterminatio *essentialis* rerum, non autem in decretis Dei quæ pendent a voluntate Dei. Nam Deus non potest mutare essentias rerum : quod autem possit movere libertatem, quin ei violentiam inferat, nemo negare poterit, et concedunt ipsi Molinistæ pro casibus extraordinariis. — 3° Unde sic : hæc futura evenient infallibiliter, *conc.* ; necessario, *nego.* Porro certitudo effectus ex parte hominis non importat ejus necessitatem ex parte principii (infra, n. 124).

Hinc tandem scientia Dei futuras actiones hominum præcedit, juxta nostrum concipiendi modum ; non enim Deus prævidet futura, qui realiter evenient, sed quia Deus ea prævidet, ideo eveniunt.

§ IV. — *De Proprietatibus scientiæ divinæ.*

86. Quænam sint PROPRIETATES scientiæ divinæ [1] ?

Si fides *pantheistis*, nec infinita, nec simplex est scientia Dei. Sic, juxta Spinozam, Deus est inscius et impersonalis : quapropter neque seipsum, neque alia cognoscit nisi tantum in homine. — Itemque Deus *progressistarum* non cognoscit actu simplicissimo sed successive, scilicet est in fieri, et ope progressus ad scientiam forte perveniet [2]. — Adversus hos errores, jam ex dictis colligere fas est miras scientiæ divinæ proprietates. Unde sit

ASSERTUM

Scientia divina a defectibus scientiæ humanæ penitus eximitur.

Constat — sub quocumque respectu *objecti, subjecti, medii et termini* sui scientia Dei consideretur.

1° Ratione **objecti**, *infinita* est scientia Dei. Homo enim pauca noscit possibilia, actualia cuncta non concipit, nec futura, præsertim libera prævidet, nec præterita omnia recordatur. — E contra, necesse est quod Deus sciat infinite — sive per scientiam intelligentiæ, qua Deus scit non solum necessaria quæ sunt actu, sed etiam ea quæ sunt in potentia vel sua, vel creaturæ : hæc autem constat esse in numero indefinito ; — sive per scientiam visionis, qua Deus scit etiam cogitationes et affectiones cordium, quæ sunt, fuerunt vel erunt sicque in infinitum multiplicabuntur. Ratio utriusque est quia essentia divina, per quam intelligit, est similitudo sufficiens omnium quæ sunt vel esse possunt [3] : inde scientia *Dei universalis* et *particularis est.*

2° Ratione **subjecti**, scientia Dei est *substantialis*, nam

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 376-380. — 2. **Renan**, *Les sciences de la nature et les sciences hist.*, 1863. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 12.

intelligere Dei est Ejus esse, in nobis autem accidens; ideo in homine novam, in Deo nullam addit substantiæ entitatem. Hinc in uno mobilis, in altero immobilis; nam in mente humana status et habitus fiunt et mutantur; in Deo autem, sicut substantia, ita scientia est et permanet in æternum [1].

3° Ratione **medii**, scientia Dei non est discursiva sed *intuitiva, una* et *simplex* est. Videlicet homo discurrit, discurrendo multiplicat actus, in eis errat, paulatim et laboriose ascendit ad verum, parvamque acquirit scientiam. Deus autem est Intelligentia quæ non ratiocinatur, sed uno intuitu suæ essentiæ comprehendit omnia rerum principia, eorumque remotissimas consequentias.

4° Ratione **termini**, *independens, efficacissima* et *infallibilis* est scientia Dei. — Independens, quia Deus rebus non indiget ut eas cognoscat; res autem, ut sint, Deo indigent. — Efficacissima, nam res contingentes existunt, quia Deus eas cognoscit et vult. Unde scientia Dei est causa rerum, secundum ea S. Thomæ: « Deus per intellectum suum causat res, cum ejus esse sit ejus intelligere: unde est necesse quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam [2] ». — Hinc est etiam cur sit infallibilis seu nulli errori obnoxia, quia rebus, quarum est causa, necessario conformis.

ARTICULUS II

De Voluntate Dei [3].

Eædem fere sunt quæstiones ac de intellectu divino.

§ I. — *De Existentia voluntatis divinæ.*

87. Utrum et quotuplex in Deo sint VOLUNTAS et AMOR?

A. — Sicut ab intellectu scientia, ita a voluntate procedit amor, qui **tria** pariter requirit: appetitum, bonum amabile et unionem utriusque. Porro

1° **Voluntas** maxime Deo convenit, tum quia quælibet res ad suam perfectionem tendit et in ea quiescit: est imago voluntatis; tum quia homo voluntate gaudet. Atqui perfectio effectus excellenti modo invenitur in Prima Causa. — *Præterea* « voluntas intellectum consequitur. Unde in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente

1. Sum. theol., I, q. 14, a. 15. — 2. *Ibid.*, a. 8. — 3. *Ibid.*, I, q. 19; — Farges, *Ibid.*, p. 381 et suiv.; — Lessius, *De perf. div.*, L. IX.

sensum est appetitus animalis. Et sic oportet in Deo esse voluntatem [1] », et maximam, nam est summa veritas.

2° Deus est etiam summum **bonum** et **pulchritudo** summa. Si enim Deus spectatur ut causa rerum, ipse est fons bonitatis a quo cuncta bona procedunt; si spectatur ut finis omnium, est bonum summe appetibile; si spectatur in se, continet omnem perfectionem et consequenter summam bonitatem. Ergo Deus est bonus excellentissimo modo seu etiam est ipsa *bonitas*. — Præterea quidquid est pulchrum in rebus, habetur ut vestigium et imago causæ exemplaris seu Archetypi æterni. Ergo forma substantiæ divinæ continet eminenter omnem perfectionem quæ in formis rerum contingentium invenitur, et est ipsa *pulchritudo* (Ontol., n. 73).

3° Hinc Deus seipsum **velle et amare** debet, et amor in eo est. Illud enim amore dignum est et amandum, quod bonum est et pulchrum; sed Deus est ipsa bonitas et ipsa pulchritudo; ergo in se summe amabilis et amandus. — *Similiter* amor est unio affectiva voluntatis cum bono cognito; sed voluntas Dei, cum sit perfecta, in summum bonum affectu ferri debet: ergo in eo est amor suiipsius affectivus. — *Denique* « omnes alii motus appetitivi supponunt amorem, quasi primam radicem...; remoto enim primo, removentur alia...; unde necesse est in Eo reponere amorem [2] »: secus in Deo nec esset Providentia, nec Beatitudo, nec alia attributa moralia.

B. — Voluntas divina **in se una** est, sed quia relative ad nos multos effectus producit, multiplex dici potest in Deo actus voluntatis et quotuplex est *objectum* ejus vel *signum* externum quo Deus voluntatem suam manifestat. Ex. g.: « Apud nos irati punire consueverunt: unde ipsa punitio est signum iræ et propter hoc ipsa punitio iræ significatur, cum Deo ira tribuitur [3]. »

§ II. — *De Objecto voluntatis divinæ.*

88. Quid et quotuplex sit OBJECTUM voluntatis divinæ?

Sunt qui contendunt Deum non esse *liberum* neque *munificum* in creatione rerum; sic, juxta Cousin, Deus tam necessario creavit quam amat seipsum. Alii autem, horribile dictu! asserunt Deum esse *mali moralis* auctorem (Bayle). Adversus hos omnes, nonnulla maximi momenti statuenda sunt.

THESIS I

Deus ab æterno Seipsum vult et amat primario et necessario.

1. Amat seipsum *primario*. — Nam illud bonum est prima-

1. Sum. theol., I, q. 19, a. 1; — Sertillanges, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 242-252; — Garrigou-Lagrange, *Dieu*, p. 427-440; — Gilson, *Le thomisme*, p. 112 et seq. — 2. Sum. theol., I, q. 20, a. 1. — 3. Sum. theol., I, q. 19, a. 11.

rio appetibile, propter quod alia amantur et ad quod ordinantur velut ad finem ultimum; porro talis est bonitas divina; unde oportet ut Deus bonitatem suam primario velit ut finem, et alia ut ad eumdem finem [1].

2. Amat seipsum *necessario*. — Nam ex dictis in Psychologia (n. 132), voluntas non est libera in appetendo finem seu bonum undequaque tale; sed bonitas divina est infinita; unde bonitatem suam Deus vult ex necessitate tum specificationis tum exercitii, — sicut voluntas nostra necessario vult beatitudinem, — sicut etiam visus necessariam habet habitudinem ad proprium et principale objectum, sc. colorem [2].

Hinc Deus amoris sui, sicut scientiæ, **primarium** est objectum. — Quænam vero sint objecta **secundaria**, declarat

THESIS II

89. *Deus secundario, benevole et libere, alia a Se vult, et sincere, saltem antecedenter, amat.*

1. Vult **quidquid extra se bonum est**. — Quod probatur e natura bonitatis: nam, quia bonum, omne ens non solum inclinatur ad quiescendum in proprio bono, sed etiam ad illud in alia diffundendum: unde est sui communicativum et facit sibi simile. Ergo a fortiori Deus, quod est summum bonum, vult quæ et quia facit. — *Nec dicas*, hoc posito, Deum ab aliquo alio moveri. Nam, « cum Deus alia a se non velit, nisi propter bonitatem suam, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus nisi bonitas sua [3] ».

2. Vult **alia secundario, in ordine ad Se** [4]. — Nam intellectum sequitur voluntas; unde, sicut Deus primario seipsum, deinde omnia in seipso cognoscit, ita seipsum primario, deinde omnia in seipso vult et amat. — *Præterea*, quidquid bonum existit in rebus finitis, est participatio quædam bonitatis divinæ; bonum autem participatum ordinari debet ad summam bonitatem ut ad finem ultimum; ergo istam ordinationem nolle non potest Deus. — *Nec dicatur* Deum uno actu velle omnia. Nam eodem actu finem et ea quæ sunt in finem vult ordinari in finem, ergo ad se: secus enim esset deordinatio in voluntate divina.

3. Vult **benevole**. — Nempe voluntati divinæ nullam causam assignare possumus, nisi solam Dei bonitatem; Deus enim quum sit ditissimus et beatissimus, creaturis non indiget;

1. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 2. — 2. *Ibid.*, a. 3. — 3. *Ibid.*, a. 2; — **Contra gent.**, I, c. 75. — 4. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 5.

quum sit ultimus finis, non ordinatur ad alia, sed alia ordinantur ad Ipsum. Unde bonitas est causa sola Ejus voluntatis.

4. Vult **libere**. — Nam voluntas (Psych., n. 132), *libertate* gaudet in eligendis mediis quæ sunt bona imperfecta et cum fine ultimo non necessario colligantur: atqui relative ad Deum, qui sine aliis perfectus est et finis omnium, res finitæ non sunt necessariæ; ergo Deus non vult eas nisi voluntate libera.

5. Amat **sincere**, quia omnibus creaturis suis præsertimque liberis vult et dat multiplex in omni genere bonum: ex quo sinceritas amoris probatur et manifesta fit.

6. Amat, saltem **antecedenter**, sc. ante peccatum, siquidem antecedenter omnes vult salvos beatosque fieri, licet voluntate *consequenti* et absoluta aliquos a fine suo deficere permittat, aliquos autem magis diligat, liberet a peccatis et ad finem certissime perducat, et hæc est singularis prædestinatio Dei [1].

THESIS III

90. *Deus nonnisi indirecte vult malum physicum, minime vero malum morale, quod tantum permittit* [2].

1. *Non vult, nisi indirecte, malum physicum*. — Nam omne malum est privatio alicujus boni; sed voluntas divina bonum essentialiter appetit: ergo non potest ferri *directe* in malum physicum. — Attamen Deus potest illud velle *indirecte*; nempe propter bonum aliquod generale vel altioris ordinis, cui conjungitur per accidens: ex. g., non repugnat Deum volendo justitiam, velle pœnam peccatoris, et « volendo ordinem naturæ salvari, velle quædam naturaliter corrumpi [3] » per accidens. « Si omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo [4] ».

2. *Deus a malo morali essentialiter abhorret*. — Malum enim morale includit aversionem creaturæ rationalis a Deo, ad quem omnia tanquam ad summum bonum ordinari debent. Atqui Deus non potest velle, nequidem indirecte, ea quæ essentiali rerum ordini opponuntur. Ergo, ut dicit S. Thomas, « malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult [5] », neque per se, neque per accidens.

3. Quid ergo? « Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult *permittere* mala fieri. Et hoc est bonum [6] ». Quodvis enim malum est defectus causæ creatæ

1. **Sum. theol.**, I, q. 23. — 2. **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 682-712; — **Gilson**, *Le thomisme*, p. 139; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 312-324; *Dieu* (commentaire de la Somme), I, p. 347; — **Boyer**, *Op. cit.*, p. 139-152. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 19, a. 9. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 22, a. 2. — 5. *Ibid.*, q. 22, a. 2, ad 2. — 6. *Ibid.*

(Ontol., n. 66), malum ergo morale est deficientia causæ liberæ, quæ ideo causam primam non requirit, cum malum sit quid privativum et non positivum. Sed tamen Deus illud non permitteret si non haberet rationem superiorem et sufficientem illud permittendi, nempe duplicem præsertim, nam, ex una parte, hæc defectibilitas est consequentia boni veri, sc. libertatis humanæ ; ex altera, est conditio normalis boni superioris, sc. meriti (n. 139). — *Brevi*, Deus infinite sanctus est.

§ III. — *De Concordia libertatis et immutabilitatis in Deo.*

91. Status QUÆSTIONIS de satis ardua utriusque concordia [1].

A. — **Sensus.** Quæritur per quid formaliter constituatur « actus liber Dei », necnon quomodo libertas cum immutabilitate in Deo stare possit. Quod enim est liberum, contingens est : quod autem immutabile, necessarium est. Unde, si Deus est immutabilis, quomodo liber ? si liber, quomodo immutabilis ? — Hic est, ut dicunt, « nodus intricatissimus » et « ænigma sacrum » : « nihil certius in fide, nihil difficilius in Theologia [2] ». Cavendum est enim ne propter immutabilitatem libertas Dei dicatur mere denominatio extrinseca, vel propter libertatem inducatur in Deum modus contingens.

B. — **Sententiæ.** Ad solvendam difficultatem, quatuor sunt systemata : primum est vulgare, — tria sunt a philosophis [3].

1° Nonnulli, inter quos *Bossuet*, nihil de ea re agnoscunt nisi *mysterium*. Est nempe mysterium, relatio ab homine non percepta inter duos terminos. Porro certum est multa reperiri mysteriosa in ordine morali, physico et metaphysico ; ergo potissimum in Deo. Quum autem certa non sunt neganda propter obscura, tenendum est Deum esse liberum simul et immutabilem [4].

2° Juxta *recentes*, in perfectione divinæ voluntatis solutio reperitur. Hæc enim duplici gaudet perfectione, sc. necessitate erga seipsam seu ad intra, et libertate erga creaturas seu ad extra, eodem ferme modo ac homo circa finem necessario, circa media libere agit. Ita Suarezius [5].

3° Quidam *Scotistæ*, præter voluntatem necessariam, qua Deus seipsum vult et amat, agnoverunt *determinationes* liberas, quæ distinctione « formali » ab essentia divina distinguuntur. Determinationes illæ non perficiunt essentiam divinam, unde possunt esse vel non esse, quin perfectio Dei augeatur vel

1. **Garrigou-Lagrange,** *Dieu*, p. 590-669 ; — **Sertillanges,** *Dieu*, III, p. 307-308 ; — *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 247-251. — 2. **Gonet,** *Man. Theol.*, IV, 2. — 3. **Sum. theol.,** I, q. 19 ; — **Billuart,** *De Deo*, dissert. VII, a. 4 ; — **Suarez,** *Disp. Metaph.*, XXX, sect. IX. — 4. **Bossuet,** *Libre arbitre*, ch. IV. — 5. *Disp. Metaph.*, *Ibid.*

minuatur. Sicque libertas et immutabilitas conciliari possunt ; sufficit enim ad divinam perfectionem ut voluntas, qua Deus seipsum vult necessario, sit prorsus immutabilis [1].

4° Denique, juxta *Thomistas* et alios : 1. — Actus liber sub duplici respectu considerari debet : nempe, quatenus est *subjective* in Deo, et in quantum terminatur ad *effectum* extrinsecum, sc. ad creaturam. 2. — Porro actus divinus in se spectatus est simplex, immutabilis, necessarius ; effectus autem ad quos terminatur voluntas Dei, sunt multiplices, mutabiles, non necessarii, sed contingentes. 3. — Hinc servatur immutabilitas : nam, in Deo spectata, determinatio est necessaria et simplicissima. Servatur et libertas : etenim effectus externi potuissent esse vel non esse [2].

92. Utrum et quatenus vera sit THOMISTICA sententia ?

Systemata quæ tenent Bossuet necnon recentiores, admitti quidem possunt, sed quia sunt mere negativa, nihil explicant. Aliunde sit contra Scotistas sequens

THESIS

Unus et idem actus, quatenus Deus amat Seipsum, necessarius : quatenus vero libere terminatur ad creaturas, liber esse dicitur.

Prob. — Vel enim actus liber est aliquid additum essentiæ Dei vel non. Porro

I^um seu *additum essentiæ* dici nequit cum istis Scotistis ; secus enim evanescerent Dei simplicitas et immutabilitas et ideo perfectio. — 1. Simplicitas : tunc enim duplici actu libero et necessario, creato et increato, intrinseco et extrinseco constaret Deus. — 2. Immutabilitas : nam opinio scotistica introducit in Deum *modos* accidentales, qui repugnant Dei immutabilitati. — 3. Ideo et summa perfectio, nam actum liberum non esse in Deo perfectionem affirmant, sed non probant illi Scotistæ.

Ergo restat II^um, quod sic explicatur et probatur :

A. — *Explicatur* exemplo libertatis in homine quæ tria implicat : facultatem activam eligendi, actum electivum et terminum aliquando extrinsecum. Porro non nuda facultas, sed actus vel terminus dicitur liber seu indifferens ad esse vel non esse. Hinc vera erit libertas : 1. etiamsi facultas sit necessaria, modo sit indifferens ad hunc aut alterum actum ; 2. etiamsi actus internus sit ab æterno, modo sit indifferens ad hunc vel alterum effectum extrinsecum. Porro libertatem Dei esse facultatem totaliter in actu, ab æterno et necessario, sed nunc actum esse necessario liberum seu indifferentem ad hunc vel illum terminum, ac proinde Deum *esse necessario liberum*, asserit sententia thomistica.

B. — *Probatur* hæc sententia, quia potest et debet admitti.

1. *Philos. Ludgun.*, *De Deo*, c. IX ; — cf. **Manier,** *Compendium Philosophiæ, Theod.*, n. 148 ; — **La Luzerne,** *Dissertation sur l'exist. de Dieu*, p. II, ch. VIII, n. 9. — 2. **Billuart,** *De Deo*, Disp. VII, a. 4.

1° *Potest.* Nam — 1. Respondet *notioni* quam de Deo habemus : in eo enim nulla est potentia, sed actus purus, qui eminenter continet multiplices actus voluntatis nostræ. — 2. Statuit *discrimen* inter voluntatem Dei et hominis : hic in potentia, ille in actu ; hic per actus distinctos, ille per unum actum vult quidquid vult : hic successive vult quod fit successive, ille semel ab æterno. Porro a Deo removere debemus omnes imperfectiones actus humani. — 3. *Attributis* Dei, nempe simplicitati et æternitati perfecte congruit, imprimis vero immutabilitati et libertati, quæ ita miro conciliantur.

2° *Debet.* — tum quia in Deo actus, non nuda facultas, debet esse subjectum libertatis, siquidem Deus est actus purus ; — tum quia vere et intrinsece Deus erit liber, modo terminus, nempe creatura, licet ab actu Dei necessario pendens, revera sit indifferens ad esse vel non esse.

Confirmatur, nam hæc sententia illustrat eminentem perfectionem Actus Puri, qui in sua simplicitate æquivalet actibus innumeris et compositis voluntatis nostræ, necnon se habet ad creaturas exteriores, sicut voluntas nostra ad actus suos internos.

Idcirco, voluntas Dei non mutatur, etiamsi mutationes fiunt in rebus externis : nam, dicente S. Thoma, « aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium [1] » (n. 60).

§ IV. — *De Dotibus divini amoris* [2].

93. Quænam sint præcipuæ DOTES divini amoris ?

Jam ex dictis patet bonitatem et sanctitatem, justitiam et misericordiam, esse positiva divinæ voluntatis attributa : de quibus singulis fusius S. Thomas [3]. Unde compendiose sit

ASSERTUM

Mirabilis et ineffabilis est divinus amor.

Constat, nempe — 1° Est Deus amor **substantialis.** Nam sicut ejus intelligere est ejus esse, ita ejus amare et ejus velle sunt ejus esse. Merito S. Joannes : « Deus caritas est [4] ».

2° Hinc est **immutabilis,** sicut esse divinum, nec unquam odio vel alii amori cedit locum, ut in homine evenit [5]. Sicut enim idem solis lumen et sanum recreat et ægrum lædit oculum, sic idem amor Dei et pios amplectitur et impios reprehendit : ipsi mutantur, non Ipse, ut ait S. Augustinus.

Ita circa seipsum et creaturas : insuper *circa ipsas*

3° Est **efficacissimus** Dei amor : homo enim amat res, quia bonæ sunt ; Deus ut eas bonas efficiat. Unde voluntas nostra

1. **Sum. theol.**, I, q. 19, a. 7 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 671. — 2. Cf. **S. Franciscus Salesius**, *Traité de l'amour de Dieu*, L. I. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 21. — 4. *I Epist.*, IV, 16. — 5. **Sum. theol.**, I, q. 19, a. 7.

non est causa bonitatis rerum et ab ea movetur, sicut ab objecto : sed amor Dei *creator* et *activus* est, largiens suam bonitatem creaturis [1].

4° Hinc est et **benevolentissimus** ob rationem in thesi allatam (n. 89). Revera Deus *nos* præ cæteris ad existentiam adduxit, res mundanas in ordine ad hominem creavit, nos diligit amore amicitiæ, sed et bonitatem suam diffundit in *omnes* creaturas, et quidquid est bonum, ei placet.

5° Sed **liberrimus** est : non enim ex necessitate creavit (n. 112) sed nec omnia creata omnia æqualiter amat, sed uni magis vult bonum quam alii, et cum ex eo aliqua aliis meliora sint, Deum meliora diligere dicendum est [2].

Hinc gratias ei solvere oportet, — hinc nosmetipsos in ordine ad Deum amare debemus, — hinc diligamus Deum quia Ipse prior dilexit nos, — denique nobis placeat omne bonum semper et ubique in qualibet creatura, necnon omnibus bonum impugnantibus audacter resistamus [3].

ARTICULUS III

De Omnipotentia Dei [4].

94. Quid et quotuplex sit POTENTIA Dei ?

A. — Dei potentia **definiri** solet : *Principium in Deo activum intellectu et voluntate constans.*

Dicitur 1° *principium* essentialiter *activum* ; nempe, quum Deus sit purus actus et simpliciter universaliter perfectus, nulla passivitas in Eo inveniri potest. Ideoque metaphorice tantum, dicitur Deus transire de potentia ad actum.

2° Est principium *intellectu et voluntate constans* ; id est principium, quo intellectus et voluntas effectus externos producunt. Hoc autem principium Deo competeret, sicut Artifici scientia artificiatorum, etiamsi nihil ageret ad extra. Unde omnipotentia pertinet ad vitam Dei ad intra, quam perficit.

Hinc potentia Dei non distinguitur, nisi distinctione rationis, ab intellectu et voluntate ; « in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit : quæ tria Deo secundum idem conveniunt [5] ».

B. — Celeberrima est **divisio** potentiæ divinæ in *absolutam*

1. **Sum. theol.**, I, q. 20, a. 1. — 2. *Ibid.*, a. 3 et 4. — 3. Cf. **S. Thomas, Opusc. apoc.** *De dilectione Dei et proximi* ; *De divinis moribus.* — 4. **Farges**, *Ibid.*, 390-393. — 5. **Sum. theol.**, I, q. 25, a. 1, ad 4 ; — I, q. 14, a. 8 ; q. 19, a. 4.

et *ordinatam*. Una est potentia secundum se considerata seu potestas exequendi quidquid absolute non repugnat sapientiæ et potentiæ Dei, abstractione facta a suis decretis ; alia vero est potentia considerata secundum ea quæ voluntas absolute decrevit. Hinc prior respicit ea quæ potest Deus, prout omnipotentia fruitur : posterior ea quæ decrevit, *inspectis suis omnibus attributis*, speciatim sapientia, bonitate et justitia.

95. Utrum et quatenus potentia Dei sit INFINITA ?

A. — Est **infinita**, nam posse in Deo non differt ab intelligere et velle, sicut intelligere et velle non differunt ab esse ; sed essentia Dei est infinita ; ergo necesse est dicere potentiam Dei esse infinitam. — Non in eo sensu quod objectum hujus potentiæ sit ens infinitum, ut, duce Fichte, pantheistæ recentes asserere non dubitant : videlicet Deus non producit seipsum, vi suæ potentiæ, nec seipsum causat et evolvit. — Sed in eo sensu quod potentia Dei non limitatur ad ea quæ realiter fuerunt, vel sunt, vel erunt ; nam præter illa, Deus posset alia facere et majora ; posset etiam, non mutando essentiam, augere perfectionem eorum quæ sunt facta.

B. — Vere ac proprie Dei potentia **extenditur** ad hæc omnia quæ sunt absolute *possibilia*. Revera posse sequitur esse ; sed esse Dei est illimitatum ; ergo Deus potest facere quidquid habet rationem essendi seu quidquid in se contradictionem et insipientiam non involvit : et in eo sensu dicitur omnipotens : « quia potest omnia absolute possibilia. Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute, ex habitudine (seu convenientia aut discrepantia) terminorum : possibile quidem absolute, quia prædicatum non repugnat subjecto ut Socratem sedere : impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum [1] ».

96. Hinc dupliciter ERRAVERUNT circa Dei omnipotentiam.

Nam, præter pantheistas, alii eam limitant, alii exaggerant.

1° Alii **limitant**. Quidam enim, duce Leibniz [2], docent Deum non posse alia neque meliora ac illa quæ fecit. Alii post Cousin, putant Deum agere necessario : unde, juxta illos, nihil potest facere, nisi ea quæ facit. — Jamvero utraque sententia non solum libertatis, verum etiam potentiæ Dei est eversiva ; potentiam enim divinam limitat ad ea quæ realiter existentiam sortiuntur. Porro Dei omnipotentia extenditur ad omnia possibilia, etiam infinita, etsi Deus infinita non faciat.

2° Alii **exaggerant**. Sic enim Occam et Cartesius ratiocinantur :

1. **Sum. theol.**, I, q. 19, a. 3. — 2. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 406-I°.

possibilia sunt ea quæ Deus potest aut vult facere : porro Deus omnia potest et omnia velle potest, cum sit omnipotens ; ergo Deo nihil est impossibile. — Sed contra : Deus non potest quidquid in se involvit contradictionem, nam contradictoria essentialiter sunt non-entia. Porro talibus chimæris Deus dare nequit esse, et hæc est perfectio, quod Deus absurda facere non possit. Unde « convenientius dicitur quod ea non possunt fieri, quam quod ea Deus non possit facere [1] ».

Hinc, inter alia, Deus totalitatem possibilium creare nequit. Potest quidem, ut aiunt, distributive sumpta, non autem collective sumpta, illa creare. Revera possibilia sunt numero indefinita : sed absque contradictione nequit existere actu indefinitum, in cujus essentia includitur mera potentia incrementi. « Non ergo oportet quod manifestetur infinita potentia Dei in hoc quod producat effectum infinitum [2] » : semper erit inexhausta.

ARTICULUS IV

De Personalitate Dei.

97. Utrum et quotuplex sit in Deo PERSONA ?

Jam, ex hucusque dictis, Deus est spiritus purus et subsistens : unde facilius erit hanc solvere quæstionem [3].

A. — **Est persona** Deus : — contra recentes, v. g., Vacherot, Renan, Fouillée, qui Deum impersonalem propugnant, ne Ipsi tribuatur quod homini proprium esse reputant et ideo incurratur crimen anthropomorphismi [4]. Sed contra :

1° « Persona significat id quod est perfectissimum in tota natura [5] » : sc. subsistentiam seu ultimam perfectionem naturæ intelligentis (Ontol., n. 107). Ergo Deo convenit, et quidem excellentiori gradu, quamvis analogico modo, sicut et cæteræ perfectiones humanæ quæ Deo tribuuntur (n. 43).

2° *Fusius* : persona est substantia completa, incommunicabilis et intelligens. Porro Deus est — *substantia*, secus esset modus vel accidens naturæ ; — *completa*, secus non esset independens in esse et in operari ; — *incommunicabilis*, sive quia est infinitus, sive quia est immutabilis ; — denique *intelligens*, cum sit Ipse spiritus et creaturæ intelligentis creator, legislator et judex ; ideo conscius suæ personalitatis.

3° *Confirmatur* sensu religioso *populorum*, qui non solum Deo, sed rebus deificatis personalitatem falso tribuerunt : — vel e contra exemplo *philosophorum*, qui, negata personalitate

1. **Sum. theol.**, I, q. 25, a. 3, c. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 25, a. 2. — **Aristoteles**, *II Phys.*, c. 6. — 3. **Farges**, *Ibid.*, 376-404. — 4. Cf. **M. Hébert**, *La personnalité divine*, in *Revue de métaphys. et de morale*, juill. 1902, — cui respondet **Mercier**, in *Revue néo-scol.*, fév. 1903. — 5. **Sum. theol.**, I, q. 29, a. 3.

Dei, in promptu sunt ut ad pantheismum idealem deveniant, sicut, v. g., Bergsonistæ qui loquuntur de « realitate impersonali » Dei tanquam de rebus abstractis, de vero, de pulchro, de arte, et de cæteris entibus rationis, et consequenter *sensum religiosum* — qui sine idea Dei personalis stare nequit — multiplicant quidem, sed revera omnino pervertunt.

B. — Utrum autem sit **Trinitas** in personis divinis, lumine rationis cognosci nequit, sed sola revelatione manifestari potest [1].

Fatendum est quidem, mysterio divinitus revelato, quamdam Trinitatis *imaginem* reperiri in homine (mens, verbum, amor) et quoddam *vestigium* in creaturis (esse, forma, bonitas). Cave tamen ne ideo SS. Trinitas dicatur ratione demonstrabilis, nam in Deo personæ non distinguuntur realiter ab essentia Dei.

Corollarium de summa Dei Beatitudine [2].

98. Deus est summe BEATUS — imo omnium BEATITUDO.

A. — Est **in se** beatus. Beatitudo enim est *omnium rerum expetendarum plenitudo in natura intellectuali.* — Seu fusius, beatitudo includit perfectionem absolutam, cognitionem hujus perfectionis, complacentiam in illius possessione, exemptionem omnium malorum, sive præsentium, sive futurorum, et dominium supremum in contingentia [3].

Jamvero patet Deum *esse summe beatum* [4]. Deus enim, quum sit infinitus, *plenitudinem* omnium perfectionum in se complectitur ; — quum intelligere in Deo sit ipsum esse divinum, Deus seipsum adæquate comprehendit et omnia **in** seipso *cognoscit* ; — quum Ejus velle sit Ejus esse, vult seipsum essentialiter et *amat* ; — quum sit immutabilis, æternus, simplex, omnipotens, nihil amittere et *nullum malum* aut præsens, aut imminens formidare potest ; — quum ex dicendis (n. 110, 128), sit Creator et provisor universalis, supremum habet *dominium* in omnes creaturas. Ea vero constituunt summam beatitudinem ; ergo Deus est summe beatus : imo, jure dicitur ipsa Beatitudo.

B. — Est **beatitudo omnium**, seu cujuslibet naturæ intellectualis. Beatitudo enim partialis non potest esse nisi quædam participatio beatitudinis Dei ipsius, cum sit Deus summum bonum [5], et fons totius bonitatis. Et ideo *cor nostrum* inquietum est, donec requiescat in possessione Ejus (Eth., n. 11).

1. **Sum. theol.**, I, q. 32, a. 1 ; q. 27 ; q. 35, a. 1-2 ; q. 47, a. 7 ; — **S. Augustinus**, *De Trinit.*, L. IV, c. 10 ; L. VII et seq. ; — **Suarez**, *De Trinit.*, L. I ; — **Bossuet**, *I° Semaine*, 3° Elévat. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 393-395. — 3. **S. Augustinus**, *De civit. Dei*, c. I, 21. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 26, a. 1, 2, 3. — 5. **Sum. theol.**, I, q. 26, a. 2, a. 4.

LIBER TERTIUS THEODICEÆ

DE RELATIONIBUS DEI AD MUNDUM

Omnes relationes Dei ad mundum possibiles, — quæ quidem sunt reales ex parte creaturarum tantum (Ontol., n. 128), — aut ad principium identitatis, aut ad principium causalitatis a philosophis reductæ sunt. Pantheistæ identitatem asserunt ; Deistæ autem relationes causalitatis adulterant. Unde duplex erit quæstio : I[a] *De relatione identitatis*, contra Pantheistas ; II[a] *De relatione causalitatis*, contra Deistas.

CAPUT PRIMUM

DE RELATIONE IDENTITATIS

Falsam identitatem inter Deum et mundum seu errorem pantheisticum *exponere* et ex dictis *confutare* juvat [1].

ARTICULUS I

Expositio Pantheismi [2].

99. QUID et QUOTUPLEX sit pantheismus in universum ?

A. — **Notio.** Deus nihil est juxta atheos, est transcendens mundum juxta theistas ; e contra secundum pantheistas, Deus est omnia et est mundo immanens. Exinde, vox *pantheismus* (θεός et πᾶν) usurpata fuit ad designandum systema eorum qui putant *universitatem rerum a Deo realiter non distingui*, id est omnia, etiam opposita, concurrere ad *unicam substantiam* generalem constituendam ; quam ob causam pantheismus vocatur etiam *monismus*. Nam omnes pantheistæ conveniunt in duo, sc. : *a*) unicum est ens subsistens in quo coexistit infinitum et finitum ; *b*) in hoc aliquo subsistente aliqua datur evolutio.

B. — **Formæ** pantheismi pene sunt innumeræ : quæ tamen ad quatuor præcipuas revocari possunt [3].

1. Nonnulli enim dogma creationis *e nihilo* impugnantes, dixerunt res finitas e divina substantia emanasse ; et hic est pantheismus *emanationis* seu *evolutionis transeuntis*.

1. Cf. **Farges**, *Ibid.*, p. 405-437 ; — **Balmès**, *Philos. fond.* ; — **Caro**, *L'idée de Dieu*, 1873 ; — **Lévêque**, *La science de l'invisible*, 1865. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 406-416 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 783-791 ; — **Sertillanges**, *Catéchisme des incroyants*, I, p. 16-17 ; — **Valensin**, in *Diction. apolog.*, art. *Panthéisme*. — 3. **Card. Pie**, *Instruct. synod.*, t. VII, p. 206 ; — cf. *Concile d'Agen*, 1859, t. I, c. 2.

2. Alii vero, inter quos Spinoza, contenderunt unam eamdemque esse substantiam, cujus *formæ* seu attributa sunt cogitatio et extensio ; et talis est pantheismus *formalis*.

3. Multi docuerunt omnia esse manifestationem et evolutionem Entis absoluti ; en pantheismus *evolutionis immanentis*.

4. Aliqui tandem dixerunt Deum esse quasi indefinitum et indeterminatum ; est sese determinando et perficiendo rerum universitatem constituere : en pantheismus *progressus infiniti* [1].

Rursus autem, hæc quatuor pantheismi formæ revocari possunt ad **duas species generales**, sed multifariam :

a) Pantheismus est *absolutus* vel *mitigatus*, prout est error eorum qui contendunt omnia, sive materialia sive spiritualia, reapse non distingui ab Ente absoluto — vel eorum qui Deum ab universitate rerum secernere quidem nituntur v. g. emanatismi fautores, sed frustra, nam, creationis dogmate rejecto, substantia mundana a substantia divina non distinguitur, nisi modaliter.

b) Prior pantheismus est duplex : unus *realis* et naturalisticus, alter vero *idealis*, prout realitas divina absorbetur in rebus naturæ quarum est mera abstractio, vel e contra realitates mundanæ evanescunt in Ente divino, cujus ipsæ dicuntur esse quasi cogitationes.

c) Juxta formam *descendentem*, ens perfectum et infinitum se evolvit in entia finita et imperfecta, sc. entia mundana, quæ proinde sunt ejus modi seu manifestationes (Stoïci, Neo-platonici, Spinoza) ; — juxta formam *ascendentem* ens maxime imperfectum et potentiale, imo mera Idea, mera potentia, « absolutum » dicta, per evolutionem progressivam produceret omnia entia mineralia, vegetalia, homines et tandem ens ipsum perfectum seu Deum qui magis « fit » quam « est » (pantheismus transcendentalis Germanorum).

d) Tandem sub alio respectu distinguitur forma *vulgaris* quæ affirmat Deum et mundum, finitum et infinitum, coexistere in una natura sicut, v. g., corpus et anima unam efficiunt naturam humanam (Stoïci) : — forma magis *philosophica* quæ, saltem æquivalenter, affirmat Deum et mundum constituere duas naturas distinctas, sed coexistere in una, nescio quadam, subsistentia [2].

100. I°. — Quid de pantheismo mitigato seu EMANATISMO ?

In antiquitate, emanatismi vestigia reperimus apud Indos et Persas [3]. Gnostici vero, et præcipue Valentinus, sæculo II°, pantheismum ejusmodi expresse docuerunt. Juxta eos, in principio, ens unicum erat, cui nomen Abyssus ; — cætera omnia ex abysso per emanationem prodierunt ; — Abyssus tandem, medianto principio secundario seu Demiurgo, mundum produxit.

Postea autem Scotus Erigena, sæculo IX° [4], Amalricus Carnutensis et David de Dinando, sæculo XII° ; Jordanus Bruno, sæculo XV°, et quidem alii pantheismum mitigatum professi sunt.

1. *Conc. Vat.*, *De fide*, can. I, n. 3 et 4. — 2. **Valensin**, in *Dict. apolog.*, art. *Panthéisme.* — 3. **Gonzalez**, *Hist. de la philos.*, t. I, p. 20 et 70 ; — **Barbedette**, *Hist. de la philos.*, n. 9, 10, 121, 238, 244, 351, etc. — 4. *De divisione naturæ.*

Ætate præsenti, scholam *eclecticam* et recentius fautores *novæ* philosophiæ, a nota pantheismi, saltem mitigati, vix purgare possemus. Imprimis Cousin non semel asseruit Deum esse omnia, finitum et infinitum, unitatem et pluralitatem, tempus et spatium, essentiam et vitam. « Si Dieu n'est pas tout, il n'est rien [1] ». Aliunde, creationem e nihilo aperte rejecit, dicens : « Il faut abandonner la définition que *créer*, c'est tirer du *néant* [2]. » Itemque, Saisset, Jouffroy, Ravaisson, sed et alii non pauci, v. g., Le Roy, qui ambigue saltem loquuntur de creatione *ex nihilo* (Cosmol., n. 114). Attamen præfati auctores pantheismum absolutum enixe respuunt; sed, rejecto dogmate creationis e nihilo, ab emanatismi labe penitus expurgari logice non possunt [3].

101. II°. — Quid de pantheismo absoluto REALI ?

Primitus, hunc pantheismum naturalisticum aperte professus est Heraclitus ; quem postea secuti sunt Zenon et Epictetes apud Græcos ; Seneca, Cato, Marcus Aurelius apud Romanos. Juxta eos : Quid aliud est natura, quam Deus ? Deus vero anima est mundi : πνεῦμα seu πῦρ τεχνικόν [4].

Sæculo XVII°, eumdem errorem, renovavit ac perfecit vir luctuosæ celebritatis, nomine Baruch Spinoza, qui, rejecto judaismo, nullam ultimo religionem est amplexus. Hic enim proficiscitur a definitione cartesiana substantiæ : « Est ens quod alia re non indiget ad existendum » ; exinde, methodo Cartesii imbutus, deducit pantheismum qui materialismum et atheismum redolet. Ejus systema tribus iis propositionibus exprimitur : 1. Unica est substantia ; 2. Duo sunt illius substantiæ attributa, cogitatio sc. et extensio ; 3. Substantia ista, quæ dicitur Deus, est infinita.

Juxta Spinoza, substantia infinita non distinguitur nisi modaliter a *natura* ; quapropter eam vocat *naturam naturantem*, illiusque modificationes, quæ quidem necessario producuntur, appellat *naturam naturatam* ; et sic materialismo, atheismo necnon fatalismo præbet ansam [5].

102. III°. — Quid de pantheismo absoluto IDEALI ?

Pantheismus *absolutus idealis*, qui absurditatis culmen attingit, viguit olim et etiam nunc viget **apud Indos** [6]; nam in libris

1. **Cousin**, *Fragments philosophiques*, 1826, t. I, p. 76. — 2. *Introduc. à l'hist. de la phil.*, 1828, leç. v. p. 163. — 3. **Gaudeau**, *Le panthéisme contemporain*, 1910. — 4. **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 20, 84, 105, 106, 107. — 5. **Tennemann**, *Hist. de la philos.*, trad. **Cousin**, 1829, t. II, p. 105 ; — **Barbedette**, *Op. cit.*, n. 395 ; **Bréhler**, *Op. cit.*, 158-173. — 6. **Lenormant**, *Manuel d'hist. ancienne de l'Orient*, 1868 ; — **Gonzaloz**, *Hist. de la philos.*, tom. I, p. 28.

quos nominamus *Vedas*, ea legere est : *Brahma* solus existit ; cætera non sunt nisi meræ illusiones ; Brahma autem est æternus, purus et illimitatus.

Item, **apud Græcos**, nonnulli e schola Eleatensi, præcipue Xenophanes et Parmenides, ea docuerunt : *Ens* existit ab æterno, cæteraque omnia non sunt nisi phænomena sine realitate. Aliunde Ens a cogitatione non differt : *quod enim cogitat* et *quod cogitatur, unum et idem est*.

Præterea, **Neoplatonici**, tria de Ente supremo tenuerunt, sc. :

1° Nihil existit præter ideas, quin etiam omnes ideæ in idea universalissima Entis, tanquam in *unitate absoluta* resolvuntur.

2° Ab *unitate* absoluta defluit *intelligentia suprema* : ex qua iterum *anima universalis*, cum toto orbe qui non est realis, sed apparens.

3° Quum hæc evolutio (πρόοδος, processio) non sit progressus, sed e contra imminutio entis, omnia, post aliquod tempus, in unitate et perfectione primitiva resorberi debent, per extasim (ἔκστασις) et per absorptionem mysticam (ἕνωσις) [1].

103. Quid de pantheismo transcendentali GERMANORUM [2] ?

Apud recentiores, Kant, licet forsitan invitus, latissimam pantheismo viam aperuit ; etenim, ille philosophus *realitatem objectivam* cognitionum rationis puræ in dubium revocavit ; deinde, ut scepticismum fugeret, existentiam Dei petiit a notione *officii*, quam nobis suppeditat ratio practica. Illius vero disculpuli argumentum a ratione practica desumptum rejecerunt ; et deinceps, ut gurgitem scepticismi vitarent, aperte docuerunt subjectum cogitans et objectum cogitatum esse *unum* et *idem* : quod cum pantheismo perfecte quadrat.

Tres ex ejus discipulis specialem merentur mentionem [3], sc. :

A. — Imprimis **Fichte** asseruit cogitationis *objectum* non esse distinctum a *subjecto*, quod vocatur *τὸ ἐγώ cogitans* ; *ideoque*, præter ἐγώ, nihil existit, et omnia sive spiritualia, sive materialia, Deus, anima, mundus, non sunt nisi modificationes, formæ, determinationes, vel ut aiunt, exteriorisationes hujus subjecti. — Τὸ ἐγώ, primo quidem, ope cogitationis, seipsum ponit et producit, hoc judicium enuntians : ἐγώ sum ἐγώ. — Sed in hac evolutione, τὸ ἐγώ quemdam obicem invenit, et sese limitat novum judicium enuntians, id est τὸ ἐγώ non est τὸ *non-ἐγώ*. — Mox autem apprime dignoscit τὸ ἐγώ cogitans cum τὸ *non-ἐγώ* identificari : scilicet τὸ *non-ἐγώ* non est nisi pars illa subjecti quæ adhuc inconscia remanet. Hinc tria evolutionis momenta : *thesis*, *antithesis*, *synthesis*.

Hic est Idealismus *subjectivus* seu *egoismus* transcendentalis.

B. — **Schelling** e contrario, ut identitatem inter subjectum et objectum institueret, asseruit omnia non in τὸ ἐγώ, sed in ipsammet *identitatem absolutam* resolvi : « L'absolu, inquit, n'est ni

1. **Vacherot**, *La métaph. et la science*, 1858, tom. III, p. 459 ; — **Janet et Séailles**, *Hist. de la philos.*, 1899, p. 817 ; — **Gonzalez**, *Ibid.*, p. 498. — 2. Cf. **Gonzalez**, *Ibid.*, t. IV, p. 5 et suiv. ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 457-467. — 3. **Barbedette**, *Ibid.*, n. 469-471.

infini ni fini, ni être ni connaître, ni sujet ni objet : c'est ce en quoi se confondent et disparaissent toute opposition, toute diversité, toute séparation, comme celle de sujet et d'objet, de savoir et d'être, d'esprit et de nature, d'idéal et de réel ; c'est donc indivisiblement l'être et le savoir absolus, ou l'essence collective de tout. C'est l'absolue *identité* de l'idéal et du réel ; l'absolue indifférence du différent, de l'unité et de la pluralité ; c'est l'*un* qui est en même temps tout [1]. »

Ens autem illud absolutum, vi suæ activitatis, seipsum manifestat, extra seipsum egrediendo, *quasi per saltum* (chute), et duplicem ordinem producit, unum realem (mundum) et alterum idealem (cogitationem) : utrumque tamen revocatur ad identitatem perfectam.

Pantheismus ille merito dicitur *objectivismus* idealis, systema *identitatis* absolutæ aut etiam *naturalismus* transcendentalis.

C. — **Hegel** [2], alia via procedens, ad eumdem scopum pervenit ; nam, juxta illum, subjectum et objectum identificantur non in realitate psychologica, seu in τὸ ἐγώ, ut aiebat Fichte ; neque in realite ontologica seu in absoluto, ut excogitaverat Schelling, sed in ente mere possibili seu *idea logica*. Ea quæ scripsit ille philosophus de *Deo-Idea* reduci possunt ad quatuor principia.

Primum : Ordo logicus et ordo ontologicus sunt unum et idem, seu ordo cognitionis rerum est idem ac ordo productionis rerum. Unde idea entis logica est principium primum naturæ simul et logicæ. Imo logica et natura identificantur : « Quidquid est rationale est reale et quidquid est reale est etiam rationale [3]. »

Secundum : Idea absoluta non est finita nec infinita, non est singularis nec universalis. Imo, Idea non est magis ens quam nihilum ; nam in ea, omnia, etiam verum et falsum, bonum et malum, ens et nihilum identificantur. Unde est « ens-nihilum ».

Tertium : *Ens-Nihilum* est etiam τὸ *fieri* absolutum : « il est le perpétuel *Devenir* ». Propterea, *Deus est in fieri* ; quæ formula, a modernistis approbata, compendium est hegeliani delirii.

Quartum : Ratione *progressus* et vi suæ activitatis, τὸ *fieri* sese determinat, *extra seipsum egrediens*, suique manifestatione constituit universa, seu triplicem ordinem : *logicum*, *naturalem* et *intellectualem* [4].

104. IV°. — Quid de pantheismo EVOLUTIONISTARUM Gallorum [5] ?

— Germanorum pantheismus a nonnulis recoctus est **apud Gallos** hodiernos. Inter quos eminent Renan, Taine, Vacherot, Bergson [5], Le Roy, Brunschvicg [6], necnon progressistæ et modernistæ. Jamvero ii philosophi late interpretantur Germanorum dogmata, quorum obscuritas ingenio Gallorum satisfacere nequit, et quasi medium tenent inter Hegel et Spinoza.

Nam, ex una parte, cum Hegel asserunt Deum esse « la caté-

1. Cf. **Gonzalez**, *Ibid.* ; — *Archives philos. de Fischhaber* ; — **Barbedette**, *Ibid.*, n. 470. — 2. *Ibid.*, n. 471. — 3. **Tennemann**, *Op. cit.*, t. II, p. 348. — 4. *Ibid.*, p. 347. — 5. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 522, 505, 501, 570 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 230-247. — 5. *L'évolution créatrice*, 1907, p. 270. — 6. **Jolivet**, *Etudes sur le problème de Dieu dans la philosophie contemporaine*, 1932.

gorie de l'idéal, c'est-à-dire la forme sous laquelle nous concevons l'idéal[1] » ; ex alia parte, cum Spinoza, Deum vocant « la totale existence ». « L'infini, dit Vacherot, est réel, il est vivant dans l'univers, dans le monde de la nature et de l'esprit[2]. » — Et Renan : « Dieu est immanent non seulement dans l'ensemble de l'univers, mais dans chacun des êtres qui le composent. Seulement il ne se connaît pas également dans tous... Voilà la thèse fondamentale de notre théologie[3]. » — Verumtamen, nec pantheistæ, nec athei nuncupari volunt. Non athei, quia mundus est realitas Dei ; non pantheistæ, quia Deus est idea mundi, ac proinde cum mundo non identificatur. Juxta eos : « Dieu n'existe pas, il devient, il se fait. Dieu sera peut-être un jour. C'est le Dieu-progrès. » Consonat Le Roy : « Pour nous, Dieu n'est pas, mais devient. Son devenir est notre progrès même[4]. »

ARTICULUS II

Confutatio Pantheismi[5].

105. Quomodo CONFUTETUR pantheismus ?

Sicut atheismus eo ipso evertitur quod quinque viis seu argumentis Angelici Deum esse probatur, ita pantheismus confutatus manet eo ipso quod Ipsum Deum esse absolute simplicem et immutabilem omnino demonstratur. Quia tamen pantheismus est pessimus et subtilis error, quem solo contemptu, ut quidam volunt, prosequi non sufficit, sit

THESIS

Pantheismus, quicumque sit, est falsus et perniciosus.

I. — Imprimis **conscientiæ** *psychologicæ et morali* repugnat[6]. Unusquisque enim se sentit sui juris, subjectum imputabilitatis propriæ, subsistentiam suam distinctam habere proindeque non coexistere in personalitate Dei. — *a*) Ecquis sanæ mentis putaret *se esse Deum*, sc. ens necessarium, æternum, independens, immutabile et summe perfectum ? Nonne e contra seipsum sentit morbis et miseriis obnoxium, nec vitæ suæ nec mortis dominum ?

b) Ecquis putaret se non *distinctum* a rebus naturæ, vel ab aliis hominibus, eamdemque esse personam omnium ?

c) Ecquis etiam *actus aliorum* hominum, a fortiori actus ipsius Dei sibi imputat unquam, quasi essent actus proprii, quorum scit se tantum esse subjectum imputabile.

1. **Renan**, *Revue des Deux-Mondes*, 1863. — 2. Suam mitigavit opinionem **Vacherot**, in ultimo opere : *Le nouveau spiritualisme*, 1884 ; — cf. **d'Hulst**, *Mélanges phil.*, p. 433 ; — **E. Blanc**, *Un spiritualisme sans Dieu*, 1885. — 3. **Renan**, *loc. cit.* — 4. **Le Roy**, *Le problème de Dieu*, p. 131 ; — **Bergson**, *L'évolution créatrice*, p. 270. — 5. **Garrigou-Lagrange**, *Le sens commun*, p. 219-230 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 171-174 ; *Dieu* (commentaire de la Somme), I, p. 349. — 6. **Farges**, *Ibid.*, p. 420-424.

« Suis-je moins intimement, moins nécessairement, moins évidemment convaincu que moi et un autre homme, ou si vous voulez qu'une roche et mon âme ne sont pas la même substance que je suis convaincu que trois et quatre ne font pas le même nombre[1] ? »

d) Ecquis *peccata* et *crimina* quæ sunt in mundo imputare vellet Deo et sibimetipsi simul : quod tamen fieri deberet si Deus et mundus subsistunt in unica persona : nam actiones supposito seu personæ sunt imputandæ.

Et hoc argumentum ideo valet contra philosophos qui duplicem naturam, sc. Dei et mundi admitterent subsistentem in unica persona..., — non ita sequens ratiocinii forma, quæ vitia unius naturæ pantheisticæ tantum tangit.

II. — Pantheismus diruit **principia rationis** fundamentalia.

Imprimis principium **contradictionis**, nam, si Deus et mundus sunt substantialiter unum et idem, jam unum et idem simul est ens contingens et non contingens, ab alio et non ab alio, finitum et infinitum, perfectum et imperfectum, bonum et malum, relativum et absolutum, etc... ; jamque τὸ ἐγώ cum τῷ non ἐγώ, spiritus cum materia identificantur.— Sed etiam principium **causalitatis** : hoc enim sibi vult principium causalitatis, non dari effectum sine causa, nihil causare semetipsum, nec dari effectum causa majorem. Porro, si Deus et mundus sunt eadem entitas, habetur effectus sine causa, id est, ens ab alio sine ente a se, item Deus creando causat seipsum, denique fit major seipsum evolvendo per additionem novæ entitatis : « Dieu est en train de se faire. » Hoc a fortiori si est mera Potentia seu Idea abstracta.

Præterea in illa unica essentia, vel Deus habetur ut materia seu elementum potentiale, et tunc non est actus purus ac ideo mundus non habet rationem sufficientem motus sui (1ª via) ; — Vel Deus se habet ut formam seu elementum determinans, tunc non est infinitum nec causa prima quia recipitur in alio (2ª via) ; — Vel Deus constituit totam hanc essentiam et entia mundana sunt sicut ejus accidentia seu modi (*evolutio descendens*) sed tunc essentia divina esset in potentia relative ad illa accidentia quæ illam successive determinarent ; — Vel illa unica essentia constitueretur ab aliquo ente imperfecto sive ideali (Hegel), sive monera (monismus) quod per progressum indefinitum evolveretur ad ens perfectum (*evolutio ascendens*) : tunc cum sola ratio sufficiens mundi est Actus

1. **Buffier**, *Expos. des preuves de la rel.*, n. 28.

purus (1ª via), Ens necessarium (3ª via), ens perfectum (4ª via), mundus remanet sine ratione sufficienti, quod est contra principium **rationis sufficientis**.

106. III. — Pantheismi lugenda CONSECTARIA [1] — duo sunt : unum *ex parte Dei*, alterum *ex parte hominis*.

A. — Pervertit **naturam Dei**, unde ad *atheismum* propellit. Revera pantheismi fautores vel Deum a rerum universitate non distinguunt, vel, ut Germani, fatentur non esse nisi « categoriam idealis ». — Si prius, cum in rerum universitate limites, mutatio, compositio, multiplicitas inveniantur, pantheistæ infinitatem, immutabilitatem, simplicitatem et unitatem Dei, quæ sunt ejus attributa essentialia, negare debent. — Si posterius, Deus fit idealis, extra mentem non existens, et ideo pantheismus est negatio Dei ad minus indirecta seu atheismus mere « fucatus » ; « c'est l'athéisme, plus un mensonge [2] ». — Hoc autem posito et peccato etiam divinisato, nulla superest religio vera, sed vel idololatria et fetichismus, si Deus cum natura confunditur, vel illuminismus et spiritismus, si res mundanæ in Deo resorberi debent.

B. — Pervertit **naturam hominis**, et sic evertit *principia morum*. Si enim unica sit substantia seu unicum principium operationis, sc. Deus, perit in homine propria activitas ; perit et libertas, quæ est humanæ activitatis modus : perit et humana cujusque personalitas. — Hinc notiones *libertatis*, juris et officii, vitii et virtutis, justi et injusti, imputabilitatis mercedis et pœnæ concipi nequeunt ; et idcirco morum fundamenta diruuntur, ipso Vacherot fatente : « C'est tout diviniser, le mal comme le bien, et tout absoudre ». Sic vincit *amoralismus*, ipso Spinoza dicente :

« Tout ce qu'un être fait d'après les lois de sa nature, il le fait à bon droit, puisqu'il ne peut agir autrement... Donc, quiconque est censé vivre sous le seul empire de sa nature a droit absolu de convoiter tout ce qu'il juge utile, qu'il soit porté à ce désir par la saine raison ou par la violence des passions ; il a le droit de se l'approprier de toute manière, par force ou par ruse : par conséquent de tenir pour ennemi celui qui veut l'empêcher de satisfaire ses désirs [3]. »

1. **Meyerson**, *De l'explication dans les sciences*, p. 730-733 : le prestige et le déclin de la philosophie Hégélienne ; — **V. Giraud**, *Essai sur Taine*, 1900, p. 105-118, 132-139 ; — **Vigouroux**, *Les livres saints et la critique rationaliste*, 1886, I, p. 501-536 : Spinoza et son influence ; — **Léonce de Grandmaison**, *Jésus Christ*, II, p. 179-202 ; — **Valensin**, *Traité de droit naturel*, II, p. 90, Hégel et le socialisme. — 2. **Gratry**, *Connais. de Dieu* ; — **Am. de Margerie**, *Théodicée*, t. II, ch. 5 et 6. — 3. **Spinoza**, *Tract. theologico-politic.* et *Ethic.*

Hæc autem non solum *theoretice*, sed etiam *practice* ; nam, v. g., pantheistæ Saint-Simon, Fourier et Leroux in Gallia, Gulielmus Marr in Helvetia [1], Ferrari et Franchi in Italia, etc., *socialismum* et *communismum* e pantheismo deduxerunt.

107. IV. — Quid de CRISI SINGULORUM systematum [2] ?

His dictis in universum, si nunc præcipua pantheismi systemata examini subdantur, *methodo aprioristica* construi et inde hypothesibus mere gratuitis inniti facile demonstrantur.

A. — Imprimis **emanatismus.** — Mundus enim ortus est vel per *divisionem* substantiæ divinæ, vel per *seriem* processionum, vel per *saltum* exteriorem Absoluti.

Primum asserunt antiquiores emanatistæ, juxta quos sicut tela e sinu araneæ, rivulus e fonte, lumen e sole, ita mundus e sinu Dei egressus est. — Sed quomodo substantia divina dividi possit ? Vel cur partes decisæ jam non sint necessariæ, vel necessariæ simul et contingentes sint ?

Secundum dicunt Neoplatonici et Gnostici, qui demiurgos, alii tres, alii triginta, alii trecentos (Plérome des Eons) ponunt inter Deum et mundum, finitum et Infinitum. — Sed cui bono tot intermedia entia ? Hiatus inter terminos, quos identificare vellent, remanet infinitus.

Tertium posuerunt Fichte et Schelling, juxta quos τὸ ἐγώ exteriorisatur seu per saltum ex seipso egreditur.

Quibus egregie respondet P. Janet : « Comment comprendre que Dieu se révolte ainsi contre lui-même et qu'une partie de son être aspire à vivre d'une vie indépendante, et à jouer un faux absolu, au lieu de rester uni au véritable dont il est partie essentielle ! Et en quoi ces rêveries sont-elles plus claires que le dogme de la création [3] ? »

B. — Similiter **pantheismus realis.** — Vel enim cum Stoïcis mundus dicitur divinum animal, vel cum Spinoza unica substantia duplici attributo prædita. Porro prior hypothesis non solum est gratuita, sed etiam mundum esse necessarium et infinitum gratis asserit ; posterior autem proficiscitur ab arbitraria substantiæ notione, siquidem Spinoza per substantiam nihil intelligere videtur nisi ens a se, non ab alio : sed præterquam quod talis definitio est mera petitio principii (cf. Ontol., n. 97), satis patet notionem aseitatis a notione substantialitatis omnino distinctam esse. Sic, v. g., filius, quamvis sit substantia, non est a se, sed a alio, sc. a patre.

1. Cf. **E. Naville**, *Le Père céleste*, 2e éd., 1866, p. 121. — 2. **Farges**, *Ibid.*, 423-431. — 3. **Janet et Séailles**, *Hist. de la phil.*, p. 875 ; — cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 9-10, 127, 469-471.

C. — A fortiori **pantheismus idealis** et **transcendentalis**. Hæc enim Fichte gratis asserit : « nihil cognosci potest nisi idem sit ac subjectum cognoscens, — τὸ non-ἐγώ seu Mundus cum τῷ ἐγώ identificatur, — τὸ ἐγώ seipsum creat, — creat τὸ non-ἐγώ, — conscius est se esse Infinitum simul et finitum. »

Schelling etiam hæc gratis affirmat : « Absolutum solum existit — est nec finitum nec infinitum, — cujus existentiam sua cuique testatur conscientia... »

Denique Hegel alia gratis : « ordo logicus est idem ac ordo ontologicus » ; seu « ordo cognitionis rerum est idem ac ordo productionis rerum ». Unde « Idea entis abstracta seu logica est causa prima seu est Deus-idea ». — Deus igitur cum sit mera abstractio, mera possibilitas seu merum nihilum entis, causa omnium realitatum esse nequit.

D. — Denique non minus a priori loquuntur **Progressistæ**. — Vacherot enim gratis affirmat Deum in omnibus esse et seipsum cognoscere, sed et mentitur, asserendo hominem suæ divinitatis esse conscium. — Renan vero, sicut ipse Taine, cum dicit Deum esse Ideam creatricem seu *axioma æternum*, ex quo procedunt omnia, reapse verbis illuditur [1] (n. 61). — Cum eis consonat Bergson, cujus *Evolutio creatrix* diu visa fuit motus sine movente et sine re mota, nihil aliud creans nisi seipsam [2] : utinam clare dicatur eamdem esse a causa vere transcendente [3] !

Cæterum *confirmatur* confutatio pantheismi, quacumque forma propugnetur, multiplici et continua Ecclesiæ damnatione [4].

108. Quænam sit difficultas COEXISTENTIÆ finiti et infiniti [5] ?

Sic *argumentari* solent, duce Parmenide : E nihilo nihil fit ; ergo quidquid existit est evolutio vel emanatio substantiæ Dei.

Resp. Jam semel et iterum (Cosmol., n. 116) ea difficultas hoc modo soluta est : *Dist. ant.* : ex nihilo, tanquam e causa materiali, nihil fit, *conc.* ; ex nihilo, id est, nulla materia præeunte, *subdist.* : nihil fit, virtute causæ *finitæ*, *conc.* ; virtute causæ *infinitæ*, *nego*.

Inst. 1ª. — Ens infinitum est omnia, vel nihil est : Deus igitur omnia complecti debet, vel non existit (cf. n. 56).

Resp. *Dist. ant.* : Ens infinitum est omnia, scilicet *plenitudinem* perfectionis involvit, *conc.* ; *universitatem* rerum in se continet, *neg.* — Hinc *dist. cons.* Deus omnia complectitur, eminenter et excellenti modo, *conc.* ; formaliter et numerice, *nego*. Deus enim dicitur intensive infinitus, quia omnes perfectiones sine limite possidet : ea autem infinitas nequaquam designat illud monstrum, quod esset, in sensu pantheistarum, extensiva et numerica complexio finiti et infiniti, spiritus et materiæ, boni et mali, virtutis et vitii.

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 430. — 2. **Farges**, *Théorie fond.*, p. 88-94, 192-200 ; *La philosophie de M. Bergson*, p. 29 et 261-273. — 3. Cf. **Bergson**, *L'évolution créatrice*, p. 201, 271, 272 ; *Les deux sources de la religion et de la morale*, 1932, p. 235, 273, 276 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 570-571. — 4. Cf. **Denz.-Banw.**, n. 439, 510, 1660, 1701, 1782, 1803, 1804, 1891, 2108. — 5. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 431 et seq. ; — **Suarez**, *De Deo*, *loc. cit.*, n. 8 ; — **Am. de Margerie**, *Théodicée*, tom. I, ch. x.

Inst. 2ª. — Infinitum augeri nequit ; sed substantia infinita, quæ differret a rebus mundanis, posset augeri, videlicet additione finiti ; est igitur una et eadem substantia in omnibus.

Resp. *Nego min.* Substantia enim infinita nullo modo augetur additione entis creati, quia Deus, cum sit causa omnium, jam habet in se quidquid perfectionis creaturis communicavit. Ideo, creatione semel effecta, *plura* sunt *entia*, sed non est *plus entis* (infra, n. 110-B, 2°).

Inst. 3ª. — Atqui substantia infinita, immensa, immutabilis alia entia secum admittere nequit. Ergo remanet difficultas.

Resp. Existentia Entis infiniti simul et entis finiti non potest perfecte explicari, *transeat* ; est contradictoria, *nego* ; quod sufficit, nam, ut evidens est et secundum effatum in scholis pervulgatum, clara non sunt neganda propter obscura, nec obscura mutanda pro absurdis. — Dixi : *transeat*, nam bene concipitur ens participatum nihil addere nec auferre Enti primo et infinito, cum non sint ejusdem generis nec additiva ; ac proinde nihil obstat quominus Infinitum et finitum simul existere possint. Sic, v. g., scientia discipulorum a magistro recepta, nec auget nec minuit magistri scientiam : sed utraque simul coexistit.

Inst. 4ª. — Res mundanæ non stant : ergo Deus eis immanens est.

Resp. Deus mundo maxime immanens est, ab ipso non divisus, *nego*, quatenus ei præsens et tenens in esse, *conc.* ; ecce verus monismus.

CAPUT SECUNDUM

DE RELATIONE CAUSALITATIS

Est Deus causa prima, scilicet dat et servat esse creaturarum : inde *creatio* et *conservatio* ; earumque operationes præmovet et dirigit ad finem : inde *concursus* et *providentia*.

ARTICULUS I

De Creatione [1].

109. Sub QUOTUPLICI RATIONE Deus sit conditor mundi ?

Deus **sub triplici ratione** habetur ut Conditor omnium ; nempe, dici potest causa *efficiens*, causa *exemplaris* et causa *finalis* earum rerum, quibus conflatur orbis universus.

1° Deus est *causa efficiens* omnium [2]. — Hinc : *a*) apparet unitas in origine totius universi ; *b*) manifestatur omnipotentia Creantis ; *c*) e qua deducitur absoluta dependentia creaturæ.

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 448 et seq. ; — **Boyer**, *Op. cit.*, p. 110-126 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, ch. VII ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, 292-296 ; in *La vie intellectuelle*, 1932, p. 393. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 44, a. 1.

2° Deus est *causa exemplaris* omnium [1]. — Hinc : *a*) splendet mirabilis unitas in executione rerum ; *b*) manifestatur sapientia divini Artificis in suo opere ; *c*) cujus contemplatione mens humana ad cognitionem Dei assurgere debet.

3° Deus est *causa finalis* omnium [2]. — Unde : *a*) patet unitas in fine rerum ; *b*) manifestatur Dei infinita bonitas, quæ omnia disponens ad seipsam, sese diffundere vult in omnes creaturas ; *c*) e qua bonitate oritur præceptum redamandi Deum et omnia propter Eum diligendi.

Ideoque in creatione triplicem *causalitatem* (efficientem, exemplarem et finalem) reperimus ; et ideo — triplicem *unitatem* (originis, executionis et finis) ; — triplicem *manifestationem* (potentiæ, sapientiæ et bonitatis divinæ) ; — triplicem denique *consequentiam* moralem (creaturam sc. suo Creatori subjici eumque cognoscere et amare debere).

§ I. — *De causa Efficiente creationis.*

110. Utrum et quatenus Deus sit CAUSA EFFICIENS omnium ?

A. — **Deum esse creatorem** *omnium* [3], jam in Cosmologia (n. 115) ex natura mundi demonstratum est : nunc etiam *materiæ* primæ ex dictis de natura Dei clarius illustratur.

Etenim si materia mundi ex nihilo non fuit creata, vel est *improducta*, vel est *emanatio* seu evolutio e substantia divina. Porro neutrum dici potest :

*Non I*um, nam, si materia esset *improducta*, jam Deus non esset independens neque in suo esse, neque in suo operari. — *a*) In suo *esse* limitaretur ab alio ente necessario et a se ; et inde non esset infinitus, non esset ipsum esse nec actus purus ; — *b*) In suis *operibus* a materiæ quantitate et qualitate penderet atque limitaretur, tanquam vulgaris opifex, et inde regeret tantum esse hoc, esse tale, non esse simpliciter. — In utroque casu vinceret *dualismus* (n. 66).

*Non II*um, nam, si mundus esset *emanatio* aut *evolutio* substantiæ Dei, ens divinum nec omnino simplex, necessarium et immutabile dici posset, vinceretque *pantheismus* (n. 105).

Ergo a Deo procedere potuit nonnisi per creationem [4].

B. — **De cujus dotibus**, cum sit mysterio plena, nec magis imaginari possit ac nihilum, nunc quæritur an sit actio *æterna*, an *perficiens* Deum, an, quia infinita, *incommunicabilis* (n. 111) an *libera* (n. 112). Porro

1. **Sum. theol.**, I, q. 44, a. 3. — 2. *Ibid.*, a. 4. — 3. **Thesis thomistica XXIVa.** — 4. **Sum. theol.**, I, q. 44, a. 2.

1° Actio creatrix in Deo spectata est immutabilis et æterna, nam significat actionem divinam, quæ est ejus essentia cum relatione ad creaturam ; sed relatio ad creaturam non est in Deo realis, sed secundum *rationem* tantum [1] ; unde creatio non supponit novam entitatem aut aliquam mutationem ex parte Dei. — At non ita in creatura, quæ secundum totam entitatem suam accepit esse a Deo et ideo *realem* habet relationem ad Illum (cf. Ontol., n. 128). Hinc creatio dicitur actio formaliter immanens, virtualiter transiens.

2° Quapropter, Deus non est ditior, neque beatior, post creationem ; non enim habet plus entis, veritatis et bonitatis, etsi plura sunt entia, vera et bona. Nempe, post creationem existunt entia a Deo realiter distincta ; sed perfectiones entium illorum jam erant in Deo eminentissime et absolute, ita ut ex earum additione non aucta fuerit perfectio divina.

111. 3° Utrum creatio sit SOLIUS DEI seu potentiæ infinitæ [2] ?

Creatura esse posset causa *principalis* vel tantum *instrumentalis* creationis (Ontol., n. 151). Porro

A. — Juxta communissimam sententiam, virtus creativa, ut causa **principalis**, « qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose quidem, ulli finitæ naturæ [3] », etiam perfectissimæ, est communicabilis : contra Durandum.

Prob. — Virtus infinita communicari nequit : atqui virtus creatrix est infinita ; ergo etiam miraculose communicari nequit.

Suadetur minor, quia ad creandum requiritur virtus sine proportione *major* quam ad informandum : nam inter agentem et difficultatem superandam proportio esse debet. — *Probatur* autem, tum quia virtus creatrix non limitatur, v. g., per materiam in suo modo agendi, ergo nec sit limitata in modo essendi, — tum quia ad superandam difficultatem *infinitam* seu distantiam infinitam inter duos terminos, requiritur virtus infinita ; jamvero inter esse, quod per creationem recipitur, et nihilum creationem antecedens, distantia reperitur infinita.

Præterea S. Thomas duas attulit rationes quæ Scoto minime placuerunt, nempe ex eminentia 1° *esse* creati, 2° *vis* creatricis. *Revera* effectus universalior ac nobilior a Prima Causa, cujus essentia est ipsum esse, produci debet. Sed creatio est effectus universalior et nobilior ; universalior quidem, non enim ad hoc vel tale esse in particulari, sed ad *esse* simpliciter et in universum extenditur ; nobilior etiam, nam est productio entis in se, non in alio subsistentis. Ergo creatio a Prima causa produci debet.

1. **Sum. theol.**, I, q. 45, a. 3, ad 1 ; — cf. **J. Thyrion**, *La notion de création passive*, in *Rev. thomiste*, 1929, p. 303. — 2. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 5. — 3. **Thesis thomistica XXIVa.**

Rursus, quando duo sunt extrema inter se sic se habentia, ut, uno decrescente, alterum crescat proportionaliter, si unum ponitur minui usque ad *non gradum* (seu ad gradum *non-entis*), suum compar crescit supra omnem gradum (id est, *in infinitum*). Sed, in creatione facienda, diminutio termini est usque ad *non-ens* seu nihilum. Ergo vis creatrix augeri debet usque in infinitum seu ad Ens infinitum pertingit.

B. — *Communius* docent — contra P. Lombardum et Suarezium [1] — creaturam nec etiam esse posse **instrumentalem** causam creationis. — Cujus enim officium est per actionem propriam agere dispositive ad effectum principalem ; sed in creatione inter nihilum et ens non datur medium ; ergo ad creandum nec dispositio producenda requiritur, nec actio proprie instrumentalis, nec igitur causa instrumentalis utilis est.

112. 4° **Utrum creatio fuerit ex LIBERA Dei voluntate ?**

Qui inter *rationalistas* creationis nomen retinent, eamdem esse necessariam fere omnes contendunt. Ita, v. g., Em. Saisset et Cousin : « Dieu, s'il est une cause, peut créer, et s'il est une cause absolue, il ne peut pas ne pas créer [2]. » Quibuscum annumerari debet *Leibniz*, in eumdem errorem, principio rationis sufficientis invite prolapsus, postea Gunther et Hermès, etiam *Vacherot*, qui creationem a vita Dei non distinxit [3]. Unde adversus illos sit

THESIS

Nulla est in Deo creandi necessitas [4].

Prob. — Si qua enim esset creandi necessitas, hæc ex parte vel rerum mundanarum vel Dei oriretur. Atqui neutrum :

Non ex parte rerum, nam res mundanæ per se sunt possibiles et contingentes ; sed res possibiles sunt indifferentes ad esse vel non esse : id enim quod non est necessarium potuisset non esse, nec nullum jus habet ad existentiam ; ergo res mundanas Deus potuit creare vel non creare, et has vel illas præ cæteris ad existentiam adducere.

Non ex parte Dei, nam Ens summe perfectum et beatum non fertur ex necessitate in ea quæ perfectionem et beatitudinem ejus augere nequeunt. Atqui Deus est summe perfectus, ad cujus perfectionem alia non sunt necessaria, et cujus beatitudo nec augeri nec minui potest. Ergo Deo nulla est creandi necessitas.

Confirmatur, nam « causa extrinseca est vel efficiens vel finalis. Deus autem non agit ex aliqua necessitate ad creaturarum

1. Cf. **Suarez**, *Disp. Metaphys.*, XX, sect. II ; — **S. Athanasius**, *Serm.* III, contra Arianos. — 2. *Introduct. à l'hist. de la philos.*, 1828, p. 144. — 3. **Vacherot**, *Le nouveau spiritualisme*, 1884, p. 335. — 4. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 462-466.

productionem, nam Primo agenti debetur actio prima et independens. Similiter finis divinæ voluntatis est sua bonitas, quæ quidem a creaturis non dependet, nec quantum ad esse, nec quantum ad bene esse, cum sit secundum se perfecta simpliciter. Non est igitur creaturarum esse absolute necessarium [1] ».

Quare catholici omnes « Deum voluntate ab omni necessitate libera, liberrimo consilio, creasse » confiteri debent [2].

Obj. — Deus agit ex necessitate naturæ : « Dieu étant une force créatrice absolue qui ne peut pas ne point passer en acte, il suit non que la création est possible, mais qu'elle est nécessaire [3] ».

Resp. Deus est ab æterno omnino in actu sive necessario, sive libero, *conc.* ; cui transeundum est de potentia in actum, *nego*. Nil enim novi additur Esse divino per creationem, sed in eo creatio idem est ac essentia, quatenus libere agens (cf. n. 60, 92).

Cor. — Deus libere creavit : ergo potuit creare ab æterno (Cosmol., n. 120).

§ II. — *De causa Exemplari creationis.*

113. Utrum Deus sit CAUSA EXEMPLARIS omnium [4] ?

THESIS

Deus omnia condidit secundum ideas suas exemplares ; ideoque vestigium vel imaginem sui in rebus impressit.

Constat I[um]. Omnis enim opifex, qui agit per intellectum, secundum exemplar quoddam agere debet ; ergo a fortiori Deus : sed, cum ante creationem nihil esset extra Deum, necesse est dicere omnia fuisse condita secundum ideas exemplares, quæ sunt *in* intellectu divini Opificis [5].

Constat II[um]. Nam omnis effectus præ se fert vestigium aut imaginem exemplaris secundum quod fuit conditus ; ergo res omnis condita præ se fert vestigium vel imaginem Dei.

Dixi : **vestigium** aut **imaginem** ; nempe *vestigium* in rebus physicis, et *imaginem* in mente humana, — prout effectus repræsentat solum causalitatem causæ vel ejus formam [6].

Confirmatur exemplo artificis qui producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, sive illud intuetur ad extra, sive interius mente conceptum [7].

114. Quomodo intelligi possit EXEMPLARISMUS divinus [8] ?

Est exemplarismus divinus *doctrina de præexistentia arche-*

1. **Contra gent.**, II, c. 31, n. 1 ; c. 23, n. 7 ; c. 30-32. — 2. **Conc. Vatic.**, sess. III, cap. I, can. 5. — 3. **Cousin**, *Ibid.* — 4. **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 176 ; — **Gilson**, *L'esprit de la phil. médiévale*, p. 87-110. — 5. **Sum. theol.**, I, q. 15, a. 1. — 6. *Ibid.*, q. 45, a. 7. — 7. **Sum. theol.**, I, q. 44, a. 3. — 8. *Ibid.*, q. 14, a. 6 ; — q. 15, a. 1, 2, 3 ; — q. 16, a. 6 ; — q. 34, a. 3 ; — q. 44, a. 3, 4 ; — q. 47, a. 1, 3, ad 1 ; — 93, a. 1-9 ; — **Liberatore**, *De la connais. intell.*, c. VIII : de l'exempla-

typorum æternorum in intellectu divino. — Sc. Deus est suprema et prima causa exemplaris ; datur ordo omnium rerum exemplatorum juxta divina exemplaria ; hæc autem in Ipso sunt ideæ divinæ, — quas Plato erronee ponebat « per se existentes et non in intellectu [1] ».

Jamvero Deus est Forma eaque perfectissima et omnium formarum prototypa. Sic infra Deum existunt angeli, quos appellamus *formas separatas*, quia nullum corpus informant ; infra angelos existunt *animæ humanæ*, quæ natæ sunt ad corpus informandum, sed, corpore soluto, possunt esse et vivere ; infra animas humanas comperiuntur *animæ belluinæ*, *formæ plantarum*, *formæ mineralium*, quæ esse nequeunt sine materia. Et sic in singulis et omnibus creaturis est aliqua repræsentatio Entis perfecti.

Nec dicas Deum esse rerum ad extra causam *æquivocam*, non univocam : ergo res Ipsi non assimilatas esse. — Nam in Ipso sint oportet perfectiones creatæ omnes, sive *virtualiter*, si sint de categoriis et materiales, ut lapis, arbor, animal, sive *formaliter et eminenter*, si sint transcendentales et simplices, ut esse, bonum, intelligere. Nulla quidem perfecte repræsentat primum exemplar, cujus perfectio est infinita ; verumtamen, sicut idem monumentum in multis variisque picturis repræsentatur, ita in tanta et tam mirabili rerum varietate inveniuntur repræsentationes diversæ ejusdem perfectionis infinitæ (n. 43).

§ III. — *De causa Finali creationis.*

115. Utrum et quatenus Deus sit CAUSA FINALIS omnium [2] ?

Juxta quosdam, vanum est inquirere finem rerum et intentiones Creatoris ; juxta Kant autem omnia sunt propter hominem, homo propter seipsum et ideo homo finis est ultimus creationis (Cosmol., n. 161). Sed contra

THESIS

Omnia ordinantur ad Dei gloriam ut ad finem ultimum.

Prob. — Gloria Dei est divinarum perfectionum clara notitia cum laude. Atqui certum est, a priori et a posteriori, Deum nihil in creando sibi proponere potuisse, nisi *manifestationem* attributorum suorum :

1° *A priori.* — Deus, quum sit summe intelligens, finem sibi proposuit in creatione rerum : aliter enim egisset sine

risme divin ; *Du composé humain*, p. 507 ; — **Ern. Dubois**, *De exemplarismo divino*, 1897. — 1. **Sum. theol.**, I, q. 15, a. 1, ad 1. — 2. **Pjat**, *Aristote*, 1903, p. 118-120 ; — **Gilson**, *L'esprit de la philosophie médiévale*, p. 133-152 ; — **Sertillanges**, *Dieu* (commentaire de la Somme), I, p. 350.

ratione. Porro, quum sit infinitus, nihil sibi proponere debuit nisi manifestationem perfectionum suarum : secus enim a bono finito moveretur. Ergo creavit ad suam gloriam.

2° *A posteriori.* — Nam — *a*) « In partibus Universi, unaquæque creatura est propter suam perfectionem ; — creaturæ ignobiliores propter nobiliores, sc. propter hominem ; — singulæ autem creaturæ propter perfectionem totius universi. Ulterius ergo totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem [1] ». — *b*) Speciatim vero homo est propter Deum ; nam creaturæ irrationales Deum non laudant, nisi indirecte quatenus exprimunt in seipsis aliquid veritatis, pulchritudinis, bonitatis infinitæ ; solæ creaturæ rationales pollent facultate Deum cognoscendi et amandi ; ideoque eas ad hoc teneri ex appetitu naturali, ex natura necnon ex officiis suis, deducetur in Ethica (n. 11, 14).

116. Hinc summa Dei LIBERALITAS apparet in creatione.

Prob. — Deus enim in operibus ad extra, agit vel ex necessitate, vel propter utilitatem, vel propter bonitatem suam communicandam. Atqui duo priora dici nequeunt :

Non 1um, Deus enim libere condidit universa (n. 112).

Nec 2um, siquidem agentia imperfecta suam perfectionem in agendo inquirunt, sed « Primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus ».

Ergo « intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est ejus *bonitas* essentialiter sui communicativa [2] ».

Dices : — Ex dictis in thesi (n. 115), Deus creavit propter gloriam suam, ergo non propter bonitatem suam communicandam.

Resp. *Nego cons.* Nam gloria Dei cedit in utilitatem creaturæ ; quod enim celebretur a creaturis, eisdem pariter proficit, non Ipsi, cum sit sibi sufficientissimus ; ergo Deus, et ipse solus, est maxime liberalis, solusque verus amator [3]. — Cæterum non potest, cum talis sit ordo rerum essentialis, non intendere gloriam suam seu notitiam cum laude : sed in hoc præcise sistit beatitudo creaturarum (cf. Eth., n. 13).

ARTICULUS II

De Conservatione [4].

117. Quomodo CONSERVATIO sit creatio continuata [5] ?

A. — Creationem sequitur conservatio, quæ **definitur** : *actus potentiæ Dei quo res creatæ esse pergunt.* Distinguitur a creatione, in eo quod per creationem res incipiunt esse.

1. **Sum. theol.**, I, q. 65, a. 2 ; — **Contra gent.**, I, c. 93. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 44, a. 4 ; q. 20, a. 2 ; — cf. **Gay**, *De la vie et des vertus chrétiennes*, t. I. — 3. **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 237 et seq. — 4. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 481-484. — 5. **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 296-303 — **Boyer**, *Op. cit.*, p. 126-132.

Duplex conservationis notio distingui potest ; una *positiva* et directa, quæ supponit jugem quemdam Dei influxum, quo res in existentia sua « perdurant », ut aiunt ; — altera autem *negativa* et indirecta, quæ significat res ex se in existentia sua perseverare, modo Deus eas non destruat.

B. — Hinc conservatio positiva est **creatio continuata.**

Non in eo sensu quod creationi conservatio nihil adderet positivi : eadem quippe actio, quatenus dat primum esse, creatio ; quatenus dat secundum et tertium seu *perseverans* esse, conservatio dicitur. Porro, sicut in primo, ita et in secundo et in tertio instanti, nonnisi per actionem positivam, creatura recipit esse. Ergo conservatio est creatio positive continuata.

Nec tamen in eo sensu quod singulis instantibus creatura ex esse ad nihilum, et ex nihilo ad esse transeat : quod insipienter asseruerunt Bayle et quidam recentes [1] ; sicut enim aer, permanente lumine solis, illuminatur, quin debeat singulis momentis obscurus fieri, ita etiam creatura, permanente virtute divina, in esse perseverat, quin prius annihiletur.

118. Utrum creaturæ positiva conservatione indigeant ?

Jam adversus Gassendi, Bayle, Crousaz, Galluppi et alios recentes non paucos, statui potest

THESIS

Creaturæ omnes, ut esse pergant, indigent conservatione, eaque directa et positiva.

Prob. — Actus potentiæ Dei, quo res e nihilo educuntur, vel positive perseverat post creationem vel non. — Si *prius*, Deus res mundanas directe servat : proindeque conservatio non minorem virtutem exigit quam earum creatio. Si *posterius*, fieri nequit quin creaturæ redigantur in nihilum, nam res contingentes nihil sunt e natura sua nisi mere possibiles seu *de se* indifferentes ad esse vel non esse. Idcirco, sicut non possunt actu existere sine influxu primæ causæ, ita nec *durare* [2].

Consequentia urgetur ex primis principiis : nam quidquid est, habet rationem sui sufficientem ; ergo et permanentia creaturarum. Hæc autem ratio sufficiens esse nequit nisi — vel ipsamet propria virtus creaturæ, — vel necessaria connexio inter existentiam præteritam et actualem, — vel actio positiva Dei conservantis. Atqui duo priora admitti non possunt :

Non 1um, nam totum esse creaturæ est contingens, i. e.,

1. **Bertaud**, *De l'existence de Dieu*, 1883, II, p. 239. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 104, a. 1.

non est a se, sed ab alio, non tantum secundum essentiam et τὸ fieri, sed secundum τὸ esse, nec tantum in primo instanti suæ existentiæ, sed et in secundo et in tertio, et sine ulla intermissione [1] : proinde non potest permanere nisi ab alio.

Non 2um, nam inter primum instans contingens A et secundum instans contingens B, nulla adest relatio causalitatis, sed meræ successionis ; et ideo existentia præterita non est ratio sufficiens existentiæ præsentis, neque præsens ratio futuræ, alioquin quælibet creatura perseveraret in æternum.

Ergo *restat* 3um, sc. res creatas ab actione divina conservari oportet « mediantibus aliquibus causis [2] », ut ipsarum essentia et existentia, utraque contingens, unitæ permaneant.

Dices : creatura est indifferens ad esse vel ad non esse : ergo, sicut, v. g., non existens statua per se solam non transit ad esse, ita etiam, si semel existat, ex sese non annihilatur.

Resp. *Nego* paritatem et consequentiam : nam in primo instanti creatura non vi propria, sed virtute divina habet esse ; ergo et in secundo. Nec quidquam facit exemplum artefactorum hominis : hæc enim sine illo perseverant in esse, quia causa secunda, non esse substantiale, sed accidentale producere tantum potest in materia.

ARTICULUS III

De Concursu divino [3].

119. Quid et quotuplex sit concursus divinus ?

A. — Vox ipsa concursus (currere cum) male significare videtur duorum, ideoque duas, actiones : non ita Dei concursus seu potius motio divina, quæ **est** intimior *actus potentiæ divinæ realiter influens in actiones naturales creaturæ.*

1° Est *actus potentiæ divinæ*, et idcirco intellectus et voluntatis ; nam, ut vidimus (n. 94), omnipotentia, intellectus et voluntas Dei agunt *per modum unius* in operibus ad extra.

2° *Influit realiter* quidem ideoque diversim a creatione juxta omnes ; an vero physice juxta Thomistas, vel præsertim moraliter juxta Molinistas, infra dicetur.

3° Influit in *actiones* creaturæ ; et sic distinguitur a creatione et conservatione ; per creationem enim res accipiunt *esse*, et per conservationem in esse suo *pergunt* ; per concursum autem in actionibus suis *adjuvantur.*

4° Influit in actiones *naturales* ; nam concursus, de quo

1. **Sum. theol.**, *Ibid.* — 2. *Ibid.*, a. 2. — 3. *Ibid.*, q. 105 ; — **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 484-494 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 473-497 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, 255-268 ; — *Dieu*, III, p. 310-321.

philosophi disserunt, essentialiter discrepat ab auxilio *gratiæ*, cujus ope Deus influit in actiones vitæ *supernaturalis* [1].

Exinde apparet absoluta dependentia creaturarum a Deo, sine quo nec *esse*, nec *pergere* in esse, nec *operari* possunt.

B. — **Multiplex** distingui potest modus concursus divini. *In se* sumptus, dividi solet in *mediatum* et *immediatum* : mediatus ille est, quo Deus directe largitur creaturis vires naturales, quibus deinde ipsæ agere possint, sicut, v. g., magister tradit calamum discipulo, qui postea scribit ipse solus ; immediatus autem ille est quo Deus directe operatur cum causa secunda et ad eumdem effectum realiter concurrit. Jamvero de primo, qui non est proprie concursus *ad agendum*, nulla difficultas ; quæstio est de secundo seu immediato concursu, et quadruplex concipitur :

1° Ratione *modi* quo in actionem influit, concursus divinus potest esse *physicus* vel *moralis* : concursus physicus est actio qua Deus, ut prima causa, ab intus movet aut adjuvat vires physicas causæ secundæ ; concursus moralis in eo consisteret quod Deus, præsentando objectum, suadendo et alliciendo causam secundam moveret ad aliquid faciendum.

2° Relative ad *agentem* qui operatur, concursus physicus dividitur in *prævium* et *simultaneum* : prævius seu *præmotio physica*, ut aiunt, determinationem causæ secundæ præcedit, eamque applicat ad agendum ; simultaneus autem est, quo Deus creaturam adjuvando comitatur, sed ejus actionem non prævenit, sicut, v. g., duo equi simul trahunt currum ; quo casu actio divina, quantumvis dignior, non esset natura prior.

3° Relative ad *terminum* circa quem fertur, concursus dividi potest in *specialem* et *generalem* : specialis est, si Deus pro tali aut tali actione auxilium *determinatum* creaturæ largitur ; generalis, si auxilium illud est *indeterminatum*, et proinde ad quemcumque effectum indifferens.

4° Tandem secundum *efficaciam* suam, concursus divinus vocari potest *efficax ab intrinseco*, vel *efficax ab extrinseco* ; si prius, independenter ab omni prævia determinatione causæ secundæ effectum suum sortitur ; si posterius, effectum suum attingit ex determinatione prævia causæ secundæ. Prior *e natura sua*, posterior vero *e determinatione causarum secundarum* efficacitatem suam desumit.

1. **Goudin**, *Phil.*, t. IV, p. 3, q. 4, a. 2 ; — **Sanseverino**, *Theol. natur.*, c. IV, a. 3 ; — **Sertillanges**, *S. Thomas d'Aq.*, I, p. 261.

120. Quæ sit Thomistarum et Molinistarum CONTROVERSIA [1] ?

I. — **Sensus quæstionis.** — A. Juxta occasionalistas Deus totam, juxta deistas nullam operatur actionem creaturarum. — Jam e contra fere omnes philosophi, si quosdam veteres, v. g., Durandum excipias, necessitatem concursus *immediati* asserunt. Et merito

1° Ex parte *creaturæ* : — tum quia causa secunda per se solam de potentia ad actum transire nequit sine impulsu alicujus motoris, — tum quia sibi dare nequit quam non habet operationem, quæ profecto nova est entitas, cujus ope melioratur, — tum quia creatura fieret primum agens, si semel producta, nullo indigeret Dei concursu, etiam simultaneo, ad agendum (Psych., n. 125).

2° Ex parte *Dei* : secus enim magis extenderetur causalitas exemplaris divina quam actio Dei efficiens ; nec posset Deus impedire actionem creaturarum, v. g., ignis, per simplicem concursus suspensionem [2].

Cæterum concursus Dei immediatus non excludit operationem naturæ et voluntatis : secus enim actio divina dici non posset simplex concursus, sed causa unica : quod vergeret in occasionalismum et pantheismum. Unde « sic intelligendum est Deum operari in rebus, quod tamen ipsæ res habeant propriam operationem [3] » (n. 122, A).

B. — De *natura* autem hujus concursus immediati minime consentiunt. Alii enim, post S. Thomam, præmotionem physicam [4], et alii, duce Molina, concursum simultaneum enixe propugnant [5]. Ad thomismum [6] et molinismum revocantur omnes aliæ sententiæ, etiam theologorum, nam « vere quæstio ista per prius et per se quæstio est metaphysicæ generalis, quam pro posse suo declarare habet philosophus [7] ».

II. — **Sententiæ.** — 1° Ecce præcipua Molinistarum placita : Molinistæ, ut vidimus (n. 82), scientiam mediam excogitarunt ad tuendam libertatem humanam ; item, ad concordiam ejusdem libertatis cum concursu divino, veteres docuerunt auxi-

1. Cf. **Gredt**, *Op. cit.*, tom. II, n. 705-715 ; — **Del Prado**, *De gratia et libero arbitrio*, 3 vol., Friburgi Helv., 1907. — 2. **Salmanticensium** *Cursus theol.*, tom. IX, *De gratia*, disp. V., n. 109. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 105, a. 5. — 4. Inter recentiores : **P. Gayraud**, *Thomisme et molinisme*, 1889 ; *Réplique au P. de Régnon*, 1890 ; — **P. Dummermuth**, *S. Thomas et doctrina præmotionis*, 1886 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu* ; *S. Thomas et le néo-molinisme*, 1917 ; — *Le dilemme*, in *Revue thomiste*, mai 1928. — 5. Inter recentiores : **P. Schneemann**, *Controversarium de divinæ gratiæ... concordia*, Herder, 1881 ; — **P. Baudier**, *Revue des sciences eccl.*, 1887 ; — **Lesserteur**, *S. Thomas et le thomisme* ; *S. Thomas et la prédestination*, 1888 ; — **P. de Régnon**, *Bannez et Molina*, 1889 ; — **A. d'Alès**, *Providence et libre arbitre*, 1928, etc. — 6. Historice falsum est thomismum a Bannezio († 1604) derivari, quia jam a Cajetano et Ferrariensi, imo a Capreolo († 1444), Principe thomistarum, integre propugnabatur, cf. **Ude**, *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanæ*, Græcii, 1905. — 7. **Billot**, *Tract. de gratia*, p. 34.

lium, quo Deus concurrit in actiones nostras liberas, *esse* præsertim [1] *morale*, recentiores physicum, imo aliqui præmovens, sed *simultaneum*, *indeterminatum* saltem pro actibus liberis et suam efficaciam desumens *ab extrinseco*, sc. a voluntate libera. Cujus exemplum, jam allatum, præbent duo equi, qui simul trahunt currum.

2° *Thomistæ* vero ea tenent et docent de concursu : Quemadmodum Deus omnia præterita, præsentia et futura cognoscit a priori in seipso, ita omnes actiones creaturarum naturales determinat a priori in decretis suis ; unde, concursus per quem influit in actiones nostras sive necessarias, v. g. circa beatitudinem in genere, sive liberas, v. g. circa electionem mediorum ad finem, *est* non tantum *immediatus*, sed *physicus*, *prævius*, *specialis*, et *e natura sua seu ab intrinseco efficax*, sc. et paucis verbis, *præmotio physica*. Habes exemplum valde imperfectum in manu magistri, qui actione prævia et physica manum discipuli, sine violentia sed efficaciter, applicat ad specialem scripturam active ab ipso exequendam.

121. Quænam sint thesis et argumenta THOMISTARUM ?

Juxta illos, « nullum creatum agens in esse cujuscumque effectus influere valet nisi motione accepta a Prima Causa [2] ».

THESIS

Ad actiones creaturarum naturales, sive necessarias, *sive* liberas, *requiritur* præmotio physica.

I. — Probatur **indirecte ex vitiis concursus simultanei.** Nam

1. Quidquid est ens, e Deo *procedit* tanquam a prima causa : sed, in systemate concursus simultanei, esset ens quod a Deo non procederet, nempe determinatio causæ secundæ.

2. Aliunde, Deus habet supremum *dominium* in omnes creaturas ; sed, in hypothesi concursus simultanei, determinationes libertatis humanæ non penderent a Dei dominio.

3. Præterea, est de *natura concursus* divini ut sit aptatus actibus nostris in particulari nec ab eis determinandus ; sed concursus simultaneus est influxus tantum moralis, aut, si physicus, vagus, indifferens, indeterminatus et abstractus.

4. Tandem concursus simultaneus efficaciam obtinet a *prævisione* determinationis causarum secundarum per scientiam mediam ; Deus autem, in hac hypothesi, suam scientiam, —

1. Imo semper, ait Fonseca, *In Metaph. Arist.*, L. VI, c. II, q. 4, sect. 8. — 2. **Thesis thomistica XXIV^a^.**

aliunde vanam aut eversivam libertatis (n. 84), — acciperet a creaturis.

Ergo quadruplici causa vitiatur concursus simultaneus.

II. — Probatur **directe** ex parte tum Dei, tum hominis.

122. A. — **Ex dignitate causæ primæ.** Ea est dignitas Primæ Causæ, ut exigat præmotionem physicam. Ergo requiritur hæc præmotio non tantum immediata cum Molinistis, sed et physica, prævia, specialis et efficax cum Thomistis.

Imprimis *immediata* : nam « virtus superioris causæ est immediatior effectui quam virtus inferioris, virtus enim inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris [1] » ; ergo « patet quod, cum Deus sit prima causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus [2] », sicque effectus totus tribuitur simul causæ primæ et causæ secundæ sicut causæ principali et causæ instrumentali : ab utraque enim, licet sub diverso respectu, procedit.

Sed et 1° *Physica* : nullum enim agens potest transire ad actum sine influxu activo primi agentis : porro ille influxus est motio physica. « Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum *applicat actioni*, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit [3] » : ecce influxus quadruplex, utique physicus, sine quo nihil potest accipere existentiam.

2° *Prævia* : nam causa in genere, a fortiori Causa Prima, prior est suo effectu, prioritate saltem naturæ : « dès qu'on nomme la cause première, il faut la faire aller partout devant [4] ». Quo sensu, hæc motio *præmotio* non immerito vocatur.

3° *Specialis* : nam intellectus Dei, adjuncta voluntate, est causa rerum ; sed Deus tales producit res, quales cognoscit et vult, nempe omnia modo non generali (nam, v. g., impossibile est creari animal in genere, non specificatum), sed determinato et speciali seu *individuum* animal ; ergo influxus divinus in actiones nostras non est generalis, sed omnino specialis.

4° Denique *efficax ab intrinseco* : nam omnis efficacia causarum secundarum procedit a Deo, tanquam a causa prima, non vero efficacia causæ primæ ab efficacia causarum secundarum : secus aliquid esset in effectu, quod deficeret in causa.

1. *De potentia*, q. 3, a. 7. — 2. *In I Sent.*, Dist. XXXV, q. 1, a. 1 ; — **Contra gent.**, III, c. 70, 89. — 3. *De potentia*, q. 3, a. 7 ; — **Sum. theol.**, I, q. 103, a. 5. — 4. **Bossuet**, *Traité du libre arbitre*, ch. VIII.

Ergo, stante præmotione physica, « repugnat quod non fiant ea quæ Deus vult fieri et eo modo quo vult ea fieri [1] ».

123. B. — **Ex indeterminatione causæ secundæ.** — Potentialitas voluntatis humanæ exigit interventum Primi Motoris. Ergo requiritur præmotio physica.

Probatur *antecedens*. — Quidquid est in potentia ad agendum, per se solum non transit ad actum. Porro voluntas est primo in potentia et transit ad actum : ergo præmovetur a Causa prima ; — transit ad actum physicum : ergo hæc præmotio et ipsa physica est ; — transit ad actum specialem et distinctum : ergo indiget auxilio speciali ; — transit ad actum quem de facto assequitur : ergo auxilium Dei est efficax..., secus vel motio, vel determinatio, vel directio, vel efficacitas voluntatis humanæ deficerent.

Confirmatur exemplo neo-molinistarum, qui relicto Molina, præmotionem physicam aperte propugnant, licet *indeterminatam* : cujus exemplum haberes in navi quæ eodem vento, vel ad mare magnum vel ad portum pellitur. — Restat ut sicut primam motionem, ita ejus directionem et determinationem a causalitate divina non subtrahant [2], ut dixit Bossuet :

« On voit par cette doctrine comment toutes choses dépendent de Dieu, c'est qu'Il ordonne premièrement et tout vient après ; et les créatures libres ne sont pas exceptées de cette loi, le libre n'étant pas en elles une exception à la commune dépendance, mais une différente manière d'être rapporté à Dieu. En effet leur liberté est créée, et elles dépendent de Dieu même comme libres, d'où il s'ensuit qu'elles en dépendent même dans l'exercice de leur liberté [3] ».

124. Objectiones MOLINISTARUM.

Molinistæ sic arguunt : Concursus prævius tollit libertatem hominis, et peccatum Deo tribuit ; ergo est rejiciendus.

Obj. 1a. — Quod necessario sequitur præmotionem præviam et alienam non est liberum. Porro talem præmotionem sequitur actio voluntatis prædeterminatæ. Ergo libera non est.

Resp. *Dist. maj.* : 1° Quod *necessario* sequitur, non est liberum, *conc.* : quod *infallibiliter* tantum sequitur, *nego.* — 2° Quod sequitur motionem *creaturæ*, *conc.* : motionem *causæ primæ*, *nego.* — 3° Si necessarium est necessitate *antecedenti*, conc. : si ex necessitate *consequenti*, *nego.* — 4° Si necessarium est in sensu *diviso conc.* ; in sensu *composito*, *nego* [4].

Contradistinguo minorem, et præfatas sic explico distinctiones.

1. **Sum. theol.**, I, q. 19, a. 8 ; — *Compendium theol.*, tract. de Fide, c. 140. — 2. **Farges**, *Ibid.*, 493-495. — 3. **Bossuet**, *Ibid.*, c. VIII, per totum. — 4. Cf. **S. Thomas**, circa distinctionem sensus compositi et sensus divisi ; **Sum. theol.**, I, q. 14, a. 13, ad 3 ; — q. 23, a. 6, ad 3 ; — I-II, q. 10, a. 4, ad 3 ; — *De pot.*, q. 1, a. 5 ; — *De verit.*, q. 6, a. 4, ad 8 ; q. 2, a. 12, ad 4.

1. Actus hominis concursum Dei ab intrinseco efficacem, semper et *infallibiliter*, non autem *necessario* seu tanquam actus *necessarius* consequitur. Porro nemo unquam probare poterit infallibilitatem effectus et libertatem agentis una secum componi non posse : imo non desunt exempla utriusque, non tantum in Deo et in Christo qui peccare non potuit, sed et in humanis.

2. Alia est *præmotio Creatoris*, alia *creaturæ* : una naturalis et intrinseca, alia extrinseca dicitur ; prior ex se adjumentum, posterior coactionem sæpius infert ; hæc tollit, dum illa confert homini libertatem : « Cum igitur voluntas Dei sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem Deus quædam fieri necessario, quædam contingenter [1]. » « Comme donc l'homme est, dès là que Dieu veut qu'il soit ; il est libre, dès là que Dieu veut qu'il soit libre [2]. » — Procedit autem objectio ex eo quod præmotionis divinæ natura pensatur ad modum præmotionis humanæ, « cum multo dissimiliter se habeant [3] », nam liberum arbitrium « Deus potest quidem immutare, sed *non cogere*, eo modo quo dicitur non posse facere ut duo contradictoria sint simul [4] ».

3. Actus liber hominis necessarius est consequenter seu ex parte *termini*, non antecedenter ex parte *principii* efficientis : — consequenter, nam infallibiliter exercetur hic aut ille actus, circa hoc aut illud objectum : non antecedenter, nam libera sua voluntate hunc actum elicit homo, sic, v. g., S. Paulus, stante præmotione efficaci, certo sed libere convertitur ad Deum.

4. Denique homini liberum est omittere vel ponere actum, in sensu *diviso*, non in sensu *composito* ; id est : « Cum volumus, infallibiliter volumus : unde, licet nostrum velle non posset simul componi cum nostro non-velle, est tamen in nostra potestate ponere potius velle quam non-velle : quocirca in sensu diviso velle et non velle in nostra potestate sunt [5]. »

Obj. 2a. — Juxta Thomistas, quidquid procedit a voluntate humana, Deo tribuendum est ; sed peccatum procedit a voluntate hominis ; ergo.

Resp. *Dist. maj.* : Deo tribuendum est quidquid procedit a voluntate humana tanquam *entitas* ralis, *conc.* ; tanquam *defectus* perfectionis debitæ, *nego.* — *Dist.* quoque *min.* : sed peccatum procedit a voluntate humana, tanquam *defectus* perfectionis debitæ, *conc.* ; tanquam *entitas* realis, *nego.* Ad rem argute scripsit S. Thomas : « Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id quod habet *entitatis* et perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de *defectu* : sicut quidquid est motus in claudicatione causatur a virtute motiva, sed quod est obliquitatis in eo non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris [6] ».

Hinc « cordatiores philosophi jam desistunt a criminandis

1. **Sum. theol.**, I, q. 19, a. 8. — 2. **Bossuet**, *Traité du libre arbitre*, ch. VIII. — 3. *In Perth.*, I, lect. 14. — 4. *In II Sent.*, XXV, q. 1, a. 2, ad 3. — **5. Zigliara**, *Theol. nat.*, L. III, c. IV, a. 3 ; — cf. **Salmanticensium** *Op. cit.*, Disp. VII, n. 215. — 6. **Sum. theol.**, I, q. 49, a. 2, ad 2 ; — cf. **Billuart**, *De Deo*, dissert. VIII, a. 2 ; — **Salmanticensium** *Cursus theol.*, t. II, *De voluntate Dei*, disp. X, dub. 7.

Thomistis de læsione libertatis [1] » licet *quomodo* Deus nos faciat libere agentes, non claro, ut in multis, videatur.

125. Notandum de thomismi et molinismi CONCILIATIONE.

In re tam difficili non mirum si prodierint varia conciliationis tentamina. Ecce recentior congruismi forma, quæ **Cajetano-thomistica** vocatur : Card. Jos. Pecci [2], Satolli, Paquot, Lorenzelli, Janssens, Lépicier, nec præmotionem physicam nec scientiam mediam admittunt, — licet quoad transitum voluntatis humanæ *de mera potentia ad actum*, v. g., in initio vitæ, aut in unaquaque serie volitionum pro prima volitione non libera finis, concursus prævius Thosmistarum necessario admittendus videatur. At :

1° Quoad transitum voluntatis *jam in actu* primo positæ *ad alterum actum*, v. g., de volitione finis ad electionem mediorum, non requireretur alia præmotio : secus periret libertas ; unde sufficeret motio Dei cooperativa intrinsece, relate ad unamquamque seriem actionum. Nec talis electio mediorum effugeret primam Dei causalitatem, nam, ex una parte, « causa causæ est causa causati » ; ex altera vero, nunquam eveniret, Deo recusante cooperationem.

2° Hinc futura libera præviderct Deus non in supercomprehensione causæ liberæ, ut voluit Molina, sed in eorum præsentialitate ab æterno coram Deo (in qua solum esset myterium, n. 83-B) et in libera determinatione suæ voluntatis, qua Ipsi placuit præbere aut non præbere concursum cooperativum.

Nec dissonaret S. Thomas : « Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum ; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle ; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud [3]. » — « Licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur et specificatur, et ideo ejus similitudinem imitatur effectus [4]. »

Contradicunt autem maxime Thomistæ veteres et recentiores : juxta quos non datur medium inter thomismum et molinismum [5].

ARTICULUS IV

De Providentia Dei [6].

Superest ut dicamus de Providentia, quæ, secundum, Boetii verba, « omnium quæsitu maxima est ». De illa quatuor sint paragraphi : 1° *De Natura* ; 2° *De Existentia* ; 3° *De Œconomia* Providentiæ ; 4° *De Objectionibus* contra Providentiam.

1. **Zigliara**, *Ibid.* ; — cf. **Denz.-Banw.**, 1090, nota. — 2. **Card. Pecci**, *La prédétermination physique et la science moyenne*, trad. **Deshayes**, 1885 ; — **Satolli**, *De operationibus divinis*, Romæ, 1885, disp. II ; — **Lorenzelli**, *L'Acad. rom.*, vol. 8, p. 59-69 ; — **Paquet**, *De Deo uno et trino*, 1905, p. 356 ; — **Lortie**, *Op. cit.*, t. II, p. 418 ; — *De gratia*, q. 3, a. 3, p. 188, etc. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 9, a. 6, ad 3. — 4. *De potentia*, Iª, a. 4, ad 3. — 5. Cf. **Del Prado**, *De gratia et libero arbitrio*, 1907, p. 3ª, p. 338-520. — 6. **Farges**, *Ibid.*, 495-518 ; — **Monsabré**, *Conf. de N.-D.*, 1876 ; — **R. P. Etourneau**, *Conf. de N.-D.*, 1899 ; — **Sum. theol.**, I, q. 22, q. 103 ; — **Billuart**, *De Deo*, dissert. IX, a. 1 ; — *Revue thomiste*, an. 1896, p. 569 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 224-227 ; — **Boyer**, *Op. cit.*, p. 132-152 ; — **Gilson**, *L'esprit de la philos. médiévale*, p. 135-172.

§ I. — *De Natura Providentiæ.*

126. QUID, QUALIS et QUOTUPLEX sit Providentia ?

A. — Providentia in genere **definiri potest** : *Ratio ordinis rerum in finem, et hujus ordinis executio.* Nempe, providentia sub duplici respectu considerari potest : relative ad Deum et relative ad creaturam.

1° In Deo spectata, nihil est nisi *ordinatio rerum in finem ab intellectu divino concepta* ; in eoque sensu definitur a Boetio : « Ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit [1] ».

2° Respectu creaturæ, providentia est exsecutio in tempore hujus ordinationis, quam intellectus ab æterno concepit ; et ut talis dicitur *gubernatio rerum in finem.* — Unde « ad providentiæ curam duo pertinent... quorum primum est æternum, secundum temporale [2]. »

B. — Cujus propterea **quatuor sunt dotes** : — *a*) *Ex parte Dei*, providentia est actus intellectus practici ordinem rerum concipientis, qui præsupponit voluntatem finis et sive actum hujus ordinis exsecutionem mandantis, sive actum potentiæ mandatum exsequentis. Et hæc omnia unum sunt.

b) *In se vero et formaliter*, providentia dicitur actus intellectus ; gubernare enim pertinet ad prudentiam et sapientiam, quæ reponuntur in intellectu tanquam in subjecto.

c) *Ex parte creaturarum*, providentia implicat absolutam a Deo dependentiam, finem cuilibet rei specialem, et finem unicum ad quem omnia disponuntur.

d) *Ex parte mediorum* quibus efficitur rerum gubernatio, necessariæ sunt leges stabiles, per quas omnia finem suum infallibiliter assequi possint.

C. — Providentia, **multifariam** dicitur : in quantum designat rationem ordinis in mente Dei existentem, vocari solet *providentia* proprie dicta ; in quantum significat exsecutionem hujus ordinis, dicitur divina *gubernatio.* — Quatenus extenditur ad omnes creaturas, etiam vilissimas, nuncupari solet *communis* ; quatenus autem speciali modo respicit ad creaturas rationales, vocatur *peculiaris.* — Quando finis et media ad finem superant vires naturæ creatæ, providentia est *superna-*

1. *De consolatione*, L. IV, pros. 6. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 22, a. 1-4.

turalis; secus vero dicitur *naturalis*. De providentia supernaturali Theologia disserit : hic autem agitur de providentia naturali.

§ II. — *De Existentia Providentiæ.*

127. Quinam sint ADVERSARII divinæ Providentiæ ?

Apud *recentiores* pullulant, sicut olim [1], ea de re errores.

A. — **Alii indirecte** Providentiam rejiciunt, præsertim Pessimistæ et Fatalistæ.

1° *Pessimistæ*, inter quos, post Lucretium et Marcum Aurelium, eminent Neo-Bouddhistæ, Leopardi, Gœthe, Schopenhauer et Hartmann [2]. — Juxta Schopenhauer, mundus cujus existentia est malum, est evolutio *voluntatis* cæcæ et malæ, absurde cuncta moventis. Juxta Hartmann, principium universalis evolutionis est *ens inconscium*, cujus voluntas mala temperatur alio principio, sc. desiderio annihilationis, ac proinde mundus iste non esset absolute pessimus, quamvis essentialiter malus et nihilo pejor. — Juxta hos omnes, vita ærumnis plena intolerabilis est, et homines beati esse non possunt nisi in *Nirwana*, i. e., in nihilum absolutum redigantur : ecce terminus evolutionis rerum mundanarum.

2° *Fatalistæ* propugnant omnia subjici *fato* cuidam ineluctabili et « indeclinabili ». Sic loquitur Taine, fatalismi hodierni patronus : « Une puissante *formule* enfonce et serre au cœur de toute chose vivante les tenailles de la nécessité [3] ».

B. — **Alii directe** Providentiam negant, et vocantur *deistæ*. Quapropter, deismus est *systema eorum, qui Dei existentiam profitentur, sed illius gubernationem omnino vel partim respuunt.* Unde duplex est, *absolutus* et *mitigatus*.

1° Deistæ proprie dicti seu absoluti collegerunt apud veteres objectionum congeriem ; exinde intulerunt Dei Providentiam in sensu theistarum conciliari minime posse cum justitia, bonitate et sanctitate divina. Ex his sunt præcipue Bayle, Voltaire, Rousseau, Diderot et d'Alembert [4].

2° Juxta quosdam recentiores, Deus statuit leges universales, quibus omnia gubernantur ; sed nunquam providet immediate et directe quibuslibet et singulis entibus ; quod

1. Quos confutat **Tullius**, *De natura deor.*, L. I, n. 2 ; — cf. *Sum. theol.*, Iª, q. 22, a. 3 ; — **Diogenes Laertius**, L. V. — 2. Card. **Gonzalez**, *Hist. de la philos.*, t. IV, p. 152 ; — cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 12, 474 et 475. — 3. *Hist. de la litt. anglaise* ; — Ita **Viardot**, *Libre examen*, p. 73. — 4. **Bayle**, *Diction. histor. et crit.* : art. *Pyrrhon*.

immutabilitati divinæ et libertati humanæ contradiceret ; unde omnis religio revelata est impossibilis, et oratio, in quantum est deprecativa, fit inutilis et Deo injuriosa.

Hujus erroris indicia passim inveniuntur apud Thiers, Cousin, J. Simon, Saisset, Damiron, G. Séailles [1]. Sit exemplum ex operibus J. Simon depromptum : « L'intervention directe et immédiate de Dieu dans les affaires humaines selon des vues particulières compromet la liberté humaine et nuit même à l'idée que nous devons avoir de Dieu [2]. »

128. ADVERSUS DEISTAS omnesque Providentiæ hostes sit

THESIS

Deus est providus [3].

Sic stabilitur sive *existentia*, sive *universalitas* Providentiæ.

I° **Existentia.** — Imprimis constat Deum *esse providum*, si creaturas ordinat et gubernat. Porro Deus

1° *Ordinat*. Nam Providentia proprie dicta est ratio ordinis rerum in finem ; atqui ea ordinis ratio existit in mente Dei, et nihil est nisi intellectus divinus cuncta disponens ; ergo Deus est maxime providus, imo dicitur ipsa Providentia.

Prob. *minor*. — Omne agens intellectu præditum semper agit propter finem, et opus suum ad hunc finem ordinat. Porro Deus est summe intelligens. Ergo non potest agere, quin omnia in intellectu suo disponat et ordinet.

2° *Gubernat*. — Nam ordo mirabilis in hoc mundo instauratus, decursu sæculorum, permanet *constantissimus* et *progressivus*. Ergo Deus gubernat.

Prob. ant. Nam — 1° sunt *leges* quæ motus terræ et astrorum regunt, quæ evolutioni animalium præsunt, quibus homines et societates subjiciuntur ; et sic res quælibet etiam cognitione carens, disponitur ad finem sibi specialem, deinde omnia ordinantur ad finem unicum. — 2° Paulatim et cum frequenti regressu sed certo de facto datur *progressus* in mundo, sive materiæ quæ ex forma chaotica ascendit in materiam viventem et sensitivam, et animæ spirituali unitam ; sive artium, industriæ et scientiarum, seu, ut aiunt, « civilisationis » ; sive tandem ordinis moralis et religiosi, sub influxu, indebito tamen, christianismi.

Prob. cons. — Nam ratio hujus ordinis constantiæ et progressus reponenda est in voluntate singulis rebus superiori : secus aliquid esset in effectu, quod non procederet a prima

1. Cf. *Revue de philos.* (sept. et oct. 1904). — 2. **J. Simon**, *Introduction aux œuvres phil. de Bossuet*, 1842. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 495 et seq.

causa omnium. Voluntas igitur divina ordinem præconceptum exequitur et dirigit in finem seu gubernat, in quo sistit altera functio divinæ Providentiæ.

129. II. **Universalitas.** — Providentia Dei *complectitur universa*; nempe *singula, nobiliora* quidem, sed etiam *vilissima.*

A. — Quod infertur ex tribus Dei attributis *absolutis.* Nam vel Deus *non potest*, vel *potest* et *non vult*, vel *potest et vult sed nescit* de omnibus curam habere ; sed hæc tria repugnant attributis divinis : ergo de omnibus curam habet.

Constat *minor*, nam — 1. *omnipotentiæ* repugnat Deum non posse de omnibus curam agere. — 2. Si Deus *nollet* gubernare omnes creaturas, assignanda esset ratio hujus incuriæ ; sed nulla ratio ejusmodi assignari potest : nam, ex parte rerum, cura etiam de minimis non est Deo indigna, cuncta enim quæ fecit Deus sunt valde bona ; ex parte vero Conditoris, ea sollicitudo universalis non implicat laborem arduum et ingratum, quia Deus uno et eodem actu simplicissimo regit universa. — 3. Denique repugnat ut Deus *sapientissimus* res semel creatas velut artifex inconstans, ignoret et deserat.

B. — Ex tribus aliis attributis *relativis.* Nihil enim potest esse, nec in esse perseverare, nec ad actum transire, nisi per creationem, conservationem et concursum divinum ; sed qui dominatur in esse et in operari creaturarum, earumdem habet directionem in finem ; ergo Deus sit qui singulis suum finem specialem assignet necesse est, cunctaque, etiam fortuita aut necessaria aut libera, etiam minima et vilissima, etiam peccata, ordinet et regat ad finem ultimum [1].

Nisi dicas curam de vilissimis Deo indignam esse : « numquid enim de bobus cura est Deo [2] ? » Sed advertas velim multo magis a Deo distare maximas res, quam ab ipsis distant vilissimæ. Ergo, si de prioribus cura Deum non dedecet, nec de posterioribus. *Nobiliora* tamen singulari Providentia prosequitur : hæc enim uniuscujusque naturæ proportionari debet, et ideo entia diversa diversis mediis reguntur. — Hinc Deus speciali modo curam habet de homine, tum quia creaturæ rationales libertate gaudent, tum quia nobiliores sunt creaturis irrationalibus, tum denique quia iis utitur Deus tanquam mediis et ministris in gubernatione rerum.

Confirmatur ratione consueta agendi creaturarum. « Nam et homines et bestiæ propriorum fœtorum providentiam habent,

1. **Sum. theol.**, I, q. 103, a. 5, a. 1, 1d 3 ; q. 22, a. 2, ad 3. — 2. **I Cor.**, IX, 9.

naturali quodam instinctu [1]. » Ergo a pari probatur « omnia geri providentia divina », ut ait ipse Tullius [2].

130. Quid speciatim de PESSIMISMI confutatione [3] ?

Cum hodie inveniantur non pauci viri docti, qui deliramenta Neo-Bouddhismi aut Pessimistarum Schopenhauer et Hartmann, tanquam sapientiæ culmen prædicant, non inutilis erit specialis ejus confutatio. Unde

THESIS

Pessimismus, quicumque sit, est falsus et perniciosus.

Prob. — Etenim illud systema falsis principiis innititur, sensui communi et naturæ contradicit, denique ad absurdas nefandasque consequentias inducit.

A. — **Falsis principiis** *innititur*, sc. 1° in *errore* pantheismi idealis. Sive enim unica substantia sit τὸ ἐγώ (Fichte), sive ens absolutum (Schelling), sive idea logica (Hegel), sive voluntas una et cæca (Schopenhauer), sive tandem ens inconscium (Hartmann), idem remanet error pantheisticus, quo contradictoria, bonum sc. et malum, identificantur (n. 105).

2° Innititur etiam in falsa *theoria* gaudii et doloris. Juxta Pessimistas, enim, esse est velle, velle est conari, conari autem est pati ; ergo, ut aiunt, esse est pati. « La vie ne vaut donc pas la peine d'être vécue. » — Sed e contra, ut jam probavimus (Psych., n. 119), delectatio est « epiphenomenon » cujuslibet activitatis, quoties exercetur secundum leges naturæ, fitque incitamentum ad novam actionem. Ergo activitas naturalis per se non est mala, sed bona.

B. — **Contradicit** *sensui communi et naturæ*. Nam — *a*) omnes vivere appetunt, mori timent, et communiter, saltem ab hominibus sanis, vita etiam misera, ut nihilo pejor non habetur [4] ; — *b*) adversatur pessimismus innato desiderio quo homines, dolore oppressi, beatitudinem futuram appetunt.

C. — **Inducit ad consequentias** *absurdas et perniciosas* sc. ad negationem virtutis, officii et totius moralitatis. Dum enim pœnæ et dolores hujus vitæ, viros justos erga divinam Providentiam devotos, disponunt ad meritum et ad beatitudinem æternam, nedum eorum felicitati noceant, e contra pessimistas ad universalem desperationem et ad suicidii ignaviam impellere debent. Nihil enim melius esset ad hanc vitam intolerabilem fugiendam, quam procurare generis humani, sublato

1. **S. Jo. Damascenus**, *De fide orthod.*, L. II, c. 29. — 2. *De natura deor.*, I, 31. — 3. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 513-516. — 4. **La Fontaine**, *La mort et le bûcheron.*

matrimonio, extinctionem ; nihil sanctius quam nihilum, seu famosum Nirwana, appetere. Nec ab his consectariis abhorrent Pessimistæ, cum ea palam profiteantur [1].

Confirmatur inconcussum dogma Providentiæ variis modis, nam consensus generis humani, historia populorum, scientiarum naturalium cultores, consensio philosophorum, ac S. Scripturæ testimonia, existentiam providentiæ comprobant [2].

Sunt in mundo mala, sed pessimismus, sicut optimismus, falsus est.

§ III. — *De Œconomia Providentiæ.*

131. Quænam sit mirabilis ŒCONOMIA Providentiæ ?

Per œconomiam Providentiæ intelligimus **leges** quibus innituntur sapientissima ordinatio et gubernatio Dei. Hac in re, mysteriis plena, quædam statuere licet, ex dictis in decursu tractatus, quæ totidem erunt principia ad solutionem difficultatum.

PRINCIPIUM I

Deus in ordinatione rerum est summe independens.

Revera Providentia est ratio ordinis a summo omnium Principe et Domino constituta ; unde ejus gubernatio a nonnullis merito dicitur « **monarchia absoluta** [3] ». Deus igitur summa libertate gaudet in *distributione bonorum* ; ea quæ vult, bona sua et materialia et spiritualia largitur creaturis ; de amicis quos eligit, specialissimo modo curam habet, et illos ad æternam beatitudinem prædestinat [4] (n. 89, 93). Nunquam tamen nec erga neminem *justitiæ* regulas offendit.

PRINCIPIUM II

132. *Nec absolute optimum, nec pessimum Deus creavit mundum, sed per se bonum in quo malum non est nisi per accidens* [5].

Ium constat ex Cosmologia (n. 109-111) adversus Leibniz ; — IIum ex dictis supra (n. 130) adversus Schopenhauer et

1. **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 437-461 ; — cf. **Schopenhauer**, *Pensées et fragments*, trad. **Bourdeau**, 1897. — 2. Cf. **Sum. theol.**, I, q. 103, a. 1 ; — **Tullius**, *De natur. deor.*, I, 2 ; — **S. Gregorius Magnus**, *Moral.*, c. XI ; — **Boetius**, *De consolatione*, L. III ; — **Bossuet**, *Sermon pour le 4e dim. de Car.* ; — **Monsabré**, 17e *Conf. de N.-D.*, 1876. — 3. **Boetius**, *De consolatione*, L. IV, pros. 6 ; — cf. **P. Monsabré**, *Ibid.*, — **S. Thomas**, *Opusc. De rege et regno*, lib. III, c. 1. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 23, a. 1-7. — 5. **Farges**, *L'idée de Dieu*, 512-516.

Hartmann. — Unde Deo crimini vertendum non est quod sint **defectus in mundo,** nam sine defectibus ens finitum creari non potuisset. Aliunde Deum non velle directe malum physicum sed tantum indirecte, propter bonum cui **per accidens** conjungitur, malum autem morale nullo modo velle, jam probatum est (n. 90).

PRINCIPIUM III

133. *Leges Providentiæ sunt simplicissimæ et altissimæ.*

Deus, cum sit simplex, **secundum leges simplices** in sua altissima synthesi, omnes creaturas disponit et ordinat : at pro nobis intricatissimam habent complexionem. « Quis enim cognovit sensum Domini [1] » nempe universalitatem legum et unitatem ad quam tendunt ? Quapropter nobis scire non licet utrum, *in hoc aut altero casu*, unus aut alter eventus, felix aut lugendus, fuerit a Deo directe vel indirecte volitus. A fortiori, cavendum est ne in singulis temerarium feratur judicium de divinis consiliis : « *Il n'y a que le tout qui soit intelligible ; et le tout est trop vaste pour être vu de si près* [2]. »

PRINCIPIUM IV

134. *Deus in exsecutione ordinis utitur causis secundis.*

Inferiora sc. **gubernat per superiora,** et hoc « non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet [3] ».

Dixi : in *exsecutione* ordinis, nam *ratio* ordinis extenditur immediate ad omnia etiam vilissima, ita ut nihil absolute conceptum divinum præterfugiat. — In exsecutione vero Deus adhuc immediate agit (n. 120), ordinarie secundum leges naturæ, extraordinarie etiam miraculose, sed, si excipias casum miraculi, semper per causas secundas quæ libere deficere possunt ; et hoc est maximi momenti adversus recentes, qui Providentiam arguunt, cum potius ejus exsecutores arguere deberent [4].

Cæterum *in particulari* tantum deficit causa exsecutiva ordinis, quin cassa sit in aliquo gubernatio divina generalis aut ei aliquid contrariari possit ; est enim efficax omnino et infallibiliter, i. e., fortiter et suaviter attingit finem suum [5].

1. **I Cor.**, II, 16. — 2. **Fénelon**, *Exposition des princip. vérités de la foi.* — 3. **Sum. theol.**, I, q. 22, a. 3. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 103, a. 6. — 5. *Ibid.*, a. 7 et 8.

PRINCIPIUM V

135. *Providentia nec curam vitæ tollit, nec deprecationem.*

Nam 1 — Deus sane, solus et sine nobis, nostras non facit actiones, sed præmovet ad actum, et facientem quod in se est adjuvat et petentibus erogat auxilia quibus indigent ad *finem* exsequendum. Non ergo probandum **sophisma pigri,** qui Providentiæ se committit, ut pigritiæ suæ facilius indulgeat.

Ex quo infertur 2 — deprecationem esse necessariam (Eth., n. 70) : nam « sicut Providentiæ immobilitas necessitatem rebus prævisis non imponit, ita etiam nec *orationis* utilitatem excludit. Non enim ad hoc oratio ad Deum funditur, ut æterna Providentiæ dispositio immutetur : hoc enim impossibile est ; sed ut aliquis illud quod desiderat, assequatur a Deo [1] » (Eth., n. 70).

PRINCIPIUM VI

136. *Nec paradisum in initio et fine mundi oblivisci licet.*

Licet enim homo in statu naturæ puræ et cum hujus vitæ miseriis creari potuisset, de facto tamen in peroptimo statu seu **Paradiso voluptatis** positus est ; quare peccato originali imprimis tribuenda sunt mala quæ *de facto* sunt in mundo.

Aliunde e summa Dei potestate et ex immutabilitate legum Providentiæ, necessario sequitur Deum esse infallibilem in exsecutione finis, quem sibi proposuit in gubernatione rerum. Eapropter, si Deus in vita præsenti munia Remuneratoris et Ultoris non obeat, concludendum est vitium **in altera vita** pœnis debitis esse luendum, et virtutem mercede remunerandam, ut alibi dictum est (Psych., n. 251).

His omnibus pensatis, immutabilitas, justitia, libertas, misericordia, sanctitas et alia Dei attributa cum Illius Providentia sapientissime et perfectissime conciliantur.

§ IV. — *De Objectionibus Deistarum.*

Omnia sophismatum genera, quibus impugnantur Providentia Dei et rerum gubernatio, ad tria puncta, fere classica, quorum 1um justitiam, 2um bonitatem, 3um sanctitatem Dei impugnant, revocari possunt [2].

137. Obj. 1a. — Inæqualis est bonorum distributio ; sed Deus tenetur ad æqualem bonorum distributionem etiam in vita præsenti ; ergo, vel Deus non providet omnibus, vel non est *justus* [3].

1. **Contra gent.**, L. III, c. 95. — 2. Cf. **P. Monsabré**, *Conf. de N.-D.*, 1876 ; — **J. de Maistre**, *Soirées de St-Pétersbourg*. — 3. Ita **Bayle** et alii.

Resp. *Conc. maj.* ; *nego min.* ; unde *nego consequens*. « Mirum est, ut ait Liberatore, in quantis difficultas hæc deficiat » ; nam

1° Deus bonitatem quamdam in omnes creaturas etiam infimas et vilissimas infundit ; quum autem summa libertate et independentia gaudeat, cui vult, quomodo vult, quando vult et quantum vult, bona sua largitur (n. 131) : ergo omnibus bonum, quantumvis inæquale, sed nemini facit injuriam.

2. Concedimus nonnullos impios conscientiæ stimulis non torqueri, nec angi cupiditatibus, et prosperam ducere vitam ; concedimus justos quandoque multis calamitatibus affici et cum adversa sorte colluctari ; ea vero inæqualitas, ut fatetur ipse Kant, Providentiæ necessitatem demonstrat, quæ mercedem copiosissimam justis persolvat in vita futura [1] (n. 136), sicque restituat æqualitatem.

138. Obj. 2a. — Est boni provisoris avertere MALA PHYSICA : « La souveraine bonté ne peut pas produire une créature malheureuse [2] » ; ergo, vel Deus non est providus, vel non est *bonus*.

Resp. *Dist. ant.* : est boni provisoris avertere mala physica, quando nullam habet *rationem* sufficientem ea permittendi, *conc.* secus, *nego* ; sed Deus multas habet rationes, easque sufficientes, imo superiores, mala physica permittendi : unde *nego cons.* Nempe hæ sunt Dei quædam rationes :

1. Mala physica, ut alibi dictum est (n. 90), non per se intenduntur a Deo, sed resultant e natura et dispositione legum physicarum. « Non enim agens naturale intendit privationem vel corruptionem, sed formam cui conjungitur privatio alterius formæ... Leo enim occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis [3]. »

2. Deus nihil agit nisi optimum et sapientissimum statuendo leges illas in natura : quibus etiam, juxta adversarios, miraculorum ope, derogare non oporteret.

3. Deus permittit malum physicum particulare, ut bonum generale, inde exsurgat ; sic individua pereunt, sed servantur et species [4].

4. Tandem, malum physicum in homine conjungitur bono altioris ordinis ; ex. g., dolor virtutem animæ roborat, purgat peccata, et fit in justis occasio meritorum [5].

139. Obj. 3a. — Deus saltem tenetur impedire MALUM MORALE. « Il est évident qu'on doit empêcher le mal si on le peut, et qu'on pèche, si on le permet, lorsqu'on peut l'empêcher [6] » ; ergo, vel Deus creaturis *non providet*, vel non est *sanctus*.

Resp. *Nego ant.* Deus non tenetur impedire malum morale, ut patet ex dictis de malo physico ; malum enim morale provenit ex *abusu* libertatis humanæ ; sed, propter abusum hujusmodi, nullo modo Deus ordinem a se constitutum mutare vel evertere tenetur : libertas autem creata nequit esse indefectibilis sine miraculo.

1. **Lacordaire**, *Conf.* 68e et 72e. — 2. Ita **Bayle** ; — cf. **X. Moissant**, in *Revue de philos.*, an. 1914. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 19, a. 9. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 22, a. 2 ; — **Leibniz**, *Essais de théodicée.* — 5. Cf. **Gay**, *De la vie et des vertus chrétiennes* : **XIII,** de la douleur chrétienne ; et **A. de Margerie**, *Théod.*, c. xi. — 6. Ita **Bayle**, *Diction.*, art. *Pyrrhon*, n. B. ; — **Viardot**, *Libre examen*, p. 48.

Nego 1um cons., nam *bonitas* Dei non est deficiens. Libertas hominis, licet imperfecta, est magnum donum munificentiæ divinæ : « Quoi ! pour empêcher l'homme d'être méchant, fallait-il donc le borner à l'instinct et le faire brute ? Non, Dieu de mon âme, je ne te reprocherai jamais de m'avoir fait à ton image [1]. » — Ope libertatis, merita in vita præsenti, et mercedem in vita futura comparare possumus, secundum ea Scripturæ : « Erit illi gloria æterna qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit [2]. »

Nego 2um cons., nec enim *sanctitas* Dei in culpa est. Deus, nedum velit malum morale, illud prohibet sub pœnis gravissimis, exigit reparationem adæquatam peccati sive in hoc tempore sive in æternitate, interim tolerat peccatum ad tempus, propter *misericordiam* ut peccator pœnitere possit, propter *sapientiam* ne sanctio immediata tollat libertatem, propter *justitiam* ut peccator recipiat in tempore mercedem boni quod fecerit. — Ergo tandem permittendo, prohibendo, tolerando malum morale, Deus sapientissimi gubernatoris munere fungitur.

Corruit igitur ea congeries objectionum quibus impii seipsos gubernationi divinæ subtrahere volunt.

Corollarium totius theodiceæ.

140. Quid ex dictis de DEFINITIONE et de NOMINE DEI ?

Quomodo Dei notionem adipisci valeamus, methodo sc. circulari et triplici itinerario (n. 3), jam ex omnibus dictis patet [3].

A. — *An autem Deus* **definiri possit** ? Deus est incomprehensibilis, nempe contineri nequit sub definitione logica quæ constet genere et differentia [4]. Verumtamen quærenti quid sit Deus respondent Aristoteles et S. Thomas :

Deus est actus purus. — Revera voces illæ designant quidquid de Deo cognoscimus per viam *causalitatis, remotionis* et excellentiæ. — 1° Per viam causalitatis scimus de Deo quod est a seipso, non autem ab alio : sed, quum dicimus, Deus est *actus purus*, asserimus Eum esse essentialiter et a seipso. — 2° Per viam *remotionis*, cognoscimus Deum esse simplicem, infinitum, immensum, immutabilem, æternum et unum ; sed ille qui dicitur *actus purus*, est immunis ab omni limite penitusque excludit mutationem quamlibet, compositionem, divisionem et alia similia. — 3° Per viam *excellentiæ*, comperimus Deum vivere vita intellectuali eaque perfectissima ; voces autem *actus purus* maxime designant Ens summe perfectum, quod proinde vita rationali excellentissime fruitur.

1. **Rousseau**, *Emile*, L. IV, ch. 61. — 2. **Eccl.**, XXXI, 10. — 3. **Sum. theol.**, I, q. 79, a. 2 ; — Cf. **S. Bonaventura**, *Itinerarium ad Deum*. — 4. **Sum. theol.**, I, q. 3, a. 5.

B. — *Quomodo tandem Deus* **vocari possit** ? Ens infinitum est ineffabile ; nihil enim nomen exprimit, nisi solum id quod de re concipimus : Deus autem a nobis inadæquate cognoscitur.

Nomina vero quæ adhiberi solent ad designandum ea quæ de Deo concipimus, vel referuntur ad *essentiam* divinam, ut *Qui est* [1], *Actus Purus* [2] ; — vel ad *attributa*, ut Immensus, Æternus, et alia similia. — Communius vero nomen *Deus*, Θεός, usurpatur, quia designat provisorem omnium [3].

Quidquid autem his vocabulis designatur, mirum in modum exprimit Conc. Vatic. : « *Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum* [4]. »

1. **Exod.**, III, 14. — 2. **Aristoteles**, *Metaph.*, L. XI, c. 6 et 7 ; — **Cf. Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 569. — 3. **Sum. theol.**, p. I, q. 43, a. 8. — 4. **Cf. Denz.-Banw.**, n. 1804.

Explicit theodicea.

III

ETHICA

SEU

PHILOSOPHIA MORALIS

PRÆNOTIONES

Jam dictum est de philosophia *rationali* et *reali* ; nunc et ultimo de philosophia *morali* seu de Ethica disserendum [1].

1. Quid sit Ethica quoad nomen et quoad rem ?

A. — **Nomen** Ethica eruitur e vocabulo ἦθος quod latine *mos* dicitur : de moribus enim qui « proprie dicuntur humani [2] » tractat.

B. — **Quoad rem** igitur, Ethica definiri potest : *Scientia practica morum seu actuum humanorum ad honestatem naturalem directiva, per supremas regulas moralitatis.*

1. Est proprie *scientia* : unde distinguitur tum ab arte morali, quippe non est mera præceptorum collectio, tum ab historia naturali, quæ simpliciter describit mores hominum.

2. Est scientia maxime *practica* ; non enim, sicut Metaphysica, sistit in contemplatione sui objecti, sed insuper regulas tradit ad operandum ; nec quidem regulas ad verum cognoscendum, sicut Logica, sed ad bonum agendum.

3. Est scientia *morum* seu *actuum humanorum*, sc. qui a voluntate libera procedunt. Unde, ratione *materiæ,* a pluribus scientiis psychologicis differt, etiam a sociologia recentiorum, quæ omnes actus humanos determinismo regulari supponit [3].

4. Quatenus ad *honestatem naturalem* directiva. Objectum enim *formale quod* Ethicæ est « operatio humana ordinata » ad finem [4], quo differt ab Œconomia politica, necnon a Theologia morali : quarum prior maxime tendit ad bonum utile, non ad bonum honestum, posterior ad finem supernaturalem.

1. Cf. **Sum theol.**, I-II ; *In X Ethic.* ; — **Farges**, *La liberté et le devoir* ; — **Gilson**, *S. Thomas* (moralistes chrétiens) ; — **Sertillanges**, *La philos. morale de S. Thomas d'Aq.* — 2. **Sum theol.**, I-II, q. 1, a. 3 ; q. 58, a. 1. — 3. **Mgr Deploige**, *Le conflit de la morale et de la sociologie*, 1912. — 4. **S. Thomas**, *In II Eth.*

5. Dirigit per *supremas regulas* : unde objecto *formali quo* differt a scientiis moralibus subalternis, quales sunt Œconomia socialis, Jurisprudentia, Pædagogia, etc. [1] ; sed ipsa subordinatur Psychologiæ et Theodiceæ, quarum supponit principia et ex quibus regulas *methodice* deducit.

Hinc Ethicæ **methodus** non est mere *experimentalis* (empiristæ), nec analysis a priori naturæ humanæ (rationalistæ), nec mere *normativa* seu præceptorum summa, sed vere *scientifica.*

2. Quodnam sit Ethicæ momentum [2] ?

Ex fine ad quem ex sese ducere nata est, præcipue elucescit momentum scientiæ practicæ, qualis est Ethica. Porro Ethica :

A. — **Finis est** omnium scientiarum, quæcumque sint.

Si enim *speculativæ* habentur, tanquam coronidem et complementum Ethicam, saltem remote, desiderant, nam verum ad bonum ordinatur. — Hinc vana proxime philosophia est, quæ media suppeditat ad verum consequendum, præcepta autem non tradit quibus voluntas dirigatur in appetitione boni.

Si vero sint *practicæ*, qualis Jurisprudentia, Politica, Œconomia politica, principiis generalibus Ethicæ regi debent. Necesse est enim ut secundum supremas Ethicæ regulas Jurisprudentia leges positivas interpretetur et applicet, Politica cives gubernet et dirigat, Œconomia divitias producat et distribuat, et ita de aliis scientiis et artibus. Unde non mirandum si, non solum apud christianos, sed etiam apud gentiles, hæc excellens scientia quasi culmen philosophiæ habita fuerit [3].

B. — Hominem **ducit ad finem** suum ultimum, hypothetice naturalem. Revera obtentio finis ultimi maxime pendet a rectitudine conscientiæ et voluntatis. Sed Ethica 1. — *conscientiam* illuminat circa multa quæ sine studio non cognoscuntur ; — 2. *voluntatem* dirigit et roborat : dirigit, suppeditando regulas quibus multo magis quam intellectus eget, quia libertate gaudet et ad malum per se proclivis est ; roborat autem, motiva declarando quæ officii adimpletionem requirunt.

3. Quænam fuerit et erit Ethicæ partitio [4] ?

A. — Non consentiunt et abeunt **in triplicem divisionem** :

Prima est *veterum* qui, post Aristotelem et S. Thomam, philosophiam moralem dividunt in tres partes. « Quarum prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quæ vocatur *monastica.* Secunda autem considerat operationes multitudinis domesticæ, quæ vocatur *œconomica.* Tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quæ vocatur *politica* [5]. »

1. **Aug. Comte**, *Religion de l'humanité*, 1889 ; — **Paul Janet**, *Histoire de la phil. morale et politique*, 2 vol., 1858. — 2. **Castelein**, *Principes de philos, morale*, 1890, Avant-propos. — 3. Cf. **Roselli**, *Sum. Phil.*, 1777, *Ethica.* — 4. Cf. **Meyer**, *Inst. juris. natur.*, p. XIX-XXX ; — **Liberatore**, *Ethica*, p. 9. — 5. *In X Eth.*, lect. 1.

Secunda est *recentiorum*, qui, post Grotium, Thomasium et Kant, jus naturale ab Ethica secernunt : juxta quos *Ethica* solummodo tradit regulas, quibus mores individuorum reguntur : *Jus* vero officia quæ defluunt ex mutuis hominum relationibus.

Tertia denique est aliorum recentiorum, qui Ethicam dividunt in *generalem* et *specialem* : unam quæ universalia tum Ethicæ, tum Juris principia exponit ; alteram vero, quæ eadem applicat singulis activitatis humanæ materiis.

B. — **Hanc ultimam divisionem** mutuamur a Theologia morali. *Prima* enim divisio aliquid prius se supponit, nempe theoriam generalem actus humani, quæ lumine suo cæteras et particulares Ethicæ partes, sc. monasticam, œconomicam, et politicam illustret ; hæ igitur nonnisi in secunda parte convenienter tractantur. Similiter *secunda* divisio Jus ab Ethica, forum externum a foro interno, justum ab honesto immerito sejungit. Unde Ethica et Jus naturæ non sunt duæ scientiæ coordinatæ vel compartes ejusdem scientiæ moralis, et ideo Ethica est scientia generalis quæ suprema Juris principia complecti debet.

Restat ergo *tertia* divisio, quam etiam secutus est Angelicus in *Secunda Summæ Theologicæ*, et qua melius apparebit nostram Ethicam, jam a Psychologia et Theodicea in multis dependentem, a Theologia non separatam esse sed ipsi famulam et *late* subalternatam (Log., n. 220).

4. Ecce totius Ethicæ SYNOPSIS.

- ETHICA
  - I. GENERALIS
    - I De principiis *extrinsecis* actuum humanorum.
      - 1. De fine ultimo (causa finali remota).
        - De ejus existentia.
        - De » natura.
        - De » consecutione.
      - 2. De legibus (causa exemplari).
        - De lege in universum.
        - De lege æterna.
        - De lege naturali.
        - De lege positiva.
    - II De principiis *intrinsecis* actuum humanorum.
      - 1. De voluntario (causa efficiente).
      - 2. De moralitate materiali (causa materiali).
      - 3. De moralitate formali (causa formali).
      - 4. De consectariis (causa finali proxima).
      - } actuum humanorum
  - II. SPECIALIS
    - I De jure *individuali*.
      - 1. De jure et officio in genere.
      - 2. De officiis erga Deum.
      - 3. De officiis erga seipsum.
      - 4. De officiis erga alios.
    - II De jure *sociali*.
      - 1. De societate domestica.
      - 2. De societate civili.
      - 3. De societate internationali.
      - 4. De societate religiosa.

Nota. — Inter illas autem quæstiones, breviter agemus de his quas fusius Theologia moralis tractare solet, ne *bis in idem*.

ETHICÆ PARS PRIOR

SEU

ETHICA GENERALIS [1]

Tractat Ethica generalis de *actibus humanis* in universum. Porro Philosophiæ munus est in lucem edere principia, sive extrinseca, sive intrinseca objecti sui. Unde prima pars Ethicæ sponte dividitur in duos libros : I^us^ *de Principiis Extrinsecis*, II^us^ *de Principiis Intrinsecis* actuum humanorum.

LIBER PRIMUS ETHICÆ GENERALIS

DE

PRINCIPIIS EXTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM

Hæc principia **duo sunt** : nempe, utpote prior in ordine intentionis, *finis ultimus ad quem* et *lex* seu *causa exemplaris secundum quam* homo agere tenetur. Unde primus Ethicæ liber duo includit capita, quibus, cum celeberrimis auctoribus [2], inscribere licet : I — *de Fine ultimo*, II — *de Legibus*.

CAPUT PRIMUM

DE FINE ULTIMO

Dicemus 1° *de existentia*, 2° *de natura*, 3° *de consecutione* finis ultimi, quem homo ab Auctore suo præstitutum habet.

ARTICULUS I

De Existentia finis ultimi.

5. PROŒMIUM PSYCHOLOGICUM de activitate humana.

Hæc activitas humana, primo aspectu manifesta, apparet

1. maxime *complexa*, nam, præter functiones organismi physiologicas, in homine ut in animali necessarias, innumeræ sunt cognitiones et appetitiones in ordine sensibili et intellec-

1. **Sum. theol.**, I-II ; — **E. Janssens**, *Cours de morale générale*, Louvain, 1926. — 2. **Ita Tullius**, *De finibus* ; — **Suarez**, *De legibus*, etc... — 3. **Farges**, *Op. cit.*, p. 221-251 ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 1-5 ; — **Mgr d'Hulst**, *Confér. de N.-Dame*, 1891 ; — **Gilson**, *Le thomisme*, 1927, p. 290 seq ; — **Valensin**, *Traité de droit naturel*, 1921, I, p. 31-79 ; — **Thamiry**, *Les fondements de la morale*, 1927, p. 39-48.

tuali, ab invicem interdependentes, quarum concursus liber et harmonicus evolutionem totius hominis asseverat.

2. *conscia et libera*, nam solius hominis est judicare ante quid agere debeat et, post actum, utrum bene vel male egerit, sed etiam, sub inclinatione ad bonum eligere unum inter plura, deliberato consilio, contra aut secundum varia desideria quibus agitatur.

3. recte *ordinata*, si ad exemplar legis exacta et directa ad finem, quem homo, cum sit ens ab alio, a Deo accepit et qui, cum sit humanæ naturæ evolutio, est etiam ejus beatitudo.

Jamvero **finis iste**, non tantum activitatem excitat, sed

a) principium fit *distinctionis inter bonum et malum*, nam actio agentis non tantum a fine obtinendo determinatur, sed erit bona vel mala prout convenit annon naturæ hominis ejusque fini, sive sit honesta, sive utilis, sive delectabilis.

b) fundamentum est, proximum saltem, *obligationis* moralis et *officiorum* ; obligatoria enim est actio, si intrinsecus necessaria ad finem obtinendum, sicuti multiplex officium erga Deum, seipsum et proximum.

c) initium est *sanctionis*, quam enim importat eo ipso quod actio humana quæ ad finem, pariter ad beatitudinem ducit ; quæ a fine, pariter a beatitudine avertit : et hæc est primaria sanctio actus humani [1].

Hinc in Ethica **maximi momenti est finis,** unde

6. Quatenus semper aliquem finem ultimum INTENDAT homo[2]?

Naturam agere propter finem, vel simpliciter exsecutive, si est omnino cæca, vel apprehensive, si aliquatenus est cognoscitiva, jam in Ontologia (n. 168) et Cosmologia (n. 160) probatum est. Nunc autem **quæritur** an homo, non ex instinctu, sed libere agens, propter finem intentum et quidem ultimum agere possit et debeat. Ad rem sit

THESIS

Homo, in omnibus actionibus suis liberis, propter finem, et quidem ultimum, saltem virtualiter intentum, agit.

I. — **Propter finem.** — Nullus ab aliqua potentia elicitur actus, nisi circa proprium objectum, quod est terminus hujusce potentiæ. Atqui voluntatis liberæ proprium objectum

1. **Contra gent.**, III, c. 140, n. 2 ; — **Sertillanges**, *Op. cit.*, 555. — 2. Cf. **Castelein**, *Op. cit.*, th. III ; — **Ferretti**, *Inst. phil. mor.*, Romæ, 1880, n. 4-5.

est bonum. Ergo et ipsa ad bonum, sicut ad finem suum, semper agit.

II. — Propter **finem ultimum.** — Id nomine finis ultimi venit, quod propter se appetitur, cætera propter ipsum. Sed voluntas cætera velle nequit, nisi prius aliquid propter se appetat. Ergo, saltem in intentione agentis, semper aliquid ut finis ultimus appetitur. — Stat *minor* : secus enim A appeteretur propter B ; B propter C ; C propter D... et sic in infinitum. Hoc autem posito, nihil omnino appeteretur, nam in moralibus, quod propter se intenditur, est causa volendi ea quæ propter aliud appetuntur [1].

Hinc apparet quomodo fautores progressus infiniti, juxta quos « l'évolution est le but suprême [2] » e medio tollant omne bonum ; nam nihil est bonum, nisi relative ad finem absolutum : « s'il n'y a que des fins provisoires, il ne peut y avoir de bien absolu. »

III. — Propter finem **virtualiter intentum** [3]. — Est intentio finis *modus volendi finem.* Triplex præsertim esse potest : *actualis* est, si hic et nunc, expresso actu voluntatis, finis intenditur ; — *virtualis* est, si prius habita nec revocata adhuc influit in præsentem volitionem ; — *interpretativa*, si non fuit habita, nec ullo modo influit, sed haberetur, si de ea nunc cogitaret agens.

Jamvero, juxta Thomistas : *homo, in singulis actibus liberis, finem simpliciter ultimum, non tantum interpretative, sed saltem virtualiter intendit. Probatur* exemplo hominis qui bonum agit ex honesto fine : hic enim eo ipso agit conformiter ad rectam rationem — consequenter juxta ipsam rationem divinam, — ulterius, licet implicite, propter Deum.

ARTICULUS II

De Natura finis ultimi [4].

7. QUOMODO finis ultimus hominis sit sua beatitudo ?

Notiones. — Est *beatitudo*, juxta Boetium : « *Status omnium bonorum aggregatione perfectus* » ; id est bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum. — Duplex est beatitudo, *objectiva* vel *subjectiva* (formalis), prout agitur de ipso objecto seu re cujus possessio beatum reddit vel de actu quo objectum beatitudinis apprehenditur. — Hoc autem verum est in ordine, tum naturali, tum supernaturali : unde beatitudo est etiam *naturalis* et *supernaturalis.* — His dictis, sit

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 1, a. 4 ; — **Castelein**, *Ibid.*, p. 57. — 2. **Bergson**, *L'évolution créatrice*, 1907. — 3. **Van der Aa**, *Eth.*, prop. 2, 3, 4 ; — **Castelein**, *Ibid.*, th. IV. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 5, a. 1, a. 3 ; — **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 225-240.

THESIS

Finis hominis ultimus in naturali ejus beatitudine consistit.

Prob. — Illud est finis hominis ultimus ad quod invincibiliter trahitur : talis enim attractio ab Auctore mundi oritur, et signum est finis ab Eo intenti. Porro ad beatitudinem sive subjectivam, sive objectivam, homo invincibiliter trahitur :

Ad Iam quidem : etenim, ut patet *sensu communi*, felicitatem perfectam homo naturaliter concipit ; conceptam invincibiliter appetit ; etiamsi vellet, respuere non posset. — Nec dissentiunt homines nisi circa objectum in specie beatitudinis, non autem circa beatitudinem in suo genere perfectam : sic et circa formam linguarum et vestium dissentiunt, omnes tamen et lingua et vestibus utuntur.

Ad IIam etiam, nam de facto, bonum quoddam summum, saltem unum [1], cujus possessio insatiatum non relinquat appetitum naturalem, homo necessario desiderat.

Ergo tandem finis hominis ultimus a beatitudine sua, sive subjectiva, sive objectiva, minime distinguitur.

In quonam vero utraque pro omnibus consistat, nunc inquirendum est.

§ I. — *De Beatitudine Objectiva.*

8. Utrum bona FINITA sint hominis beatitudo sufficiens [2] ?

Philosophi veteres, teste S. Augustino [3], et moderni non pauci **falsa docuerunt** de objecto summæ felicitatis. *Alii* enim, post Epicuri discipulos, in bonis ipsius corporis, i. e., in divitiis, voluptatibus ; — *alii* vero, cum Zenone, in bonis animæ, vel intrinsecis, ut in scientia, vel extrinsecis, ut in fama et gloria ; — *alii* tandem, in bonis utriusque simul beatitudinem reposuerunt.

Hinc, tria systemata : *Ium seu hedonismum* (ἡδονή, voluptas) aut utilitarismum sequuntur materialistæ, utilitaristæ et sensualistæ ævi recentis ut sunt Bentham et Stendhal, Taine et Littré, socialistæ generatim [4] ; — *IIum seu stoïcismum* et eudemonismum profitentur rationalistæ hodierni Spinoza, Rousseau, Guyau post Kant ; — ad *IIIum seu evolutionismum* accedunt Krausistæ [5] et Pantheistæ, ipse Spencer, qui in completa hominis vel generis humani evolutione, beatitudinem reponunt.

Sit igitur

1. **Gredt**, *Op. cit.*, II, n. 745. — 2. **Gilson**, *Esprit de la philosophie médiévale*, 1932, p. 149. — 3. *De civit. Dei*, L. X ; *Tract. de epicureis et stoïcis.* — 4. *La vie intellectuelle*, Documents, 20 mars 1931, p. 437. — 5. **Ahrens**, *Cours de droit nat.*, 1838, c. I, § 17.

THESIS

Nec in bonis corporis, nec in bonis animæ,
nec in horum omnium complexu aut progressu evolutivo,
sed in solo Deo, beatitudo consistit.

Prob. — Beatitudo objectiva debet esse bonum non relativum, sed *absolutum* : secus non esset ultimus hominis finis ; — per se *sufficiens* : secus enim hominem beare non posset ; — cujuslibet *mali exclusivum* : malum enim cum beatitudine componi nequit ; — *firmum* et *stabile* : timor enim de futuro beatitudinem impedit ; — denique *obvium omnibus* : idem enim finis omnibus offerri debet. — Porro in nullis bonis allatis in thesi, reperiuntur hæ quinque conditiones [1] :

1° **Non in BONIS CORPORIS.** Revera, bona corporalia, sive naturalia, ut robur, valetudo, sive artificiata, ut pecunia, cibus, vestimenta, etsi bona sint, — *a*) non sunt finis ultimus hominis : nam facultates altioris ordinis, ratio scilicet et voluntas, ordinari non possunt ad bona inferioris ordinis ; — *b*) per se non sufficiunt ; sunt enim bona brutorum quibus ratio et voluntas perfici et impleri nequeunt ; — *c*) non excludunt omne malum, ut, v. g., ignorantiam mentis, vitia voluntatis, quibus e contra sæpissime favent ; — *d*) non sunt stabilia, sed variis ex causis amitti possunt ; — *e*) nec tandem æqualiter sunt omnibus obvia, cum e contra pluribus semper desint. Ergo in bonis corporis non consistit beatitudo.

Hinc hodie non audiendi *bolchevistæ* et *socialistæ*, qui in bonis corporis reponunt beatitudinem : hi omnes redolent hedonismum [2].

9. 2° Nec in BONIS ANIMÆ sive extrinsecis sive intrinsecis.

A. — Bona animæ **externa** sunt potestas, fama, honor et gloria. Hæc autem — *a*) non sunt finis ultimus hominis ; nam ad bona interna ordinari debent ; — *b*) per se sola non sufficiunt : cum eis enim potest quis, v. g., valetudine infirma laborare, aut in ignorantia versari ; — *c*) miseriis non sunt vacua, imo multis ærumnis multisque curis angi solet qui talia bona desiderat [3] ; — *d*) caduca sunt et fallacia : honor enim et gloria pendent ab hominibus, nec sunt in dominio honorati, sed honorantis ; — *e*) denique non sunt omnibus communia, ut evidens est, imo nec esse possunt.

Hinc Ethica « honoris », ut aiunt, prorsus est insufficiens (n. 41).

1. **Castelein**, *Ibid.*, p. 64-65 ; — **Ferretti**, *Ibid.*, n. 23. — 2. Cf. *La vie intellectuelle*, Documents, 20 mars 1931, p. 434. — 3. **Boetius**, *De consolatione phil.*, L. III.

B. — Bona animæ **interna** et *vera*, sunt scientia et virtus [1].
Jamvero *scientia* hujus mundi — *a*) per se non satiat animam, cum obscuritatibus plena sit et tædio fiat etiam sapientissimis, ut de Newton narratur; — *b*) non excludit malum morale, sed e contra vento vanitatis inflat, et tam in bonis quam in malis reperitur; — *c*) non est bonum stabile : quippe quotidiana amnesi laborat, et adventu alicujus infirmitatis omnino evanescit, ut de S. Alberto Magno refertur [2]; — *d*) denique defectu temporis aut ingenii paucissimis obvia est.

Similiter *virtus*, qualis in hoc mundo acquiritur, — perfecte non satiat, cum difficultatibus plena sit, et rebelliones concupiscentiæ non impediat; — non excludit omne malum : nam justi esse possunt rudes et ægri et pauperes; — non est omnino certa et stabilis, sed amissibilis : hæc porro sufficiunt, ut virtus, licet in cujusque potestate sit et beatitudinis temporalis melior causa, beatitudo objectiva hominis esse nequeat.

Hinc, etsi verior quam hedonismus, *eudemonismus* ipse seu prævalentia rationis et honesti, non est sufficiens ultimus finis.

10. 3° Nec est beatitudo in COMPLEXU BONORUM finitorum.
Revera, hujusmodi complexus, nec possibilis est, nec beare potest hominem, quocumque modo intelligatur.

A. — Juxta *veteres*, esset complexio *actualis* bonorum animæ, corporis et fortunæ. Porro moraliter impossibile est ut hæc collectio firma et stabilis in uno et eodem homine inveniatur, et sit illa perpetua felicitas quam homines desiderant. — Cæterum, collectio non mutat naturam partium : ergo pariter et ipsa sit relativa, insufficiens, non mali exclusiva, instabilis, etc.

B. — *Pantheistæ* in progressu *indefinito* finem ultimum hominis reponunt : quod est impossibile, quia finis ultimus est motus appetitivi ultimus terminus, qui profecto nunquam invenietur in progressu indefinito, etiam dato quod planeta nostra ad certum finitumque terminum non properaret (Theod., n. 19-B). — Præterea, hic progressus in singulis hominibus adhuc remaneret divisus ac finitus, sicque singuli suum ultimum finem non haberent [3].

C. — Similiter *evolutio* quæ, juxta Spencer [4], provehendo de egoïsmo ad altruismum, de statu minus perfecto ad magis perfectum, tandem aliquando prætendit constituere Humanitatem in statu industriali perfectissimo, hæc evolutio, inquam, est indefinita, ergo futura et problematica, non singulis propria et aliunde materialistica.

Ergo tandem objectum sufficiens beatitudinis humanæ nullum bonum creatum esse potest.

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 2, a. 7. — 2. *Dict. de théol.*, I, col. 668. — 3. **Ferretti**, *Op. cit.*, 19-20; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 473. — 4. *Ibid.*, n. 502.

11. 4° Sed objectum beatitudinis nostræ DEUS solus est.
Patet ex dictis : secus non existeret beatitudo objectiva.
Probatur directe ex parte tum *hominis*, tum *Dei*; nam

1° Objectum voluntatis humanæ est *universale bonum*, sicut objectum intellectus est universale verum, et ita nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi bonum universale. Atqui illud non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo. Ergo solus Deus voluntatem hominis beare potest, secundum illud : « Qui replet in bonis desiderium tuum [1]. »

2° Aliunde, ex dictis in Theodicea (n. 115), patet omnia creata fuisse ad gloriam Dei, tanquam ad finem ultimum. Sed *gloria Dei* in eo est ut a creaturis noscatur et celebretur. Ergo suum finem ultimum suamque beatitudinem inveniet homo in solius Dei notitia cum laude et amore, juxta illud S. Augustini : « Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te [2]. »

Quapropter gloria Dei et beatitudo hominis *mire sociantur* [3].

12. Corollarium de vero EUDEMONISMO. — **Juxta omnes**, vita hominis super terram, satis imperfecta, invicta prosecutio est objecti, quod ipsum beatificare valeat : quodque dicunt esse hedonistæ bonum delectabile, utilitaristæ bonum utile, eudemonistæ bonum honestum. Hinc eudemonista qui suum finem in Deo ponit et honeste prosequitur, æquiparari non debet mercenario, qui egoïsmum et privatum amorem omnibus anteponit.

Sed **duplex** est eudemonismus : alius qui cum bono honesto beatitudinem ponit finem hominis : alius qui « officium pro officio » præcipit, absolute prohibet inquisitionem propriæ beatitudinis, finemque hominis ponit in morte stoïca. At posterior non tantum est chimericus, sed ordinem essentialem rerum evertit, siquidem officium medium est et non finis (n. 57). Ergo vincit prior et iste rectus est, si homo se ordinat ad suam beatitudinem cum gloria Dei inquirendam : imo poterit amare bonum propter seipsum et vitam agere superiorem, quæ sit gloria Dei et hoc quidem perfectius est, modo non excludatur beatitudo hominis. Talis enim dilectio sui hominem non dedecet, cum sit nobilis ambitio nec minus nobilis amor [4] (n. 13) : et hic est **verus eudemonismus**.

§ II. — *De Beatitudine Formali.*

13. In quo consistat beatitudo SUBJECTIVA seu formalis ?
Beatitudo *objectiva* est aliquid infinitum : beatitudo autem

1. **Psalm.** CII, 5; — **Sum. theol.**, I-II, q. 2, a. 8. — 2. *Confess.*, L. I, c. 1; — **Boyer**, *L'idée de vérité dans la philosophie de S. Augustin*, 1921; — **Boetius**, *De consol. phil.*, L. III. — 3. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 536-548. — 4. **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 246 et seq.

subjectiva, cum sit actus hominis, est quid finitum ; unde sit

THESIS

Beatitudo hominis subjectiva in Dei contemplatione per intellectum, cum pari amore voluntatis, essentialiter consistit.

I. Est **contemplatio et amor.** Revera beatitudo hominis subjectiva est ultima perfectio hominis simul et possessio summi boni seu Dei. Porro — 1° ultima perfectio hominis non est nisi in operatione quæ perficiat nobilissimas ejus facultates, intellectum scilicet et voluntatem ; — 2° aliunde Deus ab homine possideri nequit materialiter, sed tantum per solas facultates spirituales. Ergo in contemplatione intellectus et amore voluntatis consistere debet beatitudo.

II. Est contemplatio **cum pari amore** : cognitioni enim proportionatur amor. — Jamvero Theologi, qui historice hominem considerant, qualem nunc esse certo constat in ordine supernaturali, visionem intuitivam essentiæ divinæ statuunt esse finem hominis. Philosophi vero, qui hypothetice hominem considerant, qualis esse potuisset in ordine naturali, cognitionem abstractivam et relative perfectissimam, etsi ab intuitiva diversam, demonstrant esse finem ejusdem hominis [1]. « Si j'étais rossignol, aiebat Epictetes, je ferais le métier de rossignol ; si j'étais cygne, je ferais celui de cygne ; *je suis un être raisonnable, il me faut chanter Dieu* [2]. »

III. **Essentialiter est in contemplatione.** Utrum enim essentia beatitudinis in actu intellectus vel voluntatis sita sit, controvertitur inter auctores [3]. Juxta *Thomistas*, habetur per actum intellectus ; juxta *Scotistas*, per actum voluntatis ; juxta *alios*, v. g., S. Bonaventuram, S. Albertum Magnum, Suarezium, per utrumque simul. — Porro, *juxta nos*, si nomine beatitudinis intelligitur quidquid plene et complete lætificat, indubium est ad beatitudinem utrumque actum requiri. Sed, si radix consideratur et ratio formalis hujusce status, solus actus intellectionis est [4].

ARTICULUS III

De Consecutione finis ultimi.

Quæritur imprimis utrum sit *obligatoria*, et ideo *an*, *quandonam* et *quomodo* obtineri possit.

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 5, a. 4 ; — **Contra gent.**, III, c. 22 ; — **Ferretti**, *Op. cit.*, th. I-XX. — 2. Cit. a **J. Chevalier**, in *Le Van*, mars 1932, p. 33. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 2 et 3, a. 4 ; — **Scotus**, *IV Dist.*, dist. XLIX, q. 5 ; — **Suarezius**, *De ultimo fine hom.*, disp. IX. — 4. Cf. **Castelein**, *Phil. mor.*, n. 20-24.

14. Utrum consecutio beatitudinis sit homini OBLIGATORIA ? Gratia non destruit, sed perficit naturam. Unde homo, licet ad finem supernaturalem vocatus, non potest esse exlex et incapax beatitudinis quam haberet in statu naturæ puræ [1]. Unde sit

THESIS

Consecutio beatitudinis omnibus est obligatoria ; ideo possibilis, conditionate etiam pro omnibus omnino certa, imo, in aliquibus saltem, effectiva.

I. **Obligatoria est.** — Patet ex *inclinationibus, ex officiis, ex lege et ex fine* hominis [2].

Ex *inclinationibus* quidem ; homo enim invincibiliter trahitur ad beatitudinem, quæ solus Deus est (n. 11) : ergo sequatur oportet hanc inclinationem naturæ, cujus Deus est auctor. — Ex *officiis* etiam : multa sunt quæ sua unicuique conscientia proxime imponit categorice, v. g., erga Deum, seipsum et proximum : hæc autem categorica non apparent rationi, nisi quia media sunt necessaria ad finem attingendum ; ergo et ipse finis, qui eorumdem officiorum causa est, primordiale est officium.

Ex *lege imposita.* Etenim homo *ab aliquo* et *ad aliquid* obligari dici debet. Sed obligari nequit a seipso nec ab ente inferiori, sed ab ente superiori, sc. ab ipso auctore naturæ humanæ, quia (n. 22) ipse solus ipsi naturæ leges imponere potest. Ad nihilum autem Deus obligare valet nisi ad propriam gloriam : secus deficeret in illo sapientia et amor propriæ bonitatis. — Rursus ex hoc *fine extrinseco* : homo enim ad gloriam Dei extrinsecam creatus est, eamque procurare tenetur ; sed hæc gloria, quæ est celebratio divinorum attributorum per cognitionem et amorem, cum fine hominis intrinseco mire concordat (Cosmol., n. 161). Ergo intrinseci finis sui prosecutio pariter homini obligatoria est.

II. Ideo, quia natura ad impossibile non ordinatur,

a) **Possibilis est** [3]. — Inest omnibus naturalis appetitus beatitudinis (n. 7), revera « beati certo omnes esse volumus [4] ». Porro repugnat appetitum naturalem suum finem assequi non posse. Ergo beatitudinem consequi possibile est.

1. **Suarezius**, *De ultimo fine*, disp. IV, sect. 3, n. 4. — 2. **Gillet**, O. P. (Comment. de la Somme) : *Les actes humains*, 1926, p. 448-449 ; — cf. **Valensin**, *Traité de droit naturel*, t. I : Les principes. — 3. Cf. **Ferretti**, *Op. cit.*, n. 17. — 4. **S. Augustinus**, *De Trinit.*, L. XIII, n. 4.

Prob. minor. Appetitus ille naturalis est ; nempe non est actus liber, sed ipsius naturæ pondus ; — necessarius est, non enim libere, sed invicte erumpit in actum ; — denique primordialis est ; est enim ultima ratio omnium motuum voluntatis (n. 6). Porro repugnat talem appetitum suum non assequi finem : secus — natura humana tenderet ad aliquid impossibile et esset frustra ; — Deus etiam impelleret inaniter suam creaturam ad finem impossibilem ; — sicque hominem, absque ejus culpa, crudeliter illuderet.

b) **Conditionate certa.** — Requidemvera, talis inclinatio æquivalet locutioni per quam Deus beatitudinem promisisset : ergo certa est, ex parte Dei, consecutio beatitudinis. — Non autem ex parte nostra, nam Deus potest promittere aliquid absolute, vel conditionate : porro homini, utpote libero, Deus non potuit absolute et necessario conferre beatitudinem, sed conditionate et mediante recto usu libertatis (Theod., n. 139).

c) Saltem **in aliquibus effectiva**, juxta illud Suarezii : « Id quod nunquam accidit in omnibus individuis alicujus speciei, etiamsi quamplurima multiplicentur, merito dici potest impossibile, si non omnino physice seu metaphysice, saltem moraliter et humano modo loquendi [1]. » Ergo, etiam in ordine naturali, debuisset humana species, saltem in aliquibus beatificari.

15. Quandonam beatitudo perfecta obtineri poterit ?

THESIS

Beatitudo inchoatur in vita præsenti : — perfecta tamen in hac vita non est, — sed solum in vita futura.

I. **Inchoatur in hac vita** [2] : — contra *pessimismi* fautores. Nam — 1° beatitudo perfecta in possessione Dei per cognitionem et amorem consistit. Sed hanc Dei fruitionem, *quoad substantiam*, habere incipit his in terris homo, qui primario et principaliter, in quantum valet et debet, Deum cognoscit et amat. — 2° Vita præsens tendentia est hominis ad suum finem ultimum. Ergo vita præsens est quædam felicitas *in spe.* — Hinc est cur in terra nemo miserior illo qui, spreta Dei cognitione, non tendit ad suum finem.

II. **Perfecta non in hac vita.** In hac enim vita — 1. non potest omne *malum* excludi ; sunt ignorantiæ ex parte intellectus, et inordinatæ affectiones ex parte appetitus, et multiplices pœnalitates ex parte corporis ; — 2. Similiter etiam desiderium *boni* in hac vita satiari non potest. Naturaliter

1. **Suarezius,** *De ultimo fine,* disp. IV, sect. II, n. 6 et 7 ; — **Mazzella,** *De Deo creante,* disp. IV, a. 1. — 2. **Sum. theol.,** I-II, q. 3, a. 6 ; q. 4, a. 6, 7 ; q. 5, a. 8 ; — **Aristoteles,** L. X *Eth.,* c. VIII ; — **S. Thomas,** *In VIII Eth.,* lect. I.

enim homo desiderat permanentiam ejus boni quod habet : bona autem præsentis vitæ transitoria sunt, cum et ipsa vita transeat ; unde impossibile est quod in hac vita vera beatitudo habeatur [1].

III. **Sed in altera vita.** Patet consequentia, nam consecutio beatitudinis est possibilis et certa ; sed, ex una parte, non obtinetur in vita præsenti ; ex altera, datur alia vita immortalis tum animæ, tum etiam probabilius corporis (Psych., n. 248) ; ergo in vita futura obtinebitur perfecta beatitudo.

16. Quisnam ergo sit modus promerendæ beatitudinis [2] ?

THESIS

Vita præsens est status viæ et certaminis, cujus finis est per ordinis moralis observationem beatitudinem promereri.

I. **Est status viæ** ad *terminum et certaminis ad triumphum.* *Constat* 1um : secus enim esset status termini ultimi ; sed imperfecta beatitudo hujus vitæ satis demonstrat hominem his in terris non habere suum ultimum terminum. — *Constat* 2um : secus enim esset locus pœnalitatis, in quem, propter scelus in anteriori vita perpetratum, homo detrusus fuisset ; quod est falsum, ut in Psychologia probatur (n. 236).

II. **Finis vitæ præsentis** est promereri beatitudinem *per ordinis moralis observationem.* Hæc enim observatio requiritur et sufficit : — 1. *Requiritur,* sive ex eo quod homo per actus ordini contrarios finem hujus ordinis consequi non potest, sive ex eo quod Deus beatitudinem suam non potest concedere inimicis qui conditiones ab eo positas non observant.

2. *Sufficit,* tum quia homo per actus ordini conformes, quantum in sua potestate est, gradatim accedit ad finem hujus ordinis ; tum quia per actus Deo acceptabiles, dignus efficitur præmii futuri (n. 56). Ergo observetur ordo moralis.

Hinc apparet vitæ nostræ mortalis pretium et dignitas [3].

CAPUT SECUNDUM

DE LEGIBUS ACTUUM HUMANORUM [4]

De legibus, quatuor ex ordine dicemus : 1° De lege *in genere* ;

1. **Sum. theol.,** I-II, q. 5, a. 3. — 2. Cf. **Castelein,** *Ibid.,* p. 77-81. — 3. **Ollé-Laprune,** *Le prix de la vie,* 1894. — 4. Cf. **Plato, Tullius, Varro** ; — **Sum. theol.,** I-II, q. 90-97 ; — **Suarez,** *De legibus* ; — **Domat,** *Les lois civiles dans leur ordre naturel,* 1689-1694 ; — **Farges,** *La liberté et le devoir,* p. 252-283 ; — **Valensin,** *Op. cit.,* I, p. 175-211 ; — **Thamiry,** *Op. cit.,* ch. II ; — **Gilson,** *Op. cit.,* p. 84-90 ; — **Roland-Gosselin,** *La doctrine polit. de S. Thomas d'Aquin,* 1928, p. 3-91.

2º De lege *æterna* ; 3º De lege *naturali* ; 4º De lege *positiva*, quarum notiones aliæ ab aliis defluunt et explicari recte debent, nam in sensu veterum, leges sunt veri fontes et regulæ obligationis moralis modernorum.

ARTICULUS I

De Lege in universum.

Tria de lege in communi investigat S. Thomas : nempe *naturam* legis, *species* legum et *effectus* legum.

17. Quid sit lex in universum, et speciatim lex moralis ?

A. — « **Dicitur** lex a *ligando* (juxta grammaticos, a *legendo* [1]) quia obligat ad agendum [2]. » Est nempe norma seu causa exemplaris, cui res debent esse conformes, sive physicæ, sive artificiales, sive morales : ex quo, juxta Platonem [3], dantur leges physicæ, leges artium et leges morum.

B. — Lex *moralis*, duce S. Thoma, communiter **definitur** : « *Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata* [4]. » Hinc quatuor importat :

1º Est *ordinatio rationis* : en legis elementum *formale*. Lex enim designat regulam præceptivam, non arbitrariam, sed rationabilem, quæ actus humanos ad finem debitum ordinat.

2º Ordinat *ad bonum commune* : et est causa *finalis* legis. — Est ad bonum : lex enim dirigit ad finem ; porro ultimus finis humanæ vitæ est felicitas, vel beatitudo. — Est ad bonum commune : nam homo est tantum pars communitatis ; porro pars ordinatur ad totum sicut ad perfectum.

3º *Conditur ab eo qui curam* communitatis habet : ecce causa *efficiens* seu legislator. Nemo enim communitati præcipere potest, nisi sit illius præses et rector : « non est ergo cujuslibet facere legem ».

4º Tandem conditio legis est ut *sit promulgata* [5] ; secus non obligaret *subjectum* seu causam *materialem* legis. Requidem vera, subditi non tenentur actus suos secundum legem regulare, quamdiu eam cognoscere non possunt.

Hinc conscientia individua non potest facere legem, imo nec eam promulgare nisi in nomine superioris.

18. Quænam ex definitione defluant legis proprietates ?

Quatuor sunt : *possibilitas, justitia, utilitas* et *stabilitas*.

1. **Tullius**, *De legibus*, I, 6. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 90, a. 1 et 2. — 3. *Dialog. Minos.* — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 90, a. 1 et 2 ; — cf. **Lottin**, *La définition classique de la loi*, in *Revue néo-scol.*, an. 1925, p. 131, 242. — 5. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 4.

Sit lex *possibilis*, non enim ad impossibile ordinari vel teneri potest homo. — Sed etiam *justa*, quia est ordinatio rationis : secus non esset moralis, sed mera legalitas ; et ideo procedat ab habente auctoritatem : secus violaretur justitia *legalis* ; necnon subditis imponat onera secundum æqualitatem : secus violaretur justitia *distributiva*. Hoc in sensu tantum verum est : « Quidquid placuit Cæsari, legis habet vigorem », sed falsum omnino illud poetæ :

« Hoc volo, sic jubeo ; sit pro ratione voluntas [1]. »

Insuper *utilis* : patet ex fine legum, quæ ad bonum communitatis tendere debent. — Denique per se *stabilis* ; pendet enim a legislatore et obligat, donec ab eo revocatur.

Hinc **differunt** *lex, edictum, præceptum* : nam præceptum uni, edictum etiam communitati, sed ad tempus ; lex vero toti communitati et in futuro stabilem imponit obligationem [2].

19. Quænam esse possint variæ species legum [3].

Ex dictis, leges sunt ordinationes rationis : sed non omnes feruntur eodem *tempore*, nec manifestantur eodem *medio*, nec immediate imponuntur eadem *auctoritate*, nec directe tendunt ad eumdem *finem*. Ecce ergo legum genesis :

Lex fertur	
vel ab æterno, et dicitur lex *æterna* ;	vel in tempore, et vocatur lex *temporalis*.
Lex temporalis manifestatur	
vel per evolutionem rationis, et tunc est lex *naturalis* ;	vel per signum sensibile, et tunc est lex *positiva*.
Lex positiva imponitur	
vel immediate a Deo, et appellatur *divina* ;	vel mediante auctoritate hominum, et nuncupatur *humana*.
Lex humana respicit finem	
vel societatis civilis, et nominatur lex *civilis* ;	vel societatis religiosæ, et ut talis dicitur lex *ecclesiastica*.

20. Quisnam sit finis remotus et proximus legis ?

A. — **Finis remotus** legis est *facere homines bonos*. Constat ex eo quod subditos dirigit : « cujuslibet autem subditi virtus — quæ facit bonum habentem (n. 58). — est ut bene subdatur gubernanti [4] ».

1. **Juvenalis**, *Sat.*, VI, 223. — 2. **Ferretti**, *Op. cit.*, tom. I, n. 90-92 ; — **Martyniak**, *Le fondement objectif du droit d'après S. Thomas d'Aquin*, 1931. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 91 ; — **Suarezius**, *De legibus*, L. II, q. 4, n. 6 et 8. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 92, a. 1.

B. — **Finis autem proximus** legis *est obligatio seu officium*. Est autem obligatio *necessitas non physica, sed moralis, ad aliquem actum seu omissionem a superiore in subdito causata*. — Est *necessitas* et quidem absoluta, communiter enim obligatio intelligitur id quod ligat voluntatem, etiamsi ligari nolit. — Non *physica* ; secus enim tolleret libertatem, sive a determinatione intrinseca naturæ, sive a violentia extrinseca procederet. — Sed *moralis*, ea sc. quæ ratione apprehenditur et voluntati libere proponitur.

Dixi : a superioris *auctoritate* causata : ecce *origo* obligationis, sc. auctoritas seu jus imperandi voluntati, in eaque causandi pro singulis officium obedientiæ [1]. Hinc jus latius patet quam auctoritas ; siquidem omnis auctoritas jus est, non vicissim. — Hinc **officium** nihil est aliud quam obligatio passive sumpta.

ARTICULUS II

De Lege Æterna [2].

21. Quid sit et utrum sit lex æterna in Deo vel non ?

A. — Ex dictis, lex æterna recte **definitur** ab Angelico « *Ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum* [3]. » Consonat S. Augustinus : « Ratio est vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans. » Ratio est *directiva*, nempe ratio quatenus habet voluntatem annexam : — directiva *omnium*, sc. irrationabilium modo necessario et rationabilium moraliter et libere.

Hinc lex æterna non est *necessaria absolute*, sed hypothetice ; nempe, statuta creatione, necesse est ut Deus aliquam ordinationem concipiat et velit in rebus (Theol., n. 128).

B. — Cujus ergo vis obligativa ab ordinatione Dei pendet.

THESIS

Existit lex Dei æterna [4].

Prob. — Ratio legis *quatuor* importat (n. 17). Porro hæc quatuor in Deo sunt : nempe *ordinatio* rationis omnium rerum, — in *bonum commune*, — a Deo tanquam a *principe* supremo, — denique *promulgata* ; hæc quatuor nunquam defecerunt in hypothesi creationis efficiendæ. Ergo tota communitas orbis universi ratione divina ab æterno gubernatur,

1. **Castelein**, *Ibid.*, p. 289. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 93 ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 262. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 93, a. 1. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 91, a. 1.

et hoc habet rationem legis. — Secus Deus non esset sapiens, si nesciret ordinem ; non esset sanctus, si nollet ordinem cognitum ; non esset providus gubernator, si hunc ordinem prosequendum non imponeret creaturis.

C. — **Objiciunt** plures : hæc rerum ordinatio nomen legis non meretur, nam ipsi deest triplex necessaria legis conditio :

1° *Subjectum* deest, nam ab æterno creaturæ non existunt. Ergo.

Resp. Ergo lex *passive* non est in subditis, *conc.* ; non est *active* a Deo, ut lex Dei, *nego*, nam creaturæ actu præexistunt in ratione divina, a qua ab æterno præcognosci et præordinari potuerunt.

2° *Finis* deest, nam ab æterno nullus est finis ad quem ordinem haberet hujusmodi lex. Ergo.

Resp. Nullus est finis Deo extrinsecus, *conc.* ; finis Deo intrinsecus, *nego* ; hinc enim omnia ad Seipsum ab æterno ordinat.

3° *Promulgatio* deest ; non enim erat ab æterno cui promulgaretur [1]. Ergo.

Resp. Ergo lex æterna non habet promulgationem ex parte audientis, *conc.* ; ex parte Dei imperantis, *nego*. Hoc autem sufficit ut jam non sit simplex propositum ferendi legem, sed, ex parte Dei, lex firma et completa, ita ut quælibet creatura, simul atque existit, ab ea ligetur.

ARTICULUS III

De Lege Naturali [2].

Quæritur *quid sit an sit*, et *qualis sit* lex naturalis.

22. Quid sit lex naturalis ?

A. — **Hoc nomine** venit lex quæ per lumen *naturale* rationis innotescit, quia ab essentiis seu *naturis* rerum deducitur, — quæ a *natura* seu a Deo, tanquam auctore naturæ, procedit, — necnon ducit hominem ad suum finem *naturalem*, et ideo dicitur etiam jus *naturæ*.

Unde, **quoad rem**, lex naturalis recte definitur : « *participatio legis æternæ in rationali creatura* [3] ». Porro lex æterna est ratio divina quatenus est directiva omnium actuum et motionum ; ergo lex naturalis erit « impressio luminis divini in nobis, quo discernimus quid sit bonum et quid malum ». — Mira quidem participatio ! siquidem « omnia participant aliquatenus legem æternam » etiam res physicæ, homo autem « excellentiori quodam modo », in quantum ipse, ope rationis, « Providentiæ fit particeps, sibi ipsi et aliis providens [4] ».

B. — Sed quæritur in quo **consistat** illud lumen participatum ?

1. **Sum. theol.**, *Ibid.*, ad 2 ; q. 93, a. 1, ad 2. — 2. *Ibid.*, q. 94 ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 265 ; — **Sertillanges**, *La phil. mor. de S. Thomas d'Aq.*, p. 139-160. — 3. **Sum. theol.**, *Ibid.*, et Supp., q. 65, a. 1 ; — *IV Sent.*, dist. xxxiii, q. 1, a. 1. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 99, a. 2.

Resp. : — 1° vel in ipsa vi discernendi bona et mala moraliter (Alex. Halensis) ; — 2° vel in ipsa natura rationali, prout ipsi, ratione suæ essentiæ, aliqui actus conveniunt, aliqui disconveniunt (Vasquezius) ; — 3° vel in dictamine rationis præcise ostendentis quid naturæ rationali conveniat aut disconveniat (Gabriel) ; — 4° vel in lumine naturali ut impresso et a lege æterna participato (Billuart et Thomistæ). — Quæ quidem quatuor non sibi pugnant : « La loi morale n'est pas un ordre venu du dehors, même du ciel : c'est la voix de la raison, reconnue comme une voix divine [1] ».

23. UTRUM SIT in homine lex naturalis [2] ?

Existentiam hujus legis indirecte rejiciunt aut directe *impugnant* athei, pantheistæ, materialistæ, positivistæ et sociologistæ [3]. Adversus eos sit

THESIS

Existit lex naturalis, mentibus hominum a Deo impressa.

Prob. — 1. *Conscientia.* Nam cuilibet homini evidentissime constat nobis esse lumen seu « dictamen » quoddam naturale, seu etiam, ut aiunt, *imperativum categoricum*, cujus ope dignoscimus quid sit bonum et quid malum, quid sit faciendum et quid fugiendum : quoties enim huic interno lumini obtemperamus, animæ gaudio reficimur ; quoties autem ei reluctamus, conscientiæ stimulis angimur.

2. *Ratione.* Nam omnibus entibus naturaliter insunt quædam principia, quibus non solum operationes proprias efficere possunt, sed quibus eas convenientes suo fini reddant [4]. Sed homo non est pejoris conditionis quam animalia. Ergo lumen habet quo rationem finis cognoscat et proportionem debitam sui operis ad finem, quod est lex naturalis. — Secus natura deficeret in necessariis et Deus in causa esset, si, cognito Deo seu Domino omnium supremo, lex ejus non cognosceretur.

3. *Indirecte* seu e pravis consectariis sententiæ oppositæ. — Rejecta enim legis naturalis existentia, vel nullum superest moralitatis fundamentum vel illud fundamentum ab hominum arbitrio pendet, et ideo non est stabile, nec immutabile, sed mutari potest ab ipsis hominibus. Exinde furtum, rapina, homicidium et alia hujusmodi, modo illicita, modo licita fieri possent ; hæc autem omnia rationi contradicunt.

1. **Sertillanges**, *Phil. mor. de S. Thomas d'Aq.*, p. 135. — 2. Cf. **Dom Lottin**, *Le droit naturel chez S. Thomas et ses prédécesseurs*, 1931, p. 68-69 ; — *La vie intellectuelle*, 10 janvier 1931. — 3. Cf. **Mandeville**, *La fable des abeilles*, 1714 ; — **Taine**, *Hist. de la littérature anglaise*, 1865 ; — **Guyau**, *Esquisse d'une morale sans obligation ni sanction*, 1884. — 4. **S. Thomas**, *In IV Sent.*, dist. XXXIII, q. 1, a. 1 ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 91, a. 2.

Confirmatur *auctoritate populorum* (n. 35) *et philosophorum*, nam qui jure habentur ut *parentes philosophiæ* moralis, nempe apud Græcos : Socrates, Plato, Aristoteles, aperte docuerunt unicuique hominum inditam esse legem naturalem. — Inter eos vero qui, prisca ætate, apud *Romanos* floruerunt, sic loquitur Tullius : « Est enim hæc non scripta, sed *nata* lex, quam non didicimus, accepimus, legimus ; verum ex natura ipsa arripuimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus [1]. » — Denique *recentiorum* maxima pars palam asserunt hanc legem esse hominibus insitam ; ne exceptis quidem scepticis, qui de cæteris dubitant [2]. Sic Kant : « Deux objets emplissent l'âme d'une admiration et d'un respect toujours renaissants : au-dessus de nous le ciel étoilé, au dedans la loi éternelle [3] » (Theod., n. 31). Sic etiam Curia *permanens Justitiæ internationalis* [4].

24. OBJECTIONES contra legem naturalem.

Obj. 1ª. — Sola virium naturalium evolutio sufficit, ut homo finem suum assequatur : ergo lex naturalis non existit [5].

Resp. *Dist. ant.* : sufficit in ordine materiali et ad finem materialem, *conc.* ; in ordine spirituali et ad finem homini debitum, *nego*. — Actus enim qui procedunt a voluntate libera, non a cæco naturæ instinctu sed a lumine rationis regulari et mensurari debent.

Obj. 2ª. — Lege naturali tolleretur libertas ; ergo non existit.

Resp. *Dist. ant.* Lege naturali libertas sapientissime regitur, *conc.* ; tollitur, *subd.* ; moraliter, *conc.* ; physice, *nego* : — lege enim perficitur tantum et dirigitur ad suum finem naturalem.

Inst. 1°. — Tunc autem hominis conditio fit pejor conditione cæterorum animalium ; hæc enim legi naturali non subduntur. Ergo nec homo.

Resp. *Nego ant.*, nam melius et nobilius est seipsum ad finem dirigere, ducente lumine rationis, et libere agere, quam necessario et cæco impulsu regi tanquam bruta.

Inst. 2°. — Sed quanto aliquis est liberior, eo minus est sub lege ; ergo homo, minus quam animal, legi subdatur oportet.

Resp. *Dist. ant.* : minus est sub lege physica, *conc.*, sub lege rationis, *nego prorsus*.

25. Utrum et quatenus lex naturalis sit IMMUTABILIS [6] ?

A. — **Est immutabilis**, tum *ab intrinseco*, tum *ab extrinseco* ; ita contra Pufendorf et rationalistas hodiernos.

Ab intrinseco quidem. Et verum lex æterna fundatur in essentiis rerum ; atqui lex naturalis est expressio legis æternæ ; ergo mutari nequit *ab intrinseco*, ut evenit in legibus positivis

1. *Orat. pro Milone.* — 2. **Voltaire**, *Loi natur.* ; — cf. **Hume**, *Essais de morale ou Recherches sur les principes de la morale*, 1760, § 1. — 3. *Critique de la raison pratique* (Barni). — 4. **Le Fur**, in *La vie intellectuelle*, 10 janvier 1931, p. 96. — 5. **Spinoza**, *Tract. theologico-politic.*, c. 4 ; — **Taine**, *Les philosophes classiques au XIXe siècle en France*, 1868 ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 91, a. 2, obj. 2. — 6. **Ferretti**, *loc. cit.*, n. 107-109.

per cessationem ipsius finis legis ; sic, mendacium nunquam potest non esse malum.

Sed *nec ab extrinseco* mutatur seu per mutationem factam virtute superioris. Nec enim Deus (nec a fortiori legislator humanus) efficere potest ut quod intrinsece malum est, jam amplius non sit malum. Ideo legem naturalem *abrogare* seu tollere, illi *derogare*, partem scilicet illius infringere, super eam *dispensare*, id est, ab obligatione illius relaxare, si vocabula ista *stricte* sumantur, nunquam est licitum [1]. Rursus ergo Tullius : « Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus [2]. »

B. — **Dixi** : si vocabula *abrogare*, *dispensare* et *derogare* stricto sumantur sensu, quatenus dicunt mutationem formalem ex parte ipsius legis. Sed lato sensu quædam apparens mutatio fingi potest per subtractionem materiæ legis v. g., Deus, qui non potest permittere furtum aut homicidium, permisit tamen Ægyptios spoliari, jussitque Isaac immolari, quia virtute supremi ejus dominii in creaturas, res acceptæ jam non erant alienæ, occisioque jam non erat ex auctoritate privata. — Sed de his fusius in Theologia [3].

ARTICULUS IV

De Lege Positiva [4].

Ecce *natura*, *existentia* et *conditiones* legis positivæ.

26. Quid et quotuplex sit lex positiva ?

A. — **Definitur** : *ordinatio rationis, quæ dimanat a libera voluntate legislatoris, et legi naturali superadditur.*

Hinc quintuplici ex parte differt a lege naturali. — 1º *Ratione auctoris*, non enim necessario, sed per liberam voluntatem legislatoris ponitur. — 2º Ratione *materiæ*, quia saltem *directe* non versatur circa res ex natura sua seu intrinsece bonas aut malas. — 3º Ratione *subjecti* : nam lex naturalis necessario imponitur omnibus hominibus, positiva autem membris tantum communitatis pro qua lex fertur. — 4º Ratione *finis* ; respicit enim aliquem finem specialem, sive temporalem, sive supernaturalem, ut lex divina. — 5º Ratione *promulgationis* ; non enim imprimitur in cordibus nostris, sed viva voce, melius scriptura, id est, aliquo signo sensibili fertur [1].

1. Cf. **Lactantius**, *De vero cultu* ; — **S. Bernardus**, *De præcept. et dispensat.*, t. I, p. 247 (éd. Vives). — 2. **Tullius**, *De rep.*, L. III. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 94, a. 5 ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 277. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 95-97 ; — **Ferretti**, *loc. cit.*, n. 136-145 ; — **Mendive**, *Ethica et jus naturale*, Valladolid, 1888, n. 366-387.

B. — **Duplex est** : *divina* et *humana* ; hæc autem totuplex, quotuplex dari potest societas sub auctoritate legitime constituta ; imprimis vero ecclesiastica et civilis.

27. Utrum lex positiva pendeat a lege æterna et naturali ?

I. **Lex positiva divina** aliquid habet legis æternæ et naturalis. Si nempe active consideratur in Deo, est, sicut lex æterna, ordinatio rationis æternæ, licet ex voluntate libera. — Si passive consideratur in subditis, sicut lex naturalis, intempore participatur in hominibus, licet secundum alium modum promulgationis.

II. **Lex autem humana** ab utraque lege prædicta pendet.

Primo quidem a *lege æterna* : ab ea enim accipit suam rectitudinem et vim obligatoriam. Nam, ex una parte, ratio legislatoris humani non est recta, nisi quatenus conformiter ad rationem æternam operatur : ex alia vero legislator non a seipso, sed a Deo dimanantem habet auctoritatem ad subditos regendos. Ergo duplici ex parte pendet a lege æterna.

Secundo etiam a lege *naturali* : — 1. Quandoque enim non est nisi *declaratio* et sanctio præceptorum quæ continentur in lege naturali, v. g., non occides. — 2. Quandoque autem est *determinatio* quædam accuratior eorum quæ sunt indeterminata in lege naturali, sicut, v. g., dies colendi Deum. Porro lex positiva — in primo casu, obligationem ex novo titulo, — in secundo, novam obligationem addit legi naturali, sed ei contradicere non potest, — in utroque tandem casu, præsupponit legem naturalem, suamque vim accipit ab hoc legis naturalis præcepto : ministris Dei obediendum est. Ergo ab ea pendet.

28. Utrum inter homines dentur vere leges positivæ ?

Ad hoc requiritur et sufficit ex una parte communitas, ex altera *legislator humanus qui ei possit et debeat imponere legem*. Porro

1º Non deest **communitas**, quæ sit subjectum legis : a Deo enim, tanquam auctore naturæ, procedit multiplex societas civilis ; a Christo tanquam auctore ordinis supernaturalis dimanat societas ecclesiastica.

2º Nec ei deest **legislator, qui possit** imponere legem [2], — tum quia societas, quæcumque sit, indiget rectore qui curam illius habeat, — tum quia ad œconomiam Providentiæ pertinet ut res inferiores per causas superiores gubernet : proindeque largiatur

1. **Suarezius**, *De legibus*, L. III, c. 15, n. 6. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 96, a. 4.

principibus potestatem legislativam, quæ a Deo solo habet originem (n. 117).

3° Ideo autem princeps potest condere legem, **quia etiam debet** : siquidem ex officiis jura habent originem (n. 67). Debet autem duplicem ob causam : — *Primo* quidem ad promovendam legis naturalis observantiam ; hæc enim non est satis determinata relative ad personas, locum, tempus et circumstantias particulares ; nec est satis nota saltem quoad conclusiones remotas ; nec perfecte sancita, cum indiget sanctione temporali. — *Secundo* ad quietam et tranquillam vitam temporalem, unde S. Isidorus : « Factæ sunt leges ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia et in ipsis improbis, formidato supplicio, refrenetur nocendi facultas [1]. »

29. Quænam sint essentiales legis positivæ CONDITIONES ?

Lex **divina** a justitia deficere nequit : sed non ita lex **humana**. Discant ergo statolatriæ sectatores conditiones, quibus deficientibus, lex mera est iniquitas, violentia, abususque potestatis. Hæ vero quinque sunt : nam injustæ sunt leges uno modo *per contrarietatem ad bonum divinum*, et quadruplici modo per contrarietatem ad bonum humanum, nempe ex parte finis, auctoris, materiæ et formæ legis. — Fusius :

1. Imprimis lex *humana* non *adversetur legi naturali aut divinæ* non enim inferior potest prævalere contra superiorem. Hinc injustæ sunt omnino leges quæ cives avertunt a cultu veræ religionis et virtutis.

2. Præterea idonea sit ad conducendam *communitatem ad finem suum.* Si quæ vero, bono communi neglecto, tendit in bonum privatum, sive individui, sive cujusdam oligarchiæ, non est vera lex ; a fortiori quæ ad aliquam populi partem vexandam et opprimendam ordinatur.

3. Non *excedat potestatem legislatoris.* Nam, si lex fertur ab eo qui non habet potestatem in materia quam præcipit, est injusta ; v. g., si potestas civilis obliviscatur effatum : « de internis non judicat prætor » vel in forum Ecclesiæ usurpet.

4. Sit *possibilis*, non tantum physice, sed moraliter. Ergo lex humana non omnes virtutum actus præcipere potest, sed eos duntaxat qui « ordinabiles sunt ad bonum commune vel immediate vel mediate » ; — item « graviora » tantum vitia prohibere debet, « sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset [2] ».

5. Denique onera subditis imponat *secundum æqualitatem proportionis*, id est, habita ratione facultatum uniuscujusque : alioquin violaretur justitia distributiva [3].

1. V *Etymol.*, c. xx-i ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 95, a. 1 et 3. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 96, a. 2, 3 et 4. — 3. **G. Renard**, *La valeur de la loi*, 1928.

LIBER SECUNDUS ETHICÆ GENERALIS

DE

PRINCIPIIS INTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM

Absolutis quæstionibus de principiis extrinsecis, sc. de causa *finali* et de causa *exemplari* actuum humanorum, disserendum superest de principiis intrinsecis, sc. de causa *efficiente, materiali* et *formali.* Unde tria capita : — I. *De Voluntario* ; — II. *De moralitate Materiali* ; — III. *De moralitate Formali* ; quibus addemus : — IV. *De Consectariis* actuum humanorum intrinsecis, quæ sunt eorum causa finalis *proxima.*

CAPUT PRIMUM

DE VOLUNTARIO ACTUUM HUMANORUM [1]

Causa actuum humanorum efficiens est persona *libera* : unde iis quæ jam in Psychologia (n. 103) dicta sunt, pauca de voluntarii liberi *natura, genesi et variis impedimentis* addere libet.

30. Quid sit voluntarium liberum seu ACTUS HUMANUS ?

A. — **Est voluntarium** *id quod procedit ab intrinseco principio cum prævia cognitione finis* [2]. Hoc principium est voluntas seu appetitus rationalis ; — hæc prævia cognitio est actus intellectus per quem solum regitur voluntas — et hic finis est res quælibet sub ratione finis apprehensa.

Quapropter ad actus voluntarii indolem duo requiruntur : *spontaneitas* ex parte principii efficientis et *cognitio finis.* Unde : — 1ª deficiente, non erit voluntarium, sed *coactum* quod procedit ab extrinseco, contra voluntatem, v. g., incarceratio ; — 2ª deficiente, voluntarium non est sed *naturale* quod procedit a principio intrinseco, non quidem cognoscitivo : v. g., motus cordis.

Similiter involuntarium erit : — 3. *Violentum*, quod procedit a violentia vel motu extrinseco ; — 4. *Ignotum*, quod accidit agenti ex concupiscentia vel ignorantia, v. g., motus primo-primus, vel si quis occidit amicum credens esse belluam.

B. — Jamvero voluntarium **duplex est** : *necessarium* et *liberum*. Valetque divisio quamvis, ex usu loquendi omnium, voluntarium et liberum sæpius identificentur. Non enim omne voluntarium est liberum ; nam, si omnes voluntatis actiones sunt voluntariæ, non omnes sunt actus liberæ elec-

1. **Ferretti**, *Op. cit.*, t. I, c. II, p. 107-136 ; — **Mendive**, *Op. cit.*, *Eth. gen.*, cap. I, n. 5-73. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 6, a. 2, 4, 5, 12.

tionis inter plura (Psych., n. 127); tale est, v. g., desiderium beatitudinis quam non velle non possumus.

C. — **Actus autem humanus** idem sonat generatim ac voluntarium et proprie idem ac liberum : est nempe actus qui *sub influxu voluntatis deliberatæ procedit.* Hinc humani dicuntur et sunt, tum actus *eliciti* a voluntate deliberata, tum actus alterius facultatis *imperati* a voluntate deliberata.

Actus autem *hominis* dicuntur qui non ab ipsa voluntate vel ab ea indeliberate aut non ex ejus imperio fiunt [1].

Hinc patet non dari medium inter necessarium et liberum. In liberis autem gradus adsunt, sicuti major aut minor gradus cognitionis, atque major aut minor consensus voluntatis.

31. Quisnam sit PROCESSUS PSYCHOLOGICUS actus moralis ?

Duodecim sunt motus intellectus et voluntatis ad integritatem actus humani concurrentes (Psych., n. 117), quos ob rei momentum et ad intelligentiam dicendorum ordinare juvat in schemate sequenti [2] :

Actus

Intellectus	Voluntatis	
I. — Respicientes finem.		
Ordo intentionis.		
1. *Apprehensio simplex* et speculativa nostri boni perfecti seu finis.	2. *Simplex volitio* seu appetitus inefficax boni jam apprehensi.	*Velle.*
3. *Judicium synderesis* proponens finem ut bonum honestum et assequibile.	4. *Intentio efficax* seu appetitus absolutus circa finem propositum.	*Intendere.*
II. — Respicientes media in finem.		
A. — **Ordo electionis.**		
5. *Consilium circa media* ad obtinendum finem intentum.	6. *Consensus approbans* sine prælatione omnia media apta ad finem.	*Consentire.*
7. *Judicium practicum* quo præfertur hic et nunc medium inter cætera aptius.	8. *Electio libera* consequens judicium ultimum practicum.	*Eligere.*
B. — **Ordo exsecutionis.**		
9. *Imperium rationis practicæ* præcipiens exsecutionem medii et dictans : *fac hoc.*	10. *Usus activus* applicans potentias ad exsecutionem medii.	*Uti.*
11. *Usus passivus* seu actus imperati potentiarum exsecutivarum, quæcumque sint.		*Uti.*
12. *Fruitio* consequens in voluntate actum consummatum.		*Frui.*

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 1, a. 1 ; — **Billuart**, *De ultimo fine*, dissert. I, a. 2. — 2. Cf. **Sum. theol.**, I-II, q. 8-17 ; — **Gardeil**, in *Diction. de théol. cath.*, vocab. *Election* ; — **Beaudoin**, *Tract. de conscientia*, 1911, p. 6.

Jam, uti vides et quia voluntas sequitur intellectum, unicuique actui intellectus speculativi aut practici respondet, juxta ordinem numerorum 1 et 2, 3 et 4, 5 et 6, actus voluntatis, usquedum, post judicium intellectus practicum... ultimum, nempe 7, eliciatur actus liber, nempe 8 ; — nisi quod, undecimo loco, actus jam imperati a quibuscumque potentiis et etiam ab ipso intellectu aut ipsa voluntate elici possunt.

32. Utrum et quænam sint IMPEDIMENTA voluntarii liberi [1] ?

A. — Voluntarium liberum duo supponit, nempe quod actus fiat cum deliberatione seu cognitione finis, et quod sit juxta inclinationem principii intrinseci. Hinc quæcumque tollunt, minuunt vel augent unam vel alteram conditionem, libertatem actus similiter tollunt, minuunt vel augent, et in primo et secundo casu vocantur **impedimenta**.

B. — Hæc autem impedimenta duplicis sunt generis : sc. remota et proxima.

1° **Proxima** et fere classica quatuor sunt [2] : duo enim impediunt finis cognitionem, sc. *ignorantia* et *concupiscentia*, duo autem contra voluntatis inclinationem agunt, sc. *violentia* et *metus* : quibus additur ex utraque parte *habitus*, qui etiam per *educationem* firmantur.

a) *Ignorantia* est *carentia scientiæ debitæ* et duplex est : *vincibilis* et *invincibilis* prout, adhibita morali diligentia, expelli potuit vel non. Jamvero eo liberior est voluntas, quo perfectior est cognitio : unde ignorantia moraliter invincibilis tollit, actualiter autem vincibilis minuit tantum, sed si fuerit affectata, auget liberum et imputabilitatem [3].

b) *Concupiscentia* est motus appetitus bonum *sensibile* prosequens. Duplex est, *antecedens* et *consequens* consensum voluntatis : antecedens auget quidem voluntarium, sed liberum minuit aut etiam tollit eodem gradu quo minuit aut tollit rationis usum ; consequens autem passio, quæ libere nutritur in corde, adauget liberum, nedum illud tollat.

c) *Violentia* est *vis externa illata renitenti.* Porro violentia non proprie cogit voluntatem : nam actus elicitus fit interne et sub vi exteriori cadere nequit : solummodo afficit actum a voluntate imperatum, cujus libertatem violentia absoluta tollit. Indirecte tamen et per actum externum quem agens

1. **Castelein**, *Ibid.*, p. 20. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 6, a. 5. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 76, a. 4.

omnino efficere cogitur, violentia consensum voluntatis sollicitat in eamque influit.

d) *Metus* est *trepidatio mentis ob aliquod periculum imminens.* Duplex est : *levis* vel *gravis.* Si prius, non tollit, nec vere minuit liberum. Si posterius, minuit, sed non tollit, nisi quando ita *vehemens* est, ut tollatur ipse rationis usus.

e) *Habitus* operationem hominis uniformem et faciliorem reddunt (Psych., n. 162). Quapropter, si libere fuerint acquisiti et libere conserventur, augent libertatem sive ad bonum sive ad malum : si vero fuerint involuntarie acquisiti aut efficaciter retractati, voluntatis inclinationem augere quidem pergunt, sed tollunt rationis indifferentiam proindeque plus minusve minuunt liberum [1].

f) Porro *educatio* ipsa est quæ format aut confirmat habitus. Quare, nutriendo circa multa ignorantiam etiam invincibilem vel passiones variis modis excitando, educatio magnum in libertatem habet influxum [2].

2° **Remota** sunt impedimenta quæ directum in corpus et functiones organicas, indirectum ergo et magis remotum in intellectum et voluntatem exercent influxum. Unde

33. Quænam sint REMOTA impedimenta voluntarii liberi ?

Hæc duo sunt : *temperamentum* in omnibus, et in quibusdam *status pathologici.* De quibus pauca :

A. — **Propensiones temperamenti** quatuor aut tres sunt præcipuæ ex dictis in Psychologia (n. 226). Porro, sive sint hereditariæ, sive nativæ, sive propria voluntate immutatæ, *ordinarie* non tollunt, minuunt tamen liberum [3] :

1° *Non tollunt* — contra deterministas, juxta quos dantur individua, imo familiæ naturaliter aut lege hæreditatis vitiosæ. — Sed contra : tum experientia, tum historia constat quod in eodem homine actus boni et mali, quod in eadem familia filii virtuosi et vitiosi, quod cum omnibus temperamentis sancti et scelerati inveniuntur. Unde Angelicus : « Anima regit corpus et repugnat passionibus quæ *complexionem* sequuntur : ex complexione enim aliqui sunt magis aliis ad concupiscentias vel iras apti, qui tamen magis ab eis abstinent propter aliquid refrenans, ut patet in continentibus [4]. »

2° *Minuunt* tamen, quatenus hisce propensionibus obnubilatur ratio et enervatur voluntas. — Dixi : *ordinarie* : quandoque enim ex temperamento oriri potest quædam amentiæ species, quæ etiam a parentibus in filios traducitur et penitus tollit liberum.

B. — **Status autem pathologici** triplicis generis habentur [5] :

a) Sunt imprimis quibus *aboulia* vel in contrarium *impulsio*

1. **Sum. theol.**, *Ibid.*, q. 49-54. — 2. **Dupanloup**, *De l'éducation*, 1850-1862 ; — **Guibert**, *Le caractère*, 1905. — 3. **Ribot**, *L'hérédité psychologique*, 1873 ; — **Fouillée**, *Tempérament et caractère*, 1895. — 4. **Contra gent.**, II, c. 63. — 5. *Revue thomiste*, XIII, p. 622 ; XIX, p. 174.

vehemens dominatur [1]. Si aboulici, hæsitant suosque actus et motus exsequi non valent ; si impulsivi, non valent non exsequi. Utrisque igitur saltem in actu, si non in causa, tollitur liberum aut valde minuitur : patiuntur enim facultates exsecutivæ quamdam necessitatem ab intrinseco, quæ indirecte influit in voluntatem.

b) Sunt alii qui *neurasthenia* aut etiam *hysteria* laborant. *Prior* est status in quo nervi apparent ita debilitati et exhausti ut agens mentaliter et physice valde deprimatur : quo in casu voluntas non cogitur quidem, sed admodum inconstans et infirma est, et ideo minuitur, quin tollatur liberum [2]. — *Posterior* hodie definitur status in quo, propter anesthesim unius partis organismi et hyperesthesim alterius, maximam vim obtinet suggestibilitas, sive sit spontanea, sive sub actione suggestoris acquisita et inveterata : quo in statu valde minuitur aut etiam tollitur liberum, quin possit in praxi determinari aliter ac perpensis omnibus circumstantiis [3].

c) Sunt tandem qui *in somno hypnotico suggestionis ope* versantur. Porro quæ tunc fiunt, quamdiu perdurat somnus, libera non sunt. Utrum etiam quæ postea in statu vigiliæ, vi anterioris suggestionis, adimplentur ? affirmat schola Nanceiensis, negat autem Parisiensis. Utraque tamen, ex dictis in Psychologia (n. 222), *in causa* imputari suo subjecto possunt [4].

Corol. — Uti vides, hæc impedimenta remota non sunt proprie *morbi voluntatis*, quæ est spiritualis, sed tantum et directe saltem, organismi nervosi cujus læditur æquilibrium.

CAPUT SECUNDUM

DE MORALITATE MATERIALI ACTUUM HUMANORUM

34. Quid et quotuplex sit MORALITAS in universum ?

A. — **Moralitas in universum** *quædam est proprietas actuum humanorum, vi cujus alii dicuntur recti, honesti, boni ; alii* vero *pravi, inhonesti, mali.* Porro « de bono et malo in actionibus oportet loqui sicut de bono et malo in rebus [5] ». In rebus autem quamdam plenitudinem aut aliquem defectum entis important. Ergo bonum *morale* seu actionum quædam

1. **Ribot**, *Les maladies de la volonté*, 1888. — 2. **Dubois**, *Les psycho-névroses et leur traitement moral*, 1902 ; — **Dr Grasset**, *Thérapeutique des maladies du système nerveux*, 1907 ; — **Abbé Toulemonde**, *Les nerveux*, 1913. — 3. **D'Alès**, *Diction. apologét.*, vocab. *Hystérie*. — 4. **Mercier**, *Psychologie*, n. 203. — 5. **Sum. theol.**, I-II, q. 18, a. 1.

erit plenitudo, et malum morale quædam privatio, actibus voluntariis competens, et inferius (n. 37) determinanda. Jamvero de moralitate in genere plura prodierunt systemata : sunt enim qui eam prædicant objectis intrinsecam, alii vero extrinsecam ; sunt qui nunquam, alii qui quandoque obligatoriam eam esse volunt ; sunt tandem qui sanctione normali et alii qui nulla aut mere pœnali præditam esse docent. Ideo moralitatis *essentia, obligatio, sanctio* tria sunt quæ suo loco diligenter sunt pensanda.

B. — **Duplex est moralitas** : materialis seu *objectiva*, et formalis seu *subjectiva*. — Prior inest objectis moralibus cum omnibus suis circumstantiis, in quæ voluntas libere ferri potest et quæ regulis morum conveniunt vel dissonant : hæc autem moralitas redundat in actibus quibus objectum morale prosequimur. Posterior spectatur in solis actibus subjectivis, et prout a voluntate deliberata procedunt. Una ergo conditiones objectivas boni et mali moralis : alia autem conditiones actuum moralium subjectivas seu ex parte agentis determinat. De posteriori dicendum est in capite sequenti.

De priori nunc quæritur an sit, quid sit et unde sit. Ideo tres articuli : 1us de *Existentia*, 2us de *Natura*, 3us de *Fontibus* boni et mali materiali seu moralitatis objectivæ.

ARTICULUS I

De Existentia moralitatis objectivæ [1].

35. Utrum EXISTANT bonum morale et malum morale ?

Negant — *imprimis* sceptici, qui bonum a malo non secernunt, necnon Fatalistæ, Athei, Pantheistæ, Materialistæ, nam, quæcumque sit moralitas, sine Deo et libertate stare nequit ; — *sed etiam* qui moralitatem extrinsecam tantum volunt, quam repetunt a lege ut Hobbes, a consuetudine ut Saint-Lambert, a societate ut sociologistæ, vel ab arbitrio Dei ut Pufendorf et Occam.

Quibus duo concedimus, sc. — plura objecta per se nec bona nec mala esse, — plura honesta vel inhonesta tantum fieri, *quia* præcipiuntur vel prohibentur. Sed præterea sunt per se bona, sunt per se mala : unde sit

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 284 ; — **Contra gent.**, III, c. 129 ; — **Sertillanges**, *La phil. mor. de S. Thomas d'Aq.*, p. 37-48 ; — **Valensin**, *Op. cit.*, I, p. 79-127 ; — **Gillet**, *Op. cit.*, p. 443-448 ; — **Dom Lottin**, *Le droit naturel chez S. Thomas d'Aquin et ses prédécesseurs*, 1931, p. 68-90.

THESIS

Sunt actionum objecta, quæ per se intrinsecus bona vel mala, honesta vel inhonesta sunt.

Prob. — 1. Ex *sensu communi*. Nam, in ordine practico non aliter ac in ordine speculativo, quædam sunt propositiones ex se evidentes : v. g., bonum est faciendum, malum est vitandum, Deum colere et patrem honorare oportet... De quibus Stagirita : « Dubitantes, utrum dii sint colendi et parentes diligendi necne, pœna indigent [1] », non argumentis.

2º Ex *conscientia*. Nam ea quæ semper et in omnibus gignunt effectus essentialiter oppositos in conscientia, inter se etiam essentialiter differunt ; sed gaudium suscipimus de bono patrato, de malo autem angoribus pungimur, itemque pios amore, odio malefactores prosequimur. Ergo bonum et malum, pietas et impietas... inter se intrinsecus differunt.

3º Ex *consensu populorum*. Nullus enim populus est, — cujus idioma voces bonum, malum, justum et injustum non referat, — cujus instituta moralitati non faveant et inhonestatem non reprobent, — cujus leges quædam ut bona non præcipiant, quædam ut mala non prohibeant. Sed « veritatis argumentum est aliquid omnibus videri [2] », præsertim cum passionibus repugnet. Ergo quædam bona, alia mala sunt.

Confirmatur ex objectis ab *osoribus* moralitatis, nempe *dicunt* : Apud gentes excultiores, magna viget dissensio de bonis malisve actibus, v. g. ; de malitia divortii et aliis plurimis. Ergo.

Resp. Hæc dissensio versatur circa leges *positivas*, *conc.* ; circa leges *naturales*, *subd.* : secundarias, *conc.*, primarias, *nego*. — Porro non mirum si de remotissimis consectariis cuncti non consentiant.

Inst. — Atqui sunt gentes quæ etiam circa prima principia legis naturalis erraverunt : sic Anthropophagi homicidium, Indi parricidium, Spartiatæ furtum probavere... « Sic apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, ut refert Julius Cæsar [3]. » Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Erraverunt et hic fuit error voluntatis, *conc.* ; error solius intellectus, *subd.* : qui versatur circa determinationes particulares boni et mali, *trans.*, circa ipsam distinctionem boni et mali aut existentiam legis moralis, *nego*. Nam, v. g., Indi qui parentes, cum senes sint, occidunt ut in « nirwana » abeant et a miseriis vitæ liberentur, actionem moraliter piam elicere putant.

Hinc bonum et malum essentialiter et *specifice* differunt : quomodo autem « omnis actus *speciem* habeat ex suo ob-

1. *Top.*, I, 9. — 2. **Seneca**, Epist. 117. — 3. **Sum. theol.**, I-II, q. 94, a. 4.

jecto [1] », quatenus sub tali talive respectu refertur ad rationem, sc. prout ei conformis est annon, statim dicetur (n. 37).

ARTICULUS II

De Natura boni et mali moralis [2].

36. Quot sint SENTENTIÆ de natura boni et mali moralis [3] ?

I. **Prior sententia** moralitatem objectis *extrinsecam* esse ponit, eamque desumit a voluntate mere arbitraria Dei vel hominis ; videlicet, illud est bonum vel malum quod tale decretum fuit vel ab opinione publica, a societate et a legibus quibuslibet hominum, vel a voluntate arbitraria Dei : quod vergit in *despotismum*.

II. **Posterior sententia** concedit moralitatem objectis *intrinsecam* esse, duplici tamen sensu valde diverso.

A. — Alii enim sunt *subjectivistæ*, et moralitatem ponunt esse quid relativum seu proportionatum sensibus aut rationi hominis. Quorum sententia triplicem induit formam, nam revera triplex est bonum : *delectabile*, *utile* et *honestum* (Ontol., n. 62). Hinc juxta *sensualismum*, illud est bonum quod sensum corporeum delectat, malum quod ei affert dolorem : ecce epicureismus ; vel bonum aut malum est quod tale reputatur a sensu morali, quod sympathiam aut antipathiam excitat : et hic est sentimentalismus. — Juxta *utilitarismum*, ratio boni et mali moralis ab ipsa utilitate, sive privata, sive publica, sumenda est, illudque ut bonum habetur, quod utile dici potest. — Juxta *rationalismum*, illud est honestum quod rationi nostræ videtur tale ; inde *eudemonismus*.

Unde tria hujusmodi systemata subjectiva tanquam fundamento nituntur principio illo : homo est mensura moralitatis, sicut est mensura veritatis rerum.

B. — Alii vero sunt *objectivistæ*, et moralitatem quid in rebus absolutum, quid ab homine independens, quid apud omnes et omni tempore identicum esse contendunt [4]. Hanc sententiam primo stabilire, falsas deinde confutare juvat.

§ I. — *Vera sententia de moralitate.*

37. Quænam sit VERA RATIO boni et mali moralis ?

Quæ de essentia veri et possibilium dicta sunt in Ontologia, eadem de essentia boni moralis vera sunt. Unde, præsupposita thesi de fundamento seu ratione essentiarum (Ontol., n. 42), similis regula moralitatis statui potest, nempe

THESIS

Ratio boni et mali moralis proxima *consistit in convenientia vel disconvenientia objectorum moralium cum humana ratione, — universali quidem et objectiva ; — Norma vero* ultima *formaliter in Ratione divina, adjuncta voluntate, — fundamentaliter in essentia Dei reponenda est.*

I. **Arg. posit.** — Probatur per partes ex analysi boni et mali. Ratio enim utriusque stat in relatione

A. — Cum *humana ratione*. — Bonum est convenientia, malum autem disconvenientia rei cum natura, de qua agitur [1]. Porro propria et specifica hominis natura est rationalis. Ergo bonum morale pro homine erit quid conveniens, malum autem quid disconveniens radicaliter cum natura rationali, at proxime cum dictamine rationis humanæ [2].

B. — Cum *ratione universali* et *objectiva*. — Nam ratio duplex est : subjectiva, quatenus in individuis concrete spectatur, sicque variabilis est et per accidens errori obnoxia ; objectiva, quatenus abstracte et generatim consideratur ut quid omnibus commune et constans. Patet autem moralitatem non esse convenientiam objectorum cum tali vel tali ratione individua, nam uniuscujusque ratio errori obnoxia est, sed cum ratione universali et objectiva seu cum natura rationali.

C. — Cum *Ratione divina*. — Tum quia ratio humana et ipsa — secus sibimetipsi regula foret — ad rationem divinam refertur tanquam causa secunda ad Causam Primam, tanquam imago ad suum Prototypum ; ergo non est nisi norma moralitatis secundaria et relativa, quæ nullius rei exhibet absolutam rationabilitatem vel irrationabilitatem, nisi sit conformis cum ratione divina vel non ; — Tum quia convenientia vel disconvenientia actionum cum natura rationali quibus objective constituitur bonum et malum morale, fundantur in rerum essentiis, quæ cunctæ sunt formaliter in ratione divina. Ergo in Ipsa pariter et directe est bonum morale, et indirecte saltem malum morale, quatenus est negatio boni.

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 18, a. 5. — 2. **Thamiry**, *Op. cit.*, p. 79-91 ; — *La vie intell.*, 10 janv. 1931, p. 94 seq. — 3. **E. Janssens**, *Introd. hist. au cours de mor.*, Louvain, 1927. — 4. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 82-87.

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 18, a. 1. — 2. **Ferretti**, *Loc. cit.*, n. 62.

D. — Cum *essentia Dei*. — Nam essentiæ rerum fundamentaliter sunt in essentia divina ; ergo pariter conformitas et difformitas objectorum moralium cum natura rationali.

Advertas tantum velim quod in Deo *voluntas* cum intellectu semper consonat ; et ideo quod bonum rationi divinæ placuit, certe voluit divina voluntas et lege æterna sancivit.

Consonat autem de utraque norma moralitatis S. Thomas : « Regula voluntatis humanæ est duplex : una propinqua et homogenea, sc. ipsa humana ratio, alia vero est prima regula, sc. lex æterna, quæ est quasi ratio Dei [1] ».

Hinc moralitas, sicut Dei essentia, æterna, necessaria et immutabilis est. Quin etiam aliquo vero sensu *independens* est, non absolute a Deo sed a Dei arbitrario, — quod etiam suspicari in Deo absit ! — nec non a fortiori ab hominis dispositionibus subjectivis.

II. **Arg. negativ.** — Secus enim moralitas objectiva, cum quibusdam, diceretur convenientia aut disconvenientia objectorum, vel cum voluntate Dei sanctissima, vel cum ultimo hominis fine. Porro hæc duo, etsi vera sint, non exhibent ultimam nec ideo adæquatam boni et mali moralis rationem :

Non 1um. Equidem *voluntas divina* est absolute sancta, et sæpius dicitur regula boni et mali : nihil tamen vult nisi conforme sit rationi divinæ [2] et ab ea obligatorium aut saltem bonum declaretur. Unde sic : ratio divina est norma ultima rectitudinis pro voluntate divina : ergo et pro voluntate humana.

Non 2um. Non enim bonus est actus vel malus, quia nos ad *finem ultimum* perducit vel ab eo avertit, nam, ut aiunt, finis media non justificat, sed e contra ideo ad finem perducit vel ab eo avertit, quia bonus in se vel malus est. Ergo, rejecta alia qualibet hypothesi, stat thesis.

Brevius : bonum morale idem est ac bonum rationale seu bonum naturæ rationalis *ut sic spectatæ*. — *Dico* ut sic spectatæ : quoniam enim homo triplici vita præditus est, bonum hominis est non tam quod congruit corpori aut sensibilitati quam quod parti superiori et specificæ convenit.

Hinc moralitas est relatio transcendentalis actus humani ad regulam morum et ista est : Age secundum rationem (n. 47).

38. Utrum omne bonum et undenam sit OBLIGATORIUM ?

Inter objecta bona, alia obligatoria sunt, alia non sed indifferentia aut meliora tantum homini videntur. Si autem obligatoria vel quia physice necessaria, v. g. nutritio, vel quia moraliter necessaria ad finem attingendum. Unde sit

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 71, a. 6 ; q. 19, a. 4 ; *De malo*, q. 2, a. 4 ; *De virtutibus*, q. 5, a. 2. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 19, a. 4.

THESIS

Non omnia bona, sed plura tamen, necessaria ad finem, sunt moraliter obligatoria.

I. **Non omnia.** Quædam enim bona tantum homini apparent necessaria, necessitate quidem quæ : 1) non est *relativa*, sed absoluta, v. g. non blasphemare, non occidere, nunquam mentiri, quæ ideo categorice cujusque conscientiæ imponitur et, non obstante omissione aut practica difficultate, permanet ; — 2) est *moralis*, i. e., non metaphysica cujus oppositum esset contradictio, nec physica, ut, v. g., nutritio, quæ non pendet a voluntate, sed moralis, quæ talis judicatur a ratione nempe tanquam necessaria ad finem, quin ob imperfectionem sui objecti trahat necessario voluntatem : en bona sed ea tantum moraliter plus minusve obligatoria.

II. **Plura sunt,** quia naturæ finique hominis necessaria : en fundamentum proximum obligationis. Quælibet enim natura est ordinata ad finem, necessario si non est intellectiva, libere si est intellectiva. Sed ratio quæ apprehendit finem hominis, plura etiam cognoscit plus minusve necessaria ad finem, et ideo ipsi voluntati : inde lex naturalis in ratione hominis practica. Ergo *proxime* fundatur obligatio in natura humana.

Rursus autem hæc natura humana a Creatore pendet, qualis ab eo constituta fuit et ordinata ad finem seu ad cognitionem et amorem Dei. Ergo hæc ordinatio divina seu ratio Dei practica, quæ est lex æterna, ultimum est fundamentum obligationis.

38*. Corollaria.

Hinc : 1. Obligatio moralis a bonitate morali *differt*, sive extensione quia plura sunt bona quam obligatoria, sive gradu convenientiæ cum natura humana.

2. Obligatio supponit regulam seu *legem* (n. 20), quæ sit expressio relationum hominis ad finem suum primario obligatorium (n. 14), minime vero decretum despoticum imputatum ab extrinseco.

3. Duplex est ista *obligationis norma* : *ultima* quæ essentialiter consistit in bonitate Dei quatenus est hominis principium et finis, formaliter autem in præordinatione legis

æternæ a voluntate divina præintentæ ; *proxima* quæ est quælibet lex temporalis justa, hæc enim omnis et sola est expressio seu determinatio immediata vel mediata, naturalis vel positiva ipsius æternæ legis divinæ.

4. Obligatio tandem importat *officium*, cujus adimpletio est quid penitus naturale et humanum, non quid adventitium, ab extrinseco impositum, sed quid naturæ omnino conveniens ita ut homo, quo magis officio fidelis est, eo humanior dici debet (n. 20-B).

Quomodo autem unicuique manifesta fiat obligatio et ideo officium, nempe triplici rationis actu, infra dicetur (n. 46-53).

§ II. — *Falsæ sententiæ de moralitate.*

Duplicis sunt generis, prout ad *bonum* vel ad *obligatorium* attinent et moralitatem *sine* vel *cum* obligatione constituunt.

I. De bono morali errores.

Tres sunt sententiæ quæ bonum *morale* falso determinant.

39. Quatenus falsus est SENSUALISMUS, quicumque sit [1].

A. **Hic triplex** est : *epicureus, moralis* et *sentimentalis.*

1. Primus, qui dicitur *epicureus*, licet non tam sit Epicuri [2] quam ejus discipulorum, proprie est *hedonismus* (ἡδονή, voluptas) qui docet bonum esse voluptatem et gaudium præsens, malum vero dolorem, tristitiam et alia similia. Ita apud Græcos Gorgias et Callicles [3], Aristippus et schola cyrenaïca ; ita apud modernos Fichte qui egoïsmum, Fourier qui passiones, Nietzsche qui superhominem divinisat, et hodie schola « naturista ».

2. Crassissimum sensualismum rejiciunt Shaftesbury, Hutcheson, Hume, Reid, Th. Jouffroy, et alii nonnulli, saltem apud Anglos ; sed boni et mali moralis essentiale discrimen repetunt a sensu speciali, qui ab aliis sensibus et ab intellectu differt, dicique solet *sensus moralis*. Unde, juxta Reid, id habet rationem boni, quod sensui morali consonat ; quod autem huic sensui dissonat, est malum.

3. Smith vero bonum nominat id quod *sympathiam* jucunde afficit, quod autem *antipathiam* movet, malum appellat. Huic adstipulatur Jacobi, qui in affectibus sensibilitatis, præsertim in remorsu et gaudiis conscientiæ, reponit normam moralitatis.

B. — Jamvero sensualismus **quilibet triplici vitio laborat :**

1° *Evertit moralitatem.* Revera bonum morale, ut vidimus (n. 37), est quid objectivum, quid absolutum, quid immutabile, quid universalissimum ; — sensibilitas autem, est quid mere subjectivum, quid relativum ; nec eadem est in omnibus, nec eadem remanet in eodem homine.

1. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 88-93 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 92, etc. — 2. **Boetius**, *De consol. phil.*, lib. III. — 3. Cf. **Plato**, *Dial. Gorgias ubi* loquitur Calliclès.

Ad rem Royer-Collard : « Que la morale soit toute dans le sentiment, rien n'est bien, rien n'est mal en soi : le bien et le mal sont relatifs. Changez le sentiment, vous changez tout : la même action est, à la fois, bonne, indifférente ou mauvaise, selon l'affection du spectateur [1]. »

2° Quod etiam ducit *ad absurda*, nam sensus sæpissime nos allicit ad ea quæ sunt ordini naturali contraria : unde, si sensatio haberetur ut norma boni moralis, jam licitum foret etiam id quod ordini naturali est oppositum.

3° Error ille inde procedit quod sumit *effectum pro causa.* Nam aliquid sæpe sympathiam et antipathiam excitat, quia bonum est aut malum ; sed non est bonum aut malum, eo solo quod sympathiam et antipathiam excitat, nam, utraque deficiente aut etiam contradicente, remanet in se bonum aut malum : ergo bonum et malum ab utraque independens est.

40. Quatenus falsus est UTILITARISMUS, quicumque sit [2].

Hic duplex est : quum enim res possit esse utilis vel cuipiam individuo vel communitati, alii proprium commodum (gallice, l'intérêt personnel), alii quod prodest societati et præsertim generi humano ut constitutivum boni moralis admittunt.

Priores sunt apud antiquos Epicurus, Lucretius, Horatius, Plinius et alii sectatores [3] ; apud recentes, Hobbes, Helvetius, Stendhal [4]. Cuncti ataraxiam, auream mediocritatem, conservationem sui, pacem aut alia media voluptatis sensibilis requirunt.

Posteriores sunt bene multi, socialistæ generatim. Sic autem propugnant Bentham [5] utilitatem generalem in ordine ad suam propriam, Stuart Mill utilitarismum seu theoriam majoris felicitatis, Comte cum Taine et Littré altruismum, Spencer evolutionem humanitatis de egoismo in magis ac magis perfectum, Schopenhauer et Hartmann individui annihilationem, Leo Bourgeois solidaritatem, denique Durkheim et Lévy-Brülh necessitatem societatis [6].

Arg. gen. — Utilitarismus *falso nititur fundamento*, nam

a) Bonum honestum est quid fixum et necessarium ; e contra bonum utile est essentialiter variabile.

b) Bonum honestum propter se intenditur tanquam finis ;

1. *Œuvres de Th. Reid*, éd. **Jouffroy**, t. III, p. 410. — 2. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 94-113. — 3. Περὶ φύσεως ; — **Lucretius**, *De natura rerum* ; — **Plinius**, *Hist. nat.* — 4. **Hobbes**, *De corpore* ; — **Helvetius**, *De l'esprit* ; — **Stendhal**, *Le rouge et le noir.* — 5. **Caro**, *Etudes mor.*, 2e éc., 1869, p. 6. — 6. Cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil., nom. cit.*

e contra bonum utile non intenditur nisi propter aliud, nec proprie « terminat motum appetitus », quum sit « medium per quod tenditur in aliud [1] ». Ergo non identificantur.

c) Imo honestum et utile separari possunt : sunt enim quædam utilia quæ inhonesta sunt et vice versa.

Arg. spec. — 1° *Utilitas privata non est bonum morale.* Secus enim : — a) egoismus esset optimus ; — b) ad hominem non ad Deum reduceretur ordo moralis ; — c) culpandus esset qui mortem pro patria sua subire non dubitat ; — d) eo pejor esset actio quo magis ab utilitate abstraheret.

Dicit Bentham : homo semper agit amore sui ; ergo proprium commodum est finis actionum humanarum, et consequenter ratio boni et mali moralis.

Resp. 1° *Nego ant.* Homo enim potest agere vel amore sui, vel amore boni, vel, ut fit sæpenumero, amore sui simul et principaliter amore boni ; quod experientia et consensione hominum luculenter ostenditur.

2° *Nego cons.* Etiamsi homo semper ageret amore sui, concludendum esset proprium commodum esse unum ex motivis, sed non finem ultimum actionum humanarum.

2° *Nec magis utilitas publica constituit bonum morale.* Secus enim : — a) inhonestæ essent actiones, quæ privato, non publico bono inservirent ; — b) honestæ leges tyrannorum pessimæ, sub prætextu boni publici ; — c) laude digna scelera quæcumque, modo communitati inserviant. Porro hæc omnia repugnant sensui communi. Ergo.

Nec objiciatur altruismus, vel pessimismus, vel solidaritas, vel sociologia, etc. — Nam primo sibi charitas, instinctiva conservatio vitæ, non in omni casu nec absolute obligat solidaritas, conscientia non societas est verus præco boni et mali moralis.

41. Utrum et quo sensu falsus sit EUDEMONISMUS [2] ?

A. — **Multiplex est**, sed generatim abstrahit ab utili et delectabili ut bonum honestum et virtutem prosequatur, sc. :

1. *Stoïci*, ut Zeno et Epictetes, distinguunt inter hominis inclinationes, alias primitivas quæ in passiones deordinatas sponte convertuntur, alias vero altiores quæ tendunt ad bonum universale et honestum. Inde regula moralitatis : abstine et sustine, vive secundum rationem, eligendo sc. semper ea quæ ratione et naturæ universali conveniunt.

2. *Spinoza* etiam passiones indomitas retinet, super quas homo evehi debet, ut tendat ad ideale naturæ humanæ, nempe ad cognitionem Dei sub specie æternitatis, sed et cum ipso identitatem.

3. *Guyau* [3] constituere tentavit Ethicam sine obligatione, sine

1. **Sum. theol.**, I, q. 5, a. 6. — 2. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, p. 96, 395, 510. — 3. **Guyau**, *Esquisse d'une morale sans obligation ni sanction*, 1884, p. 88-170.

sanctione, quæ sit *mere scientifica*, i. e., in observatione fundata. Porro, teste scientia, vita est in motu, cujus ideo vita hominis habet exigentias vitales et naturales, nempe activitatem circa honesta maxime, circa difficilia, altiora, periculosa, circa sacrificas et magnificas actiones.

4. Est Ethica fortitudinis et honoris quam multi positivistæ aut rationalistæ hodie propugnant. Inter eos eminet *Bergson* [1] juxta quem perfectio moralis est unio et communio cum progressu vitali et divino totius realitatis, gallice « l'élan vital ». Hæc autem unio quæ obtinetur per vitam rationalem magis ac magis intuitivam et vitæ spiritualis amatricem, perfici nequit in passivitate voluntatis a societate coactæ sed per amorem et activam prosecutionem « τοῦ melioris » (*morale de l'âme ouverte, de l'appel*) : quod mystici cujusvis religionis et imprimis Christus optime fecerunt.

B. — Jamvero eudemonismus **laude et odio** dignus est : *laude* in eo quod partem naturæ humanæ nobiliorem, nempe rationalem, perficere prætendit ; *odio* tamen, nam

1. *Peccat* apud plurimos *fundamento*, quod est pantheismus sive materialis, sive intellectualis, cujus Ethica, etiam bergsonica, est evolutio creatrix.

2. Stoïcismus *exaggerat* repressionem passionum quæ non annihilari sed dirigi debent ideoque vitiat regnum rationis, quod non in suppressione sed in submissione activitatis inferioris stat et stare debet.

3. *Defectus* est Guyau ; etsi enim exigentias naturæ bene perspexerit, earum hierarchiam non recte determinat, nec finem ad quem tendunt clare exponit, nec efficaciter excitat activitatem defectu sanctionis aut sanctione mere pœnali.

4. Tandem ipse Bergson plura habet bona, etiam pulchra, sed *alia falsa*, quales sunt — notio confusa quam tradit de mysticismo universali, — natura Dei quem non satis constat esse personalem et Actum purum, quia per evolutionem potius « fit » quam « est », — igitur deficientia in homine finis ultimi personalis, etc.

Accidentalia quædam : datur enim eudemonismus verus (n. 12).

II. De obligatorio errores.

Tres sunt etiam sententiæ : *despotismus*, *kantismus*, *autonomismus*, quæ obligationem saltem et sanctionem urgent.

42. Quatenus falsus est DESPOTISMUS, quicumque sit [2].

A. — **Duplicem formam** despotismus præsertim induit.

1. *Les deux sources de la religion et de la morale*, 1932. — 2. **Castelein**, *Ibid.*, p. 113-122.

Imprimis *socialem* : Saint-Lambert enim honestum vel inhonestum reputat quod tale habetur ab *opinione* publica : unde optimæ semper consuetudines populorum [1]. — Similiter Hobbes et Rousseau bonum dicunt quidquid lege principum vel *pacto civili* statutum fuit [2]. — Denique sociologistæ Durkheim et Lévy-Brühl obligationem moralem quidem agnoscunt ut factum inconcussum sed illam concipiunt ut *coactionem* subjecto extraneam. Illa autem coactio ab ipso subjecto provenire non potest, nemo enim sibimetipsi violentiam facit ; sed, Deo neglecto ut non existente vel incognoscibili, unum relinquitur ens individuo superius, sc. *Societas*, a qua de facto homines accipiunt regulas moralitatis.

Dein *theologicam* : jùxta Pufendorf, res bonæ vel malæ sunt, quia Voluntati divinæ undequaque independenti sic placuit [3] ; cui præiverunt Scotus [4] quoad homicidium et quæcumque præcepta secundæ tabulæ, Occam et Cartesius [5].

B. — **Falsus est** in se, suis consectariis suisque principiis.

Nam 1. Despotismus *evertit moralitatem* : datur enim, ex dictis, moralitas objectis intrinseca, necessaria et immutabilis, quæ in essentialibus rationalis naturæ convenientiis aut disconvenientiis fundatur, nec potest concipi aliter ac est ; porro non ita moralitas quæ penderet ab arbitrio Dei aut hominum — quæ bonum confundit cum obligatorio et ipsam obligationem ab auctoritate falsa derivat.

2. Aliunde ducit ad *absurda*, ut dicit Tullius : « Si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur : jus esset latrocinari, jus adulterare... etc., si hæc suffragiis aut multitudinis scitis probarentur [6]. »

3. Amplius et *involvit* quemdam *atheismum* : nam sententia quæ instituit Opinionem publicam aut Statum, boni et mali conditorem, quædam est utriusque divinisatio ; — quæ vero Deum dicit ex arbitraria voluntate decrevisse moralitatem, Ipsi modum agendi tribuit, qui divinitatem dedecet.

Hinc, quædam esse mala quia prohibentur, juristis concedendum est : sunt autem quæ prohibentur, quia mala sunt. Prohibitio autem mali, sicut obligatio boni, æquiparari nequit coactioni externæ, sed ab ipsa ratione promulgatur ut lex ipsius naturæ humanæ (supra, n. 22-23).

43. Quatenus falsus est de imperativo categorico KANTISMUS [7].

Contendit Kant rationem esse autonomam seu a Ratione divina

1. **Saint-Lambert**, *Les principes des mœurs chez toutes les nations*, 1798 ; — **Cousin**, *Cours d'hist. de la phil. morale au* XVIIIe *s.*, 1840, leç. 5e ; — cf. **Lactantius**, *Inst.*, L. V, c. 16. — 2. **Hobbes**, *De cive*, 1642, c. XII, § 1. — 3. *De jure naturæ et gentium*, 1672, L. I, c. 2. — 4. *IV Sent.*, dist. L, q. 2. — 5. *Lettre* 48, éd. Garnier. — 6. *De legibus*, I, c. 43. — 7. **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 397-436 ; — **Castelein**, *Ibid.*, p. 181-185 ; — **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 463, 467.

independentem : essentiam vero boni moralis necnon obligationem in conscientiæ « *imperativo categorico* », i. e., absoluto, reponit. Quærenti vero cur hoc dictamen conscientiæ sit independens a ratione divina, respondet : quia, si esset dependens, jam non esset absolutum, sed conditionatum : fac hoc aut illud, *si* Deus existit, *si* vis Deo obedire : — **Sed contra**. hoc systema :

1° *Caret fundamento*. — Siquidem, juxta Kant, notiones metaphysicæ boni, mali, finis et obligationis sunt mere subjectivæ. Ergo forsan illusoriæ. — Aliunde sunt factum psychologicum individuale et mere contingens, nec possunt esse fundamentum obligationis universalis et necessariæ.

2° Subvertit *notionem boni*, nam Kant asserit illud tantum esse bonum quod a conscientia imperatur. — Sed contra : bonum non est semper obligatorium, sed potest esse tantum de consilio, non de præcepto ; unde multo plura sunt bona quam obligatoria (n. 38).

3° Subvertit totam *vim obligationis*, nam dictamen absolutum conscientiæ esset sine ratione absoluta, ac proinde irrationabile. Conscientia quidem non imperat modo conditionato : fac hoc aut illud, *si* Deus existit ; sed imperat absolute, *quia* existit Deus seu Ratio æterna illud præcipiens.

4° Adde quod *contradictoria* est regula kantiana : « age ita ut actus tuus sit norma omnis actus liberi » : nam implicite supponit objectivitatem Rationis absolutæ, quæ singulis superior est, utpote quæ omnibus imperat.

Obj. — Ratio *intimat voluntati obligationem*. Ergo illam obligat.

Resp. Ratio cognoscit obligationem, *conc.* : efficit tanquam legislatrix voluntatis, *nego* vel *subdist.* : tanquam legislatrix dependens et imperans nomine Dei, *conc.* ; independens et in suo nomine, *nego*.

Inst. — Sed intimat quin *cogitet de Deo* : ergo suo nomine tantum.

Resp. : *Dist. ant.* Intimat, quin cogitet explicite, *conc.*, implicite, *nego* : siquidem intimat ordinem superiorem propriæ personæ, necnon absolute universalem, cujus Auctorem atheus ipse sine contradictione negare non potest.

44. Quatenus falsus est AUTONOMISMUS **rationalistarum** [1].

Rationalistæ, duce Kant, contendunt etiam rationem humanam esse autonomam et ab omni Metaphysica independentem esse Ethicam. Cujus enim principia fundantur vel in factis contingentibus ope experientiæ inventis et præsertim in facto quod voluntas rationi subordinatur, vel ad minus in analysi naturæ hominis. — Sed contra fere omnes hodiernæ moralis patronos sit

1. Cf. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 125-133.

THESIS

Autonomismus rationalista destruit notiones boni et mali moralis, vim obligationis et totum ordinem moralem [1].

I. **Notiones boni et mali** absoluti non possunt fundari in experientia mere contingenti et variabili, sed tantum in ratione absoluta Dei ; diruto autem hoc fundamento, jam non esset absoluta moralitas, sed contingens et relativa.

II. Rueret simul tota **vis obligatoria** præcepti [2] ; nam

a) Ratio individua non est homini *superior*, sed pars ejusdem personæ. Ergo non potest hominem obligare. — Nec dicas aliquem posse erga seipsum se obligare, nam nemo potest esse inferior sibi simul et superior.

b) Nullum est *imperium* absque voluntate : ergo ratio sola non potest imperare voluntati. — Constat antecedens : nam, etsi imperium est formaliter actus rationis (n. 31), non tamen sine prævio voluntatis actu fit [3]. — Constat consequens : secus ratio imperaret voluntati virtute voluntatis propriæ, quod idem est ac si voluntas imperaret sibi : hoc autem prorsus est impossibile, nemo enim potest sibi imponere præceptum.

c) Evanesceret obligationis necessaria *sanctio* : si enim darentur peccata mere philosophica, — seu contra solam rationem, non autem contra Deum, — ad rationem pertineret hominem punire vel remunerare : hoc autem insufficiens esse in multis casibus ad bonum operandum nemo nescit.

III. Rueret denique **totus ordo moralis**, nam, data rationis humanæ autonomia, homo esset sui ipsius finis, nec altiori fini subordinaretur.

COROLLARIUM.

Hinc malum ex quocumque defectu : autonomismus seu quælibet Ethica independens proximum affert principium moralitatis, nempe rationem humanam sed negligit ultimum, quod est ratio divina (n. 37) ; similiter ponit aliquod fundamentum obligationis nempe exigentias et leges naturæ humanæ, minime autem solidum et verum, quod reponi debet in Deo, cujus est vox ratio individua et sine quo non est lex nec datur obligatio (n. 14, 17, 22) : ita thomistarum Ethica.

1. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 371. — 2. **Ferretti**, *Loc. cit.*, p. 340 ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 1. — 3. *Ibid.*, q. 17, a. 4.

ARTICULUS III

De Fontibus moralitatis.

45. Quinam sint et non sint FONTES moralitatis objectivæ ?

A. — **Fontes moralitatis** sic vocantur, *quia ex eis hauritur moralitas materialis, sive bona sive mala, actus humani* [1].

Hi fontes **tres sunt** : *objectum, circumstantiæ* et *finis.* — Primo quidem *objectum*, circa quod actus humanus versatur : hic enim est actus voluntatis ; porro species actus pendet ab objecto formali ; ergo « prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti [2] ». — Secundario *circumstantiæ* : ratio est quod perfectio rerum moralium, sicut et naturalium, non a sola substantia, sed etiam ab accidentibus substantiæ additis manare debet. Hæ vero circumstantiæ, quæ sunt quasi accidentia actus, in hoc versiculo continentur :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Denique *finis* : finis enim est id propter quod agimus, et nemo agit nisi propter quoddam bonum ; unde fit ut operari habeatur ad finem ut esse ad causam [3].

Ex quibus est axioma : « Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. » Id est, ut actio moraliter bona sit, requiritur ut ex parte tum objecti, tum circumstantiarum, tum finis, regulæ moralitatis consentiat ; ut autem mala sit, sufficit ut ex unico capite a norma prædicta (n. 37) deficiat.

B. — Utrum autem fieri possit ut neque ex objecto, neque ex circumstantiis, neque ex fine, aliqua species moralitatis in actum derivetur, aliis verbis, **utrum sint actus indifferentes** ?

Resp. 1. *Affirmative*, juxta omnes, si actus in abstracto seu secundum objectum tantum consideratur : siquidem multa sunt objecta, v. g., deambulare, manducare, quæ ex se nec bona nec mala sunt, sed moraliter indifferentia.

Resp. 2. *Negative*, contra plures, si actus « in individuo » seu secundum circumstantias et præsertim finem spectatur.

Hæc solutio logice defluit ex altioris doctrinæ principio jam exposito (n. 6, 16) : revera quilibet actus humanus necessario est pars unius seriei, in qua homo saltem virtualiter intendit aliquem finem ultimum. Porro ille finis ultimus, cujus influxus exercetur in finem proximum præsentis actionis et deliberate intentum, naturæ rationali seu regulæ moralitatis conformis vel non sit oportet ; si prius, bona ; si posterius, mala erit actio [4]. Ergo non dantur actus indifferentes in individuo.

Hæc autem omnia breviter, quia fusius in Theologia morali.

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 18-19 ; q. 99, a. 8 et 6 ; — **Billuart**, *De act. hum.*, dissert. v. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 18, a. 2. — 3. **Sum. theol.** *Ibid.*, a. 4. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 18, a. 8, 9 ; q. 19, a. 10.

CAPUT TERTIUM

DE MORALITATE FORMALI ACTUUM HUMANORUM [1]

45*. Moralitas « constituitur ex actu elicitivo, quasi materia, et ex judicio practico rationis quasi forma [2] » : quare moralitas *formalis* constituitur per relationem convenientiæ aut disconvenientiæ actus cum tali judicio. — **Triplex** autem judicium intellectus practici intervenit in actu morali ; sic enim ratio procedit : Malum est vitandum, ecce *synderesis* ; porro homicidium est malum : ecce *scientia moralis* ; ergo hoc homicidium hic et nunc non est mihi faciendum : ecce *conscientia moralis*. De singulis pauca.

ARTICULUS I

De Synderesi [3].

46. Quid sit SYNDERESIS quoad rem et quoad nomen ?

A. — **Synderesis definiri** potest : *judicium habituale speculativo-practicum, circa prima principia legis naturalis et moralitatis* : v. g., bonum est faciendum (n. 31).

Est 1. *Judicium speculativo-practicum.* Nam triplex est judicium : — speculativum, v. g., Deus existit ; — speculativo-practicum : v. g., bonum est faciendum, furari est malum ; — practico-practicum, v. g., hoc particulare furtum, quod intendis, malum est (Psych., n. 104).

2. Versatur *circa prima judicia.* Unde differt a scientia morali : hæc enim circa conclusiones, sive primarias sive secundarias ; illa circa prima principia tantum moralitatis versatur.

B. — Dixi *synderesim* esse *judicium habituale*, vel etiam *habitum primorum principiorum moralium.* In hoc autem consonat **suo nomini** : nam synderesis, vi vocis (σὺν τήρησις conservatio) habitum naturalem indigitat, in quo firmiter retinentur prima principia moralitatis. — Principia enim illa sunt nobis indita seu naturaliter cognita, ex se evidentissima et per se nota : invincibiliter ignorari nequeunt, nec deleri in universis. Delentur tamen in particulari operabili sed improprie seu « secundum quod ratio impeditur applicare

1. **Gillet**, *Les actes humains*, p. 456-461. — 2. **Zigliara**, *Eth.*, L. II, c. I, a. 1, n. 4 ; — **Sum. theol.**, I, q. 82, a. 4 et ad 1. — 3. Cf. **Lottin**, *La syndérèse chez S. Albert le Grand et S. Thomas*, in *Rev. néo-scol.*, nov. 1926 et fév. 1928.

commune principium ad particulare opus, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem [1] ».

47. Utrum et quodnam sit PRIMARIUM Ethicæ principium [2] ?

Jam principium moralitatis, quo aliquid *honestum* est vel non, supra (n. 37) indicavimus ; nunc principium summum vi cujus aliquid est vel non *præceptum*, determinat sequens

THESIS

Primum Ethicæ principium illud est axioma legis naturalis : Bonum est faciendum et malum vitandum.

Prob. — ex dotibus principii prælaudati ; habet enim in suo ordine dotes primarii principii (Crit., n. 34-36) [3].

Imprimis est *evidens* : sponte enim sua defluit e ratione boni quod definitur : id quod est appetibile.

Est *simplicissimum* : notiones enim boni et voluntatis sunt primariæ notiones Ethicæ, et respectum dicunt ad invicem.

Est et *universalissimum* ; nam exprimit in universum bonum esse faciendum, malum vitandum : porro alia principia seu præcepta particulares determinationes boni præcipiunt, aut mali prohibent : ergo adæquate complectitur objectum cujuslibet præcepti legis naturalis.

Denique est *ultimum* in quod resolvuntur omnes scientiæ moralis conclusiones, ut patet exemplis. Sic enim ratiocinari licet : bonum est faciendum ; atqui Deum colere est bonum ; ergo Deum colere debemus. Vel etiam : malum est vitandum ; sed furari malum est ; ergo furari non licet... Et ita de cæteris, quas affert hæc aut altera scientia particularis (n. 49).

48. Quænam sint FALSA Ethicæ prima principia ?

Ad errores præcipuos [4], de quibus supra, sc. ad *egoismum, sociologismum, rationalismum* et *optimismum* facile revocantur.

I. Ad **egoismum** sponte deveniunt Epicurei, et fautores moralitatis de proprio commodo, gallice *de l'intérêt personnel*, uti vocant [5]. Juxta Thomasium : « Age semper ea, quæ concurrent ad vitam felicem, quietam et diuturnam [6]. » Juxta Fichte : « Dilige teipsum super omnia et omnia in ordine ad teipsum. »

Jamvero hæc principia ex una parte non sunt universalissima, nam præter bonum proprium, est etiam bonum alienum, sive particulare, sive generale ; ex altera vero ultima non sunt, non

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 94, a. 1, 4, 6 ; — **Rom.**, I, 20-21 ; II, 14. — 2. **Liberatore**, *Eth.*, n. 99-102. — 3. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 162. — 4. **Roselli**, *Sum. Phil.*, *Eth.*, q. 94, a. 2. — 5. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 136-158. — 6. *De fund. jur. nat. et gent.*, I, c. 6.

enim nosmetipsos, sed Deum super omnia et omnia in ordine ad Deum diligere debemus [1] (n. 39).

II. Bonum **sociale** plures habent ut præcipuum legis objectum, imprimis Hobbes [2], Grotius, Pufendorf [3] et Her. Spencer : juxta eos « *hominis est colere et servare bonum societatis* [4] ».

Sed contra : hujusmodi principium nec est evidens, nam incitat etiam ad scelera, si prosint societati ; — nec est primum chronologice : homo enim prius de bono proprio, quam de bono societatis cogitat ; — nec est universalissimum, non enim includit officia erga nosmetipsos, neque erga Deum ; — nec tandem ultimum est : non enim omnia ad societatem ut ad finem ultimum sunt ordinanda (n. 40).

III. Ad **rationalismum** vel *liberalismum* confugiunt stoïci, Kantistæ, necnon Cousin et Damiron, qui rationem autonomam regi volunt ideis suis quasi norma infallibili. Audi Kant : « *Sic age, ut lex quam voluntati tuæ præstiteris, valere simul possit pro tota natura humana.* » Cousin : « Liber es, liberum te serva. » Damiron : « Age secundum evolutionem facultatum tuarum [5]. »

Hæc autem *sunt falsa* : non enim ratio, nec voluntas, nec facultas quælibet bonum constituunt, quarum e contra exercitium et evolutio bono honesto regulari debent. — Adde quod 1ª regula ducit ad stoïcismum, qui proprium commodum immerito negligit ; 2ª ad contemptum legum, quæ libertatem restringunt ; 3ª ad impossibilia, sicuti est evolutio suarum omnium facultatum, etiam sensitivarum, in pari et maximo gradu (n. 41, 43).

IV. Denique **optimismo** favent plures, v. g., ontologistæ : « voluntas τὸ plus entis τῷ minus entis anteponat » : secus non concordaret cum intellectu ; — speciatim Malebranche : « *Oportet ut velimus et amemus cum Deo*, nam cum Ipso cognoscimus [6] » ; — Balmes etiam [7] : « Actus tuus ab amore Dei procedat », nam viget paritas inter moralitatem Dei et hominis ; — itemque stoïci et pharisæi cujusvis temporis (n. 41).

Jamvero, ut patet, hæc principia distinctionem inter præcepta et consilia negligunt, necnon ab homine exigunt perfectionem, quam his in terris servare nequit, vel ad quam singuli, quia inæquales, non tenentur (n. 38).

ARTICULUS II

De Scientia Morali.

Tria licet investigare : an et quænam *requiratur*, quænam de facto *insit* hominibus, et *unde* proveniat scientia moralis.

49. Quænam REQUIRATUR scientia legis ad moraliter agendum ? Certum est *aliquam* legis naturalis scientiam **requiri** ad

1. **Heineccius**, *De jure natur. et gent.*, L. I, c. III, a. 77. — 2. **Hobbes**, *De cive*, c. II, a. 2. — 3. **Pufendorf**, *Inst. jurisp. div.*, L. I, c. 4. — 4. **Castelein**, *Ibid.*, p. 162-164. — 5. **Cousin**, *Op. cit.*, p. 92 ; — **Castelein**, *Ibid.*, p. 158-162, 164-171. — 6. *Traité de morale*, ch. III. — 7. *Phil. fond.*, t. III, c. 20.

moraliter agendum ; secus deficeret actus proprie seu formaliter moralis (n. 45*).

Porro **duplex est** cognitio legis, alia *vulgaris*, alia *scientifica* : prior quæ vulgo competit et qua rem esse bonam vel malam confuse, sed certo scitur ; posterior quæ, cur res sit bona vel mala, apprehendit et quam docti habent. Jamvero

1. Cognitio *vulgaris* evidenter requiritur. Ille enim solus moraliter agit, qui intendit actionem bonam perficere aut malam perpetrare ; qui vero nescit etiam confuse actionem suam legi conformem esse vel contrariam hanc bonitatem et malitiam nullo modo intendere potest. Ergo nec agere moraliter.

2. Cognitio vero *scientifica* seu per causas, minime requiritur. Hanc enim non habent rudes, nec etiam plures docti qui de fundamento moralitatis in varias abeunt sententias. Hi tamen, quia bonitatem aut malitiam objecti intendunt, moraliter agunt. Ergo minime requiritur scientifica ratio.

50. Quænam naturaliter INSIT homini scientia moralis [1] ? Certum est omnes homines, rationis usu perfruentes, distinctionem inter bonum et malum admittere, necnon prima principia tenere in synderesi. — Sola difficultas versatur **circa conclusiones**, de quibus est scientia. Porro

1° Quoad *conclusiones proximas*, omnis homo pollens usu rationis, *præcipuas* saltem, cognoscere potest et de facto cognoscit. — *Potest* cognoscere : nam lex naturalis non libere a Deo, sicut lex positiva, intimatur, sed necessario homini datur cum ipsa natura rationabili. Qui vero habet principia, quomodo ullam conclusionem inferre non posset ? — De facto *cognoscit*, ut consentiunt auctores et probatur historia (n. 35).

Dixi : *saltem præcipuas* : utrum enim una vel altera possit ab aliquibus invincibiliter ignorari, pronuntiare difficillimum est. Potest enim conclusio in se proxima, *relative* ad hominem rudem esse remota ; nam divisio in conclusiones proximas et conclusiones remotas, non est sic absoluta, quin etiam ab uniuscujusque ingenio aliquatenus pendeat.

2° Porro quoad *conclusiones remotas*, ratio humana, cum sit imbecillis, eas etiam invincibiliter ignorare potest. — Et hoc quidem propter tria impedimenta ; scilicet aliqui « habent depravatam rationem ex passione, vel ex mala consue-

1. **Fargos**, *La liberté et le devoir*, p. 269.

tudine, aut ex mala habitudine naturæ [1] ». — Nec mirum, cum etiam docti, in practicis sicut in speculativis, bona tamen fide, disputent et abeant in hanc vel alteram partem : ergo a fortiori rudes in longioribus ratiociniis errare possunt.

51. Hinc SOLA RATIONE habetur Ethica, sed imperfecta [2].

I. **Habetur**, contra traditionalistas. Juxta eos, lex naturalis promulgari non potuit nisi revelatione positiva, quæ protoparentibus a Deo primitus facta, deinde per educationem fuit transmissa. — Sed contra : etsi lex naturalis *de facto* per educationem, quæ via brevior est et tutior, communiter innotescit ; *de jure* tamen traditio non est necessaria, ut homo cognoscere possit primarias saltem legis naturalis veritates (Log., n. 103).

II. Sed **imperfecta**, contra rationalistas. — Probatur :

1° *Historia* [3]. Certum est enim homines, etiam ingenio conspicuos, nempe Socratem, Platonem, Aristotelem aliosque veteres, non solum multa ignorasse, verum etiam plura docuisse falsa circa legem naturalem. — Similiter, quoties Ethica mere naturalis in honore fuit, disseminati sunt pessimi errores et mores, sive apud veteres, sive etiam apud recentes.

2° *Ratione*. Etsi enim ratio humana absolute non est incapax cognoscendi veritates morales, moraliter tamen et in statu præsenti, genus humanum notitiam legis naturalis perfectam et completam adipisci nequit. — Cujus ratio *philosophica* est, sive imbecillitas rationis humanæ, sive difficultas et complexio quæstionum, sive influxus passionum : — ratio vero *theologica* est destinatio hominis ad finem supernaturalem : unde fit ut Deus deneget auxilium, saltem permanens et efficax, iis qui moralem naturalem sibi sufficere prætendunt [4].

Ex quibus colliges quanti sit momenti, etiam in ordine naturali, divina revelatio, cui debetur Ethica rationalis perfecta.

ARTICULUS III

De Conscientia morali [5].

52. Quid, qualis et quotuplex sit CONSCIENTIA ?

A. — Ex dictis de existentia legis moralis ejusque cognitione, facile percipitur **quid sit conscientia** moralis : *Judicium* nempe *intellectus practici quo fit legum moralium applicatio actibus humanis in particulari* (n. 31).

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 94, a. 4. — 2. **Schmidt**, *Origine et évolution de la religion*, circa fin. — 3. **Castelein**, *Ibid.*, p. 314-348. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 31, a. 4. — 5. **Farges**, *Ibid.*, p. 305-330 ; — **Valensin**, *Op. cit.*, I, p. 211-221, p. 403, c. n ; — **P. Noble**, *La conscience morale*, 1932 ; — **Sertillanges**, *La philos. morale de S. Thomas d'Aq.*, p. 531-535.

Quapropter hæc applicatio, explicite vel implicite, semper est conclusio syllogismi ; v. g., malum est vitandum ; sed furtum est malum ; ergo furari hanc Joannis crumenam mihi est vitandum. Porro « synderesis in hoc syllogismo quasi majorem ministrat ; minorem ministrat ratio superior et inferior ; sed consideratio conclusionis elicita est a conscientia [1] ».

B. — Conscientia **testis, præco Dei**, et **judex est**. Unde « dicitur conscientia testificari, ligare vel instigare [2] ». *Primo* testimonium reddit de bono vel malo patrato ; *secundo*, dictat quid sit faciendum aut omittendum, et ita in virtute legis æternæ ligat ad bonum et avertit a malo ; *tertio*, laudat de bono patrato, de malo accusat, et sic ad pœnitentiam stimulis impellit. Unde, tria sunt conscientiæ attributa, quæ his verbis exprimi possunt : *testimonium, dictamen et remorsus*.

C. — Conscientia **dividitur** ex parte *objecti* et *subjecti*.

1. Ex parte *objecti* in *veram* et *erroneam*. Vera est quando ex principiis practicis veris et per legitimum syllogismum concludit ; falsa est, cum quis vincibiliter vel invincibiliter errat in conclusione.

2. Ex parte *subjecti*, conscientia *certa* est vel *dubia*. *Certa* est, cum aliquis sine rationali errandi formidine, pronuntiat aliquid esse licitum vel illicitum. *Dubia* est, cum quis actionem esse licitam vel illicitam pronuntiat motivo probabili tantum, vel simpliciter dubio, vel improbabili et leviori.

53. Quænam sit PRIMARIA REGULA directiva conscientiæ [3] **?**

Patet conscientiam *certam* simul *et veram* esse *plene rectam* : si certa *tantum* sit, utrum sufficiat et sit *practice recta*, statuit

THESIS

Ad honeste agendum unicuique sufficit et requiritur conscientia certa de liceitate actionis suæ.

I. **Sufficit**. — Qui enim habet conscientiam certam de liceitate actionis suæ, juxta prudentiæ regulas actionem intendit ; porro nihil ultra ab homine exigi potest quam ut prosequatur bonum prudenter cognitum ; ergo tunc honeste agit. — *Confirmatur*, nam voluntas mala non est, nisi malum intendat ; porro, stante conscientia certa, formaliter excluditur malum ab intentione, etiamsi materialiter sit in actione.

1. *In II Sent.*, dist. XXIV, q. 2, a. 4. — 2. **Sum. theol.**, I, q. 79, a. 13. — 3. **Ferretti**, *Loc. cit.*, p. 406.

II. **Requiritur.** — Qui enim habet conscientiam incertam, actionem dubie licitam sibi proponit contra prudentiæ regulas : sic autem agendo malum formaliter non excludit ab intentione sua, etiamsi materialiter non sit in actione. Ergo malo fœdatur voluntas ejus.

Dixi : conscientiam certam de *liceitate* actionis *suæ* ; potest enim manere dubium de *bonitate* actionis materialiter sumptæ. — Quomodo vero in praxi obtineatur hæc certitudo subjectiva, longius disputant theologi, ubi de *probabilismo* [1].

CAPUT QUARTUM

DE CONSECTARIIS ACTUUM HUMANORUM

De præcipuis tantum loquemur, quæ in ordine exsecutionis ante finem veniunt, nempe 1° de *Imputabilitate* ; 2° de *Merito* ; 3° de *Virtute et Vitio*.

ARTICULUS I

De Imputabilitate [2].

Tria quæruntur : natura, causa, objectum imputabilitatis.

54. Quid sit, undenam sit et quænam sit imputabilitas ?

A. — Imputabilitas est actus humani proprietas, *vi cujus alicui tanquam auctori suo tribui debet.* Fundatur in relatione causalitatis inter actum ejusque principium, nam actiones sunt personarum et in principium cujus sunt refundi debent.

B. — Quapropter **fundamentum** imputabilitatis est libertas in actione. Ei enim merito imputatur actio, qui actionis suæ auctor est et dominus, et, potens facere, fecit aut non fecit illam.

Hinc eadem est mensura libertatis atque imputabilitatis : seu quod tollit vel minuit libertatem, pariter tollit vel minuit imputabilitatem. Hæc contra deterministas, jansenistas, calvinistas, vel etiam quosdam theologos, qui peccatum originale vel nativitatem extra sinum Ecclesiæ, homini ad culpam *personalem* imputare videntur [3] (n. 32-33).

C. **Quænam** homini imputari possent et debeant, statuit

1. **Ferretti,** *Ibid.*, p. 412. — 2. **Farges,** *Ibid.*, p. 317. — 3. **Castelein,** *Ibid.*, thes. I et II.

THESIS

Non tantum actio vel omissio, sed effectus ex utraque promanantes, necnon actus alieni, positis ponendis, imputari possunt.

I. **Actionem vel omissionem** jure homini imputari posse constat ex dictis (B) : utraque enim in potestate ejus est.

II. Quoad **effectus,** qui ex actione vel omissione certo secuturi prævidentur, sunt etiam voluntarii *in causa* ; ergo ei qui potuit causam ponere vel non ponere, jure sunt imputabiles. Proindeque, si pravi sunt vel nocivi, imputantur ad culpam, quoties agenti incumbit obligatio sese abstinendi ab actione vel omissione ex qua sequuntur. Quandonam autem adsit vel non hujusmodi obligatio, disputant theologi ubi de voluntario *indirecto*.

III. Denique **actus alieni,** propter eamdem rationem, ei jure imputantur, qui sciens et volens, illorum vel propositi vel executionis particeps fuit. Si prius, eis cooperationem *moralem* ; si posterius, cooperationem etiam *physicam* præstitit [1].

Hinc imputabilia sunt voluntaria *in se,* sed et *in causa.*

ARTICULUS II

De Merito et Demerito [2].

Quæritur *quid* sit, *unde* sit, *cur* et *quale* sit meritum naturale et ideo quid et qualis etiam *sanctio* moralis.

55. Quid sint meritum et demeritum et sanctio moralis ?

A. — **Meritum est** *jus ad mercedem* ; *demeritum est obnoxietas pœnæ.* Hoc autem importat respectum ad alterum : unde meritum et demeritum ab aliis consectariis actus humani distinguuntur. Nam omnis actio, in se bona vel mala, est *laude* vel *vituperatione* digna, *pulchra* aut *deformis* ; prout autem fini debito conformis est vel non, dicitur habere rectitudinem vel turpitudinem ; præterea ipsi agenti affert meliorationem vel depravationem, gaudium vel tristitiam. Sed, in quantum affert *alteri* « profectum vel nocumentum [3] », meretur præmium aut pœnam. — Dico *alteri* : unde ad *remunerationem*, requiritur persona moralis ab ipso agente distincta, et cui cedat in emolumentum aut nocumentum actio meritoria vel demeritoria : nam, ex una parte, nemo erga se ipsum

1. Cf. **Castelein,** *Ibid.*, p. 9-19. — 2. **Farges,** *Ibid.*, p. 323 ; — cf. **Piat,** *Les sanctions*, an. 1909. — 3. **Sum. theol.,** I-II, q. 3.

meretur aut demeretur ; ex altera vero, nemo tenetur alium remunerari ex justitia et secundum æqualitatem, nisi propter bonum ab eo acceptum.

B. — Jamvero **sanctio moralis** est *complexus præmiorum et pœnarum*, quæ ab Auctore ordinis moralis, prout hunc ordinem servaverint aut violaverint, dantur omnibus — et *dari debent* : conscii enim sumus liberas actiones nostras non solum nobis imputari, sed debere conformes esse naturæ humanæ et ordini, qui a nobis independens est, ideo imputari ad præmium vel ad pœnam seu positas fuisse sub conditione sanctionis justæ.

56. Utrum homo mereri POSSIT aut demereri apud Deum ?

THESIS

Homo, etiam apud Deum, mereri aut demereri potest.

Prob. 1°. — **Ex natura actionis.** Etenim, actus bonus aut malus considerari potest vel relative ad Deum, vel relative ad totam communitatem ; sed, in utroque casu, agens meretur aut demeretur *apud Deum*. — 1. Si prius seu ex parte Dei, meretur ; nam qui facit actum bonum relatum in Deum, dat honorem Deo debitum. — 2. Si ex parte totius communitatis, meretur etiam apud Deum ; nam qui agit juxta legem, agit in bonum commune. Porro, cum Deus sit gubernator et rector totius universi, ad Eum pertinet retribuere pro his quæ bene vel male fiunt in bonum commune [1].

2°. — **Ex necessitate sanctionis** legum. Nempe, Dei sapientia et sanctitas requirunt ut sanctio legi morali apponatur : *sapientia*, secus enim lex esset illusoria et effectum suum non attingeret ; *sanctitas*, quia Deus non potest æquali modo se habere erga bonum et malum. Sed, si actus moralis nec præmio nec pœna esset dignus, sanctio seu constitutio præmii vel pœnæ, pro legem observantibus aut violantibus, esset injusta. Ergo prælaudata sanctio supponit meritum.

Nec dicas contra vim *majoris* sanctiones hujusce mundi sufficere, quales sunt consequentiæ actionum immanentes, pœnæ legales, opinio publica, remorsus conscientiæ. — Hæc enim non esse universalia nec proportionata singulorum meritis, nemo nescit.

Obj. — Homo nec affert Deo emolumentum nec nocumentum ; unde non potest apud Deum mereri aut demereri.

1. **Sum. theol.**, q. 21, a. 3 et 4.

Resp. — *Dist. ant.* : homo non affert Deo emolumentum nec nocumentum, essentiale et intrinsecum, *conc.* ; accidentale et extrinsecum, *neg.* ; nam actibus nostris gloria Dei accidentalis « accrescere vel deperire potest [1] ». — *Dist. cons.* Unde non potest hominis ad Deum esse meritum ex justitia secundum absolutam æqualitatem, *conc.* ; secundum æquitatem quamdam, *nego*, id est, *ex condigno* (n. 66) et præsupposita divina ordinatione [2].

57. Utrum agere liceat INTUITU meriti et remunerationis ?

Kant, Jouffroy, Charma et alii stoïci [3] recentiores ethicam propugnantes sine « interesse proprio », præcipiunt **officium propter officium**, « le devoir pour le devoir », voluntque hominem a sua intentione excludere quamlibet spem meriti et remunerationis, sicut et omnem metum demeriti et pœnæ.

A. — At **latet error** (n. 12) in theoria sub specie eudemonismi. Ultro fatemur adesse spem et metum servilem ab Ethica proscriptum. Revera fieri potest ut aliquis ita removeat a sua intentione bonitatem moralem actus, ut illius commodum et utilitatem unice intendat. Sed talis agendi modus evertit ordinem rerum naturalem, nam remunerationem moralitati actuum præposteram esse requirit. — At vero, qui bonitatem moralem simul et remunerationem intendit, ab ordine morali non recedit, siquidem legislator ipse incitat ad viam virtutis nimis arduam, spe remunerationis et metu pœnæ. Ergo cum intentione hujusmodi bonus est actus.

B. — **Dicunt** : melior est actus qui amore officii unice peragitur, sine ulteriori desiderio remunerationis aut metu pœnæ. — Perfectior sane, sed *duplex* est *excessus vitandus*, nempe :

1° Ne quis, immemor conditionis suæ, prætendat omissionem actus spei et timoris esse posse statum normalem et habitualem hominis (Psych., n. 118).

2° Ne a fortiori removeat explicite ab intentione sua remunerationem æternam ; nam beatitudo, utpote finis ultimus hominis, est obligatoria, non vero libera, nec unquam ab intentione positive excludi licite potest (n. 11-12).

58. En præcipuos CHARACTERES SANCTIONIS moralis [4].

1. Est *ordini intrinsecus annexa*, non mere pœnalis et extrinseca. Ordo enim moralis est apta dispositio mediorum ad finem, i. e., ad Deum seu beatitudinem. Sed talis ordinatio ex se importat et exigit obtentionem finis. Ergo qui servat

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 114, a. 4. — 2. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 1. — 3. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 105-108. — 4. **Sertillanges**, *Philos. mor. de S. Thomas d'Aq.*, p. 591.

media, beatitudinem ; qui respuit, infelicitatem consequatur necesse est.

2. Est *absolute certa*, quia ordinis Auctor providus est et infallibiliter assecurat consecutionem ordinis, retribuendo sive bonis præmium sive pœnas malis, qui et ipsi saltem justitiam Dei laudent.

3. Est *in potestate hominis*, quia media, quæ necessario ducunt ad finem ordinis, sunt actiones liberæ, quæ extrinsecus et fortuito causarum concursu nullatenus impediri possunt. Hinc remunerationes virtutis, sive *naturales* ut gaudia conscientiæ, sive *sociales* ut bona fama, quia non dependent a voluntate nostra, non possunt esse finis aut sanctio ordinis.

4. Non est *temporalis*, quia beatitudo brevis hujusce vitæ non semper comitatur virtutem et observationem ordinis, cumque Deus sit beatitudo hominis, æterna requiritur sanctio cum animæ immortalitate.

5. Est *obligatoria* in eo sensu quod sanctio, quum sit consecutio normalis ordinis, respui nequit nec ab ipso ordine separari, etiam in mera intentione, et saltem absolute, ut dictum est (n. 12, 57).

6. Erit, in die judicii, *scripta* in dispositione mentali hominis circa ordinem sicque conscientiæ manifesta et formaliter sancita.

Ita thomistarum Ethica, quæ jura Dei et naturæ exigentias mire conciliat et utrorumque est integralis synthesis.

ARTICULUS III

De Virtute et Vitio [1].

Virtus et vitium duæ sunt species habituum : iis ergo quæ jam dicta sunt in Psychologia (n. 162-167) de habitibus, quinque tantum addere est : nempe *quid* sint, *quot* sint, *in quo* sint, *unde* sint *et* denique *ad quid* sint virtus et vitium.

59. Quid sint virtus et vitium, quot virtutes et vitia ?

A. — **Virtus** (vir, vis) est « *bona qualitas mentis qua recte vivitur et qua nemo male utitur* [2] ».

Est *qualitas* seu potius habitus, et hoc est genus ; — *bona*, et sic differt a vitio ; — *mentis*, et hoc est subjectum virtutis

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 55-67 ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 326 ; — **Ferretti**, *Ibid.*, p. 432 ; — **Castelein**, *Loc. cit.*, th. xiv ; — **Sertillanges**, *Op. cit.*, p. 160-219. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 55, a. 4.

— *qua recte vivitur*, et sic discernitur ab iis quæ semper se habent ad malum, ut vitia ; — *qua nemo male utitur*, et ita discernitur ab iis quæ se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, v. g., passiones.

B. — Porro contrariorum eadem est ratio ; unde **vitium est** *mala mentis dispositio, qua male vivitur et qua nemo bene utitur*. Quapropter vitium, sicut virtus, duplicem habet effectum in anima, nam malum facit habentem, et jus opus malum reddit.

C. — Virtutes, sicut ipsi habitus, **dividuntur**, — imprimis vero juxta Aristotelem, — in *intellectuales* et *morales*.

1. Virtutes *intellectuales* quatuor sunt : — *sapientia*, quæ rerum altissimas causas contemplatur ; — *intellectus*, qui principia prima rerum scrutatur ; — *scientia*, quæ rationis ope conclusiones ex principiis deducit ; — et *prudentia* quæ, mediante consilio, media ad finem debitum commensurat. Cum autem prudentia supponat in voluntate amorem boni et rectam intentionem in finem, etiam computatur inter virtutes morales.

2. Virtutes ergo *morales*, juxta Socratem, si inter ea computetur prudentia, *quatuor* sunt principales seu *cardinales* : nempe *prudentia*, *justitia*, *fortitudo* et *temperantia*.

Prob. — Tot sunt virtutes, quot facultates principales honestati inservientes, necnon quot bona formaliter diversa. Porro — 1° quatuor sunt hujusmodi facultates virtute perfectibiles : ratio, voluntas, appetitus irascibilis et appetitus concupiscibilis ; — 2° quatuor sunt hujusmodi bona : bonum rationale in genere, speciatim vero justum, arduum et concupiscibile. Ergo quatuor sunt virtutes cardinales, nempe prudentia, justitia, fortitudo et temperantia [1].

D. — **Vitium** autem **duplex** respondet unicuique virtuti.

1° *Suadetur* auctoritate Doctoris Angelici [2] et Stagiritæ dicentis : « Virtus est habitus in medietate consistens, prout sapiens determinaverit », sc. per prudentiam ex dictamine rationis practicæ. Hinc adagium : « in medio stat virtus », et illud Horatii : « Virtus est medium vitiorum et utrinque reductum [3]. »

2° *Probatur* sic : malum cujuslibet regulati et mensurati consistit in hoc quod discordat a sua regula vel mensura. Sed a regula discordari potest dupliciter, et per excessum et per defectum. Ergo duplici parte vitium inerit actibus humanis, qui ratione humana regulari et mensurari nati sunt.

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 61, n. 2 ; — **Castelein**, *Ibid.*, p. 304. — 2. **S. Thomas**, *De virtut. in com.*, a. xiii ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 64 ; — cf. **P. d'Hérouville**, *La vertu et le juste milieu*, in *Revue de philos.*, an. 1910. — 3. *Epist.*, I, xviii, 9.

Inde innumera vitia, ex quibus septem *capitalia*, quorum *IIa IIæ Summæ Theologicæ* describit characteres.

60. Quatenus virtus et vitium præsertim IN VOLUNTATE sint ?

Virtus a Socrate definitur : « scientia boni », additque Plato : quippe voluntate sua malus est nemo, sed propter imperitam educationem malus fit malus [1] » ; quibus profecto plausere recentes, qui, in hominum educatione, scientiam religioni subrogandam esse volunt. — Sed **hujusmodi assertum evertit**

1. *Experientia* : videre est enim homines scientia quidem insignes, perditos autem moribus. Nec, nostris diebus, augescente scientia, crescit sed potius decrescit virtus [2]. — Quod omni tempore viguit : nam si fides historiæ, religio elevat gentes, scientia vero sola, præsertim rerum naturalium, potius generat corruptionem.

2. Nec *rationi* mirum : nam virtus est habitus electivus boni : porro electio actus est voluntatis liberæ, quæ proinde, intellectu vidente meliora, deteriora sequi poterit. — Nisi *religione* melior fiat, cujus est animis infundere amorem boni, peccati horrorem, timorem pœnarum, aliosque sensus et dispositiones, quibus homines trahuntur ad virtutem.

3. Consonat sensus *communis* hominum, quibus profecto non docti homines sed sancti videntur boni sine addito ; id est, non qui magnum sortiuntur intellectum, sed qui intellectu suo et libertate sua recte utuntur.

Hinc merito Aristoteles : « Ad virtutes autem scire quidem parum aut nihil prodest [3] » ; imo aliquando nocet, nam charitas quidem ædificat, scientia vero profana sæpe vel inflat, vel mentem terrenis rebus implicat et detinet.

Dixi : *præsertim in voluntate*, nam facultates quæ indirecte concurrunt ad actum moralem perficiendum, dicuntur etiam subjectum virtutis, ut, v. g., appetitus sensitivus uterque et intellectus in ordine ad voluntatem (cf. Psych., n. 164).

61. UNDENAM et AD QUID sint virtus et vitium ?

A. — **Undenam ?** Habitus, quibus facultates fiunt habiliores ad agendum, a *natura* initium habent, — sed perficiuntur **actibus repetitis.**

Constat Ium ; natura enim conatu inclinat ad agendum, dat habitum primorum principiorum, temperamentum seu indolem ad virtutem aut ad vitio proclivem... etc. — Constat 2um experientia : unde habitus morum, sicut scientiarum et artium, merito dicuntur habitus acquisiti [4] (Psych., n. 162, 164).

1. In *Timæo*, ad fin. — 2. Cf. *Statist. du min. de l'Instr. publ.*, 1865, 1893, etc. — 3. *Eth. ad Nicom.*, L. II, 1. 4. — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 63, a. 1 ; — **Aristoteles**, *Eth.*, II, 1.

B. — Virtutes autem homini sunt ad finem **necessariæ.**

Prob. — Ad perfecte vivendum, requiritur ut homo constanter, prompte et delectabiliter ponat actus bonos, actusque malos omittat. Hoc autem, præsertim ob passiones [1], præstare non valemus sine adjutorio virtutis. Ergo requiritur virtus.

Constat *minor*. Sunt enim passiones, physice quidem utiles, moraliter autem nec bonæ nec malæ [2], quæ vero magnum exercent influxum sive in decisionem, sive in executionem voluntarii ; porro virtutis est passiones in bonum regere, ne vitiorum fiant adminicula (Psych., n. 58-61). « Ne culpam ergo in rem ipsam (passionem) conferamus, sed semper in nostram mentem [3] » ; — semper enim vincibilis est passio : « La victoire sur ses passions est toujours possible et constitue la plus glorieuse et la plus utile des victoires [4]. »

Necessariæ igitur et optandæ virtutes, quæ, sicut vitia, sunt fructus operum, dein eorumdem fiunt principia (n. 32, B. c.).

1. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 309 ; — **Ferretti**, *Loc. cit.*, 159-164. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 24, a. 1 et q. 19, a. 2. — 3. **S. Augustinus**, *Expos. in Psal.* 148, n. 4. — 4. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 410.

ETHICÆ PARS POSTERIOR

SEU

ETHICA SPECIALIS[1]

Cum homo, quatenus persona, aliquod sit individuum, et quatenus animal sociale, « naturaliter sit pars alicujus multitudinis », Ethica specialis sponte dividitur in duas partes : — I. *De Jure individuali* ; — II. *De Jure sociali*.

LIBER PRIMUS ETHICÆ SPECIALIS

DE

JURE INDIVIDUALI

Jus individuale continetur in officiis et juribus, quæ unicuique individuo competunt, sive erga Deum, sive erga seipsum, sive erga alios homines privatos. Unde tria sunt capita, quibus aliud præmittitur : I. *De Jure et Officio in universum* ; — II. *De officiis erga Deum* ; — III. *De officiis erga Seipsum* ; — IV. *De officiis erga Alios*.

CAPUT PRIMUM

DE JURE ET OFFICIO IN UNIVERSUM[2]

Disserere est 1° *de Jure* ; — 2° *de Officio* ; — 3° *de Relationibus* juris et officii.

ARTICULUS I

De Jure.

62. Quid sit jus quoad nomen et quoad rem ?

A. — **Jus** (a *jubendo*[3], vel *justari*[4]) semper designat aliquid cum lege connexum. Quandoque enim ipsam legem vel codicem

1. Cf. **Castelein**, *Droit naturel*, 1903 ; — **Justinianus** ; — **Gratianus**, *dist.* 5 ; — **Suarezius** ; — **Pufendorf** ; — **Bastiat**, **Périn** ; — **Le Play**, *La réforme sociale* ; — **J. Simon**, *Le devoir*, 1854, caute legendus. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 57. — 3. **Forcellini**, *Lex.*, voc. *Jus* ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 57, ad 1. — 4. **Dom. Soto**, *De just. et de jure*, L. III, 1, a. 1.

legum significat, quandoque objectum legis, quandoque legis effectum[1].

B. — Stricto sensu **definitur** : *Potestas moralis quam unusquisque habet in rem suam, vel ad rem sibi debitam.* Hinc

1. *Essentia* juris non in potestate physica consistit, sed morali, id est, quæ fit secundum rationem et regulas morum. Nam vis potest esse sine jure, et jus sine vi.

2. *Subjectum* juris est persona moralis, nempe intellectu et voluntate prædita ; hæc enim sola, sive sit individua, sive collectiva, potest exercere potestatem moralem.

Errant igitur philosophi recentes, Ahrens[2] et Damiron, qui Pythagoræ et Empedoclis sententiam renovantes, brutis jura inesse contendunt, quæ homines deberent religiose servare[3].

3. Habet enim jus suum *effectum* seu correlativam obligationem in *altero*, qui etiam persona moralis est (n. 67).

4. *Objectum* juris immediatum est actus moralis, quem quis facere, aut ab alio exigere moraliter potest : v. g., jus habeo libere manducandi, aut ut servus mihi ministret cibos.

5. Denique jus nititur, occasione alicujus facti, quod dicitur *titulus*, in lege sive positiva, sive naturali, ac proinde ultimo *fundatur* in lege æterna.

63. Quænam sint juris proprietates ?

Quatuor juris proprietates ex definitione colliguntur : *inviolabilitas*, *coactio*, *limitatio* et *collisio*.

1. *Inviolabilitas* : nam contradictorium esset uni concedere potestatem libere aliquid faciendi, alteri vero jus impediendi exercitium hujusce potestatis. Tunc enim jus juri, veritas veritati opponeretur, quod non potest esse in ordine rerum a sapientissimo Deo instituto. — Similiter non esset incriminanda theoria *factorum consummatorum* vel, ut aiunt, « le droit du plus fort », vi cujus « omnia facta juris vim habent » ; quapropter « væ victis »[4] ; nam e contra « fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert[5] ».

2. *Coactio* : hæc est facultas utendi vi physica, ut jus nostrum servare, aut ab aliena persona obtinere valeamus. Jamvero hæc nova potestas priori juri, perfecto saltem, accedit et est necessaria : aliter enim jus esset sæpius inefficax, prorsus inutili et insufficienti inviolabilitate gauderet.

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 57, a. 1 et 2. — 2. **Ahrens**, *Cours de droit naturel*, 1844, quem confutat **Taparelli** : *Saggio teoretico*. — 3. Item hodierni Thiriophili, qui publicas societates instituunt in favorem animalium. — 4. **Cousin**, *Introduct. à l'hist. de la philos.*, leç. IX. — 5. **Syllabus**, 59 et 61 ap. **Denz.-Banw.**, n. 1759 et 1761.

3. *Limitatio* : nam uniuscujusque activitas, propter bonum commune, lege mensuratur quæ ipsi quasdam actiones prohibet : porro hæc legis prohibitio dicitur limitatio juris.

4. *Collisio* : sic metaphorice vocatur concursus plurium jurium circa eamdem materiam, ita ut exercitium unius impediat exercitium alterius. Porro oppositio juris cum jure non potest esse nisi tantum apparens ; secus enim verum vero et justum justo contradiceret. Hinc in conflictu duplicis juris, vel alterutrum jus non est verum, vel minus majori, v. g., jus humanum juri divino cedere debet secundum axioma : Ubi major est, minor cessat.

64. Quænam sint variæ jurium SPECIES ?

1° Ratione **finis**, dividitur jus *in jus jurisdictionis* et *jus proprietatis*. Prius est potestas moralis ferendi leges in bonum totius communitatis ; posterius est jus alios obligandi in suum bonum proprium. Hoc viget inter æquales, illud est in superioribus ; unum in natura rerum titulum habet, aliud in libero voluntatis imperio proxime nititur.

Porro jus proprietatis subdividitur in *jus in re et* in *jus ad rem*. Jus in re versatur circa rem *jam possessam* et jus ad rem circa rem possidendam seu ut res nondum habita fiat nostra : v. g., ut pecunia debita tibi tradatur.

2° Ratione **fundamenti**, jus vel nititur in ipsa hominis natura, v. g., jus vivendi, et ut sic, vocatur *innatum*, naturale, primitivum et absolutum ; vel e contra oritur ex facto quodam libero, ut est pactum inter personas habiles initum : et proinde dici solet *acquisitum*, adventitium, secundarium et hypotheticum.

3° Tandem ratione **virtutis** ad quam directe refertur, jus, si refertur ad justitiam, vocari solet *strictum* et perfectum ; si ad aliam virtutem moralem, dicitur imperfectum, *non strictum*. Unum respicit justum, aliud æquum ; hoc respondet officio imperfecto, illud perfecto (n. 66, 91).

ARTICULUS II

De Officio.

65. Quænam sint officii NOTIO et elementa ?

Officium recte definitur : *Obligatio moralis, qua voluntas ad aliquid faciendum vel omittendum astringitur.*

Hinc 1. — *Formaliter* est obligatio moralis seu vinculum, non utique physicum, sed morale, id est, quod voluntas infringere non potest quin ordo rationis turbetur et jus alterius violetur. Hinc 2. — *subjectum* officii non potest esse nisi persona moralis et libertate prædita. 3. — Similiter nemo ligatur nisi erga *aliquem*, qui habeat jus obligandi et in cujus bonum cedat officium. 4. — Hæc officia pro *objecto* habent vel actus positivos vel omissiones. 5. — Ponuntur autem vel omittuntur propter legem aliquam præcipientem vel prohibentem ; unde ultimo *fundantur* in lege æterna.

66. QUOTUPLEX sit officium ?

1. Ratione **materiæ**, officium est *affirmativum* vel *negativum*, prout voluntas ad aliquid faciendum vel omittendum adstringitur. Porro præcepta negativa obligant « semper et pro semper », id est, in omni loco, tempore et circumstantia ; præcepta vero affirmativa obligant semper, sed non « pro semper » ; videlicet, obligant solummodo tempore præscripto.

2. Ratione **principii**, dicitur *naturale* et *primitivum*, vel *positivum* et *adventitium*, in quantum nascitur a lege naturali, vel a lege positiva.

3. Ratione **sui**, officium aut debitum dividitur in *juridico-morale*, et *morale simpliciter*. Prius debetur ex justitia, v. g., depositi restitutio ; posterius ex mera æquitate aut caritate tantum, v. g., eleemosyna ; unum respondet juri perfecto et stricto, alterum juri late sumpto et imperfecto [1] (n. 64, 91).

4. Denique ratione **termini**, cuncta officia vel sunt *erga Deum*, vel *erga seipsum*, vel *erga alios homines*.

ARTICULUS III

De Relationibus juris et officii.

67. Quænam sint RELATIONES juris et officii ?

I° Ratione **originis**, utrumque a lege *proxime* oritur. Nam

a) Officium est obligatio moralis ; omnis autem obligatio oritur ab aliqua lege, quæ ligat voluntatem.

b) Jus autem est potestas vel aliquid faciendi aut non faciendi, vel obligandi alios ad aliquid faciendum aut non faciendum. Si prius, hæc potestas venit a lege naturali per-

1. Sum. theol., I-II, q. 80, a. 1.

mittente quidquid non est prohibitum. Si posterius, hæc vis obligativa oritur a lege naturali vel positiva, quæ concedit homini potestatem exigendi aliquid a cæteris. Ergo in utroque casu venit *proxime* ab aliqua lege.

c) *Ultimo* autem jus et officium procedunt a Deo, nam omnis lex temporalis *fundatur* in lege Dei æterna [1].

Hinc jurium et officiorum *fundamentum* non inquiratur in vi physica (materialistæ), nec in desideriis nativis (sensualistæ), nec in utilitate (socialistæ), nec in libertate (liberales), nec in humanitate quasi deificata (Comte), nec in solidarismo sociali (L. Bourgeois), etc. (cf. n. 38-42, 92).

II° Ratione **prioritatis** inter jus et officium, duo certa sunt :

a) Jus *in se*, absolute et ontologice sumptum, ut dicunt, prius est officio ; officium enim in *creaturis* a Deo dimanat ; Deus autem, ut summe independens, jus supremum in omnia possidet, nullis autem officiis adstringitur.

b) Sed *in creaturis* moralitate præditis, jure prius est officium, nam omne jus hominis vim et originem ducit ab officiis suis erga Deum. Hominem enim primario concipimus ut *creaturam*, quæ tum in esse, tum in operari a Deo *pendet* ; et consequenter, Deo jubente, multis adstringitur officiis. Non est igitur penes hominem officia erga Deum recusare, quin ipse omni jure destituatur, imo quin funditus evertatur moralitas, obligatio, sanctio sufficiens, basis familiæ et societatis.

Quam igitur vana sit « Declaratio Jurium hominis [2] », — quam illogica « moralis laïca », ut aiunt, a Deo independens — ac proinde quam periculosa educatio moderni Status Gallici, qui *officia erga Deum* in programmate scholarum impie et audacter ex professo suppressit [3], nemo non videt !

III° Ratione tandem **cognitionis**, lex est principium seu criterium quo jura et officia dignoscuntur : lex enim est mensura boni moralis et proinde justi, quod est una species boni moralis. Ideo jura et officia sunt simul natura et cognitione.

Cor. — Proinde sunt et dicuntur jus et officum *correlativa*, in eo sensu quod cuilibet juri obligatio seu officium respondet, non in eo sensu quod neutrum habeat prioritatem in alterum. Nam jus prioritatem quamdam, et officium dependentiam importat : nisi enim esset prioritas unius termini relative ad alterum, nulla obligatio proprie dicta concipi posset.

1. **Castelein**, *Loc. cit.*, p. 297. — 2. Cf. *Epistola* **Benedicti XV** ad Superiorem Marianistarum, in *Act. Apost. Sed.*, 1917. — 3. **Journal officiel**, *Discours de* **M. Barthou**, 12 juin 1913 ; — cf. **de Broglie**, *La morale sans Dieu*, 1886.

CAPUT SECUNDUM

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM [1]

Consulto dixi : de *officiis*, nullum enim est jus hominis erga Deum. Ea autem officia quibus Deo creatura rationalis adstringitur, religionem naturalem constituunt. De qua triplex sit paragraphus : 1° De *Religione* in se sumpta ; 2° De expressione religionis per *Cultum* ; 3° Speciatim per *Orationem*.

ARTICULUS I

De Religione in se sumpta.

68. Quid sit religio naturalis quoad nomen et quoad rem ?

A. **Religio, a religando**, indigitat vincula seu officia quibus « obstricti Deo et religati sumus [2] », ut homo « ab Eo non evagetur [3] ». — Hic agitur de religione *naturali*, cujus officia, saltem ratione modi quo manifestantur, differunt a dogmatibus et præceptis religionis *supernaturalis*.

B. — **Quoad rem**, religio sumi potest in duplici sensu :

1. *Subjective*, est dispositio seu habitus, qui definitur [4] : *Virtus moralis, per quam exhibemus Deo cultum seu honorem debitum.* Dicitur moralis et annumeratur inter partes justitiæ.

2. *Objective* est *ipsamet officiorum collectio quibus creatura rationalis, qua talis, erga Creatorem adstringitur.*

Jamvero inter hæc officia, alia sunt *theologica*, quæ directe Deum respiciunt, ut credere, sperare, amare ; alia sunt *moralia*, quæ pro objecto aliquid creatum habent, ut obedire, pœnitere, et indirecte tantum Deum attingunt.

69. Utrum homo teneatur ad officia erga Deum ?

De *necessitate* religionis naturalis errores pessimi apud hodiernos philosophos grassantur ; sunt enim qui saltem practice religionem quamlibet rejiciunt et nullum cultum Deo exhibendum esse putant. Adversus eos statuitur

THESIS

Homo, vi naturæ suæ, ad officia religionis erga Deum necessario tenetur.

Prob. — Deus est supra modum *excellens* ; homines ab

1. **S. Augustinus**, *De vera relig.* ; — **Sum. theol.**, II-II, q. 81 ; — **Tiberghien**, *Commentaire de l'encycl. « Rerum Novarum »*, p. 24-41 ; — **Thamiry**, *Fondements de la morale*, p. 8-21 ; — **Henri Brun**, *La société chrétienne d'après les enseignements pontificaux*, II, p. 15, 18 ; — **Robinot-Marcy**, *Aux prises avec l'apostasie des masses*, 1930, p. 771-187 ; — **Magnin**, *Laïcisme et laïcité*, 1930. — 2. **Lactantius**, *Inst.*, L. IV, c. XXVII et XXVIII. — 3. **Cont. gent.**, III, c. 119. — 4. **Sum. theol.**, II-II, q. 81, a. 2 et 4.

Eo pendent, ut a supremo *principio*; necnon ad Eum ordinantur, tanquam ad *finem ultimum*. Deo igitur solvenda sunt officia religionis : videlicet *honoris*, *famulatus* et *amoris*.

1° Honor, ratione *excellentiæ* : nam honor debetur alicui secundum gradum excellentiæ suæ. Sed Deus in infinitum transcendit omnia. « Unde ei debetur specialis honor [1]. »

2° Famulatus, ratione *dominii* ; quippe non solum esse, verum etiam in esse perseverare et agere habemus a Deo ; porro « ubi est propria et specialis ratio dominii, ibi sit specialis et propria ratio servitutis [2] ».

3° Amor, ratione *finis ultimi* ; quum enim finis ultimus, nempe Deus, sit summum bonum, sive in se, sive relative ad nos, in eum per amorem tendere oportet : « Ad Deum, nostra electio libera dirigi debet sicut in ultimum finem [3] ».

Sed **honor, famulatus** et **amor** sunt officia religionis. Homo igitur officia religionis erga Deum solvere debet.

70. Objiciunt. — Deus nullo indiget ; ergo nec religione.

Resp. 1° *Dist. ant.* : Deus non eget creaturis, *conc.* ; creatione semel effecta, aliquatenus non eget gloria sua extrinseca, et ideo religione, *nego* : hanc enim non velle non potest.

2° *Retorqueo* : homo indiget Deo : ergo et religione. Revera « Deo reverentiam exhibemus non propter Ipsum, sed propter nos ». In hoc enim perfectio hominis consistit : « quælibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima [4] ». Unde optime J. Simon : « Dieu n'en a pas besoin, dit-on. Il est vrai, mais la perfection de Dieu ne nous dispense pas de nos devoirs... C'est mal raisonner et mal faire que de chercher dans la perfection de sa nature un prétexte pour nos vices [5]. »

Inst. — Homo impar est ad honorem Deo reddendum secundum æqualitatem, ut importat justitia : ergo religio est inutilis.

Resp. *Dist. ant.* : homo Deum honorare nequit ad æqualitatem absolutam, *conc.* ; ad æqualitatem relativam, et « secundum quamdam considerationem humanæ facultatis et divinæ acceptationis [6] », *nego*.

ARTICULUS II

De Expressione religionis per Cultum.

71. Quid et quotuplex sit CULTUS ejusque VITIUM ?

A. — Religio, qua Deo essentialiter adstringimur, actibus exprimi debet ; actus autem illi exercitium **cultus** proprie dicti constituunt.

1. **Sum. theol.**, II-II, q. 81, a. 4. — 2. **Sum. theol.**, II-II, q. 81, a. 1, ad 3 et a. 3, ad 2. — 3. **Sum. theol.**, *Loc. cit.*, a. 1. — 4. **Sum. theol.**, II-II, q. 81, a. 7 ; cf. a. 6 et 2. — 5. **J. Simon**, *La religion naturelle*, 1856, p. 365. — 6. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 5, ad 3.

Si interne perficiuntur, ut cognitio aut amor, cultus est *internus* ; si externe, ope sensuum, exprimuntur, ut sacrificium aut oratio vocalis, cultus est *externus*. — Præterea, cultus in quantum est rationis applicatio notitiæ perfectionis et excellentiæ divinæ, vocatur *theoreticus* ; quatenus est exhibitio reverentiæ seu famulatus Deo debiti, nominatur *practicus*. — Item, cultus exhiberi potest ab individuis vel a societate ; ideo est *privatus* vel *publicus*.

B. — Similiter hic cultus quadruplici modo infici potest, sc. **blasphemia, impietate, superstitione** et **idololatria**. Vel enim intellectus aliquid excellentiæ divinæ detrahit, et hoc est *blasphemia* ; vel ipsa voluntas honorem Deo debitum solvere non vult, quod est *impietas* ; vel cultus exhibetur modo indigno, et hoc est *superstitio* ; vel cultus latriæ, nempe soli Deo debitus, alii tribuitur, quod est *idololatria*.

72. Utrum cultus sit jure naturali PRÆSCRIPTUS ?

Multi philosophi, præsertim inter rationalistas, de cultu falsa propugnant. *Quidam* enim docent honorem Deo exhiberi etiam ab atheis, qui Dei existentiam agnoscere timent [1]. — *Alii* vero, post Kant, opinantur amorem Dei invisibilis esse prorsus impossibilem, et inter mysticismi commenta ablegandum. — *Nonnulli* autem, cultum internum admittentes, contendunt religionem externam non esse jure naturali præscriptam. — *Alii* tandem cultum publicum, a societate civili exhibitum, respuunt ut libertati societatis oppositum. Sit adversus eos

THESIS

Cultus internus, theoreticus et practicus, itemque cultus externus, jure naturali præscribuntur.

Arg. gen. — Lex naturalis præcipit ut obsequium Deo exhibeatur ratione dominii, quod ei competit ut primo rerum principio [2]. Sed Deus est intellectus, voluntatis et corporis nostri auctor et gubernator. Ergo intellectum et voluntatem Dei notitiæ et amori, corpus autem divinis laudibus, officiisque famulatus et honoris applicari, jure naturali præcipitur.

Arg. spec. — 1° Cultus *theoreticus* præscribitur jure naturali. — Id enim a jure naturali præcipitur, sine quo Dei excellentia et dominium agnosci non possent. Atqui agnosci non possent sine cultu theoretico, id est sine applicatione intellectus rebus divinis ; quis enim Deo cultum exhiberet nisi prius Deum seu Creatorem et Dominum nostrum esse crederet ?

1. **Renan**, *Essai de morale et de critique*, p. 66, 67 ; — **Ahrens**, *Cours de droit naturel*, 1838, p. 111, ch. I. — 2. **Sum. theol.**, II-II, q. 81, a. 3 ; — **Ferd. Auburtin**, *En péril de mort*, 1929, p. 52 ; — **Coulet**, *Catholicisme et laïcité*, 1932.

Unde Seneca: « Primus est deorum cultus deos *credere*; deinde reddere eis majestatem suam, reddere bonitatem [1]. »

2º Sed etiam cultus *internus* et *practicus*. Revera voluntas sequitur intellectum. Cum autem intellectus Deum apprehendat ut Ens supremum, summum bonum, verum et pulchrum, voluntas illud Ens amare debet quantum est amabile, illud revereri et obsequio prosequi quantum meretur [2]. Quæ sunt officia cultus interni et practici.

73. 3º *Nec minus præcipitur cultus externus et privatus* : qui fit actibus a voluntate imperatis, ut sunt sacrificia externa, orationes vocales et alia similia.

1. Probatur ex *natura Dei* : quum enim Deus sit non tantum animæ, sed et corporis auctor et creator, necesse est ut « homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore [3] ».

2. Probatur ex *natura hominis* ; tum quia homini connaturale est cogitationes suas et affectus internos signis sensibilibus exprimere : tum quia « mens humana indiget, ad hoc quod conjungatur Deo, sensibilium manuductione, ut eis, quasi signis quibusdam, excitetur ad spirituales actus [4] ».

4º Hinc etiam inferetur necessitas cultus *publici* (n. 142).

Obj. — « Deum in spiritu et veritate oportet adorare [5] » ; ergo omnis cultus externus est saltem inutilis [6].

Resp. *Dist. ant.* : Deum adorare oportet in spiritu et veritate primario et principaliter, *conc.* ; exclusive, *nego*. Et vero nonnulli religionem in actibus externis, in ritibus et cæremoniis solummodo consistere falso sentiunt, dum e contra « religio habet interiores actus, quasi principales et per se ad religionem pertinentes : exteriores vero actus, quasi secundarios et ad interiores actus ordinatos [7] ».

Inst. — Cultus externus superstitioni viam pandit ; ergo nocivus.

Resp. *Dist. ant.* : superstitioni viam pandit ex abusu, *conc.* ; per se, ex natura sua, *nego*. Homines enim rebus optimis abuti possunt, sed exinde nihil contra usum concludere fas est.

ARTICULUS III

De Oratione in sensu petitionis accepta.

74. Utrum oratio sit CONVENIENS, imo de JURE NATURÆ ?

Generatim orationem, quatenus est gratiarum actio, optimam

1. *Epist.* 95, n. 43. — 2. Cf. **J. Simon**, *La religion natur.*, p. 363 ; — **Sum. theol.**, II-II, q. 81, a. 7. — 3. *Ibid.*, q. 83, a. 12. — 4. *Ibid.*, q. 81, a. 7 ; — **Contra gent.**, III, c. 119. — 5. **Joan**, IV, 24. — 6. **Sum. theol.**, II-II, q. 81, a. 7, obj. 1. — 7. *Ibid.*, in c.

esse fatentur. Sed — 1. *Rationalistæ* (ducibus J.-J. Rousseau, Kant, Saisset, Damiron et J. Simon), orationem in sensu petitionis acceptam rejiciunt ut inutilem, Dei sapientiæ, immutabilitati et bonitati injuriosam, hominisque dignitati oppositam [1]. « C'est quand la prière contient une demande qu'il paraît difficile de la concilier avec l'immutabilité divine ; car, d'un côté, on ne demande que pour obtenir, et, d'un autre côté, Dieu ne change rien à ses décrets [2]. » — 2. Sunt et *alii* etiam inter catholicos, qui non ratione præscriptam vel probabiliter tantum orationem esse volunt [3]. — Adversus eos sit

THESIS

Oratio, in sensu petitionis accepta, non solum maxime congruit naturæ humanæ, verum etiam jure naturali præcipitur.

I. — **Congruit.** 1º In *ordinatione rerum* maxime convenit ut Deus eligat ea quæ sunt ad cultum sibi debitum aptissima. Sed talis est oratio in sensu petitionis accepta ; nam « per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se Eo indigere sicut auctore suorum bonorum [4] ». Ergo maxime congruit ex parte Dei.

2º Decet hominem ad Deum præcipue moveri per *fiduciam*. Sed, quum aliquid a Deo petimus, fiducia movemur ad Eum, ut ad patrem nostrum et benefactorem, secundum ea S. Doctoris : « Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita : sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem : ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus Eum esse bonorum nostrorum auctorem [5]. » Ergo congruit.

II. — **Præcipitur.** Omnibus adultis inest inclinatio invincibilis ad orandum ea præsertim quæ sunt necessaria necessitate medii ; talis autem inclinatio lex naturæ putanda est ; oratio igitur jure naturali præscribitur, et circa necessaria, necessaria est necessitate medii pro adultis.

Prob. *major*. — Experientia universali constat homines, ubique terrarum, Numen summum precari ut det præmia virtuti, aut veniam peccatorum condonet, ut prospera et opportuna largiatur, mala autem avertat. In arduis auxilium

1. **Damiron**, *Cours de philosophie* : II. *Morale*, 1831, p. 238 ; — **J. Simon**, *La rel. nat.*, p. 377, 272. — 2. **J. Simon**, *Ibid.*, p. 378. — 3. **Branchereau**, *Prælect. philos.*, t. III, n. 1590 ; — **Tanquerey**, *Synopsis, theol.*, t. I, n. 178 ; — cf. **Jo. a S. Thoma**, *Cursus theol.*, t. VII, p. 770 ; — **Meyer, Vallet**, etc. — 4. **Sum. theol.**, II-II, q. 83, a. 1-17 ; — **Contra gent.**, III, c. 95. — 5. **Sum. theol.**, II-II, q. 83, a. 3 ; a. 2, ad 3.

a Deo rogamus, et in periculis una voce clamamus : Heu ! Domine, salva nos ! Unde merito scripsit Plutarchus : « Urbem templis diisque carentem, quæ *precibus...* non utatur, nemo unquam vidit [1]. »

Prob. *minor.* — Homo enim orationi intentus est, eo quod recte judicat se multis necessariis ad finem egere, Deum autem esse bonorum omnium auctorem et largitorem : « Nec in hunc furorem, ait Seneca, omnes mortales consensissent alloquendi surda numina et inefficaces deos, nisi nossent illorum beneficia, nunc ultro oblata, nunc *orantibus* data magna et opportuna [2] ». Ergo cum Angelico : « ad orationem indeterminate quilibet *tenetur* ex hoc ipso quod tenetur ad bona spiritualia, sic procuranda, quæ nonnisi divinitus dantur [3] » : tenetur enim ad finem, ergo et ad medium necessarium.

75. En objectiones rationalistarum adversus orationem.

Obj. 1a. — Oratione petimus ut fiat *miraculum* et ordinatio Providentiæ immutetur : unde oratio est Deo injuriosa [4]. « Si nous savions toujours ce que nous faisons quand nous prions, nous ne demanderions pas si facilement des miracles [5]. »

Resp. *Neg. ant.* Non enim propter hoc rogamus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationes esse implendum ; ut scilicet, « homines postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare [6] ».

Obj. 2a. — Deus *scit* ea quibus indigemus ; aliunde liberalius est dare aliquid non petenti, quam dare petenti. Ideo non est conveniens Deum orare ; aut saltem oratio est prorsus inutilis.

Resp. *Conc.* utrumque antecedens, sed *nego* utramque consequentiam ; nam ex altera causa oratio est conveniens et utilissima : nempe « ut fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum tanquam ad bonorum nostrorum auctorem [7] ».

Obj. 3a. — Oratio, præsertim vocalis, est *superstitio*, aut saltem minime congruit hominis *dignitati* ; ergo Deum orare non decet : « Dieu n'a nul besoin d'explications sur les désirs formés au dedans de nous... Des instances font de l'homme agenouillé devant Dieu un courtisan mendiant une faveur [8]. »

Resp. *Nego 1um ant.* Oratio enim, nisi tantum ex abusu, non fit magis superstitiosa quam cæteri actus religionis externæ. — *Nego 2um ant.*, præsertim cum hodierni rationalistæ ipsos homines humiliter rogare non erubescant ut dignitates impetrent. — Unde *nego conseq.* : nam oratio vocalis orationi internæ convenienter

1. *Adv. Coloten.* — 2. *De beneficiis,* L. IV, n. 4. — 3. *In IV Sent.*, dist. XV, q. 4, a. 1, *quæstiuncula* 3a. — 4. Ita omnes rationalistæ ; v. g., **Rousseau**, *Profess. de foi du vic. savoy.* ; — **Damiron**, *Cours de philosophie* : II. *Morale*, 1831, p. 235. — 5. **J. Simon**, *La religion nat.*, p. 377-380. — 6. **Sum. theol.**, II-II, q. 83, a. et Ja, q. 23, a. 8 ; — **Contra gent.**, III, c. 95. — 7. **Sum. theol.**, II-II, q. 83, a. 12. — 8. **J. Simon**, *La rel. nat.*, p. 382-383.

et utiliter adjungitur, sive ad excitandam interiorem devotionem, sive quasi ad redditionem debiti corporis, sive ex vehementi affectione, secundum illud psalmi : « Lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea [1]. »

Obj. 4a. — Si decet orare, spiritualia tantum rogare oportet ; unde *materialia* petere a Deo non licet. « Nous ne dirons pas : Mon Dieu, fais pousser nos épis ; mais nous dirons : Mon Dieu, donne-moi le courage de semer ; ou : Console-moi de n'avoir pas récolté. Voici la vraie prière, la seule permise [2]. »

Resp. *Dist. ant.* : Deum rogare debemus ut spiritualia nobis concedat primario et principaliter, *conc.* ; exclusive, *neg.* — *Dist.* pariter *conseq.* : non decet materialia petere primario et principaliter, *conc.* ; secundario et conditionate, *neg.* — Revera « hoc licet orare, quod licet desiderare [3] ». Sed temporalia licet desiderare, non quidem principaliter, sed « in quantum per ea vita temporalis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum. Et ideo pro temporalibus licet orare [4] ».

CAPUT TERTIUM

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM

76. Utrum et quatenus homo habeat officia erga seipsum ?

A. — Sunt qui officia hominis erga seipsum *negant*, v. g., Bautain [5] post Thomasium et Kant, sive quod homo obligationem sibi imponere non valet, sive quod terminus actionis suæ esse nequit.

Hæc autem quæstio **falsa** et **meri nominis** est, nam

1. Homo, cum adimplet officia erga seipsum, servat jura Dei in seipso, sicque non est horum principium, sed terminus.

2. Nec terminus est ultimus, sed secundum quid : sicut enim res inferiores ad bonum hominis, ita et homines ad gloriam Dei ordinantur.

Quapropter hæc officia non *sunt juridica* seu justitiæ ; hæc enim veram alteritatem et inæqualitatem postulant ; sed sunt *moralia* seu charitatis, et sub hac formula continentur : « amore ordinato teipsum dilige. »

B. — **Existunt** autem ; revera omne ens, pondere suæ naturæ, bonum proprium amat ; bruta quidem necessario bonum suum verum ; homo autem libere, modo verum, modo etiam apparens bonum. Porro quæ libertate carent, legi subjiciuntur. non sese subjiciunt ; quæ vero sunt libera legi sese subjiciunt et subjiciuntur. Ergo legibus et officiis subjacet homo, quibus dirigatur ad actiones suæ naturæ convenientes.

1. Ps. XV, 9. — 2. **J. Simon**, *Ibid.*, p. 381-382. — 3. **S. Augustinus**, *Ad Probam, Epist.* 130, c. XIII. — 4. **Sum. theol.**, II-II, q. 83, a. 6 ; — **Aristoteles**, *I Eth.*, c. VIII. — 5. *Philosophie morale*, vol. II, ch. IV, § 59.

Jamvero homini triplex incumbit officium; siquidem *animam perficere, corpus menti subordinare, compositum humanum conservare* homo tenetur. Unde triplex sit articulus.

ARTICULUS I

De Perfectione animæ.

Hæc perfectio pendet ab *intellectu* et *voluntate*. Unde

77. Utrum sint hominis officia erga suum INTELLECTUM?

Negant fautores, ut aiunt, liberæ cogitationis, hoc innixi liberalismi principio : « *La liberté consiste à pouvoir faire tout ce qui ne nuit pas à autrui* [1] »; nemini autem nocet qui cogitat sive verum, sive falsum. Sed contra sit

THESIS

Libertas absoluta cogitationis falsa est et perniciosa [2].

I. **Falsa est**, nam — 1. falso *innititur fundamento* : qui enim errori adhæret, veritati injuriam facit; sic, ut afferatur exemplum, qui cogitat Deum non esse, juribus aliorum hominum quidem non nocet, Deo tamen injuriam irrogat. — 2. *Subvertit intellectum*. Revera, unaquæque facultas proprium habet objectum cujus possessione perficitur, cujus contrarietate depravatur. Porro objectum intellectus est verum, cui opponitur error. Ergo a veritate discedere et errorem amplecti, intellectui perversio et nefas est.

II. **Perniciosa est**. Nam homo, errorem accipiendo, non intellectui tantum nocet, sed et voluntati, quæ sequitur lumen intellectus; porro a voluntate pendet tota vitæ moralitas; ergo. — Quinimo natura jubet ut a gravi periculo errandi abstineamus. Quapropter illicita est libertas quæcumque audiendi vel legendi; nec jus ad errorem amplectendum directe quis habet : jus enim errandi nullum est [3].

Nec *dicas* singulos cives habere jus ad errorem. — Nam tolerantia Status erga multos errores (n. 131) cum protectione juris cujusque ad errorem confundi non potest.

Hinc corruit ipsum fundamentum *liberalismi absoluti* [4].

Quapropter, non licet intellectui quæcumque voluerit cogitare : — 1. Circa omnia omnino : secus versaretur in scepticismum; — 2. Circa ea quæ Deus revelavit : secus foveret rationalismum;

1. *Déclaration des droits de l'homme*, an. 1789, art. 4. — 2. *Documentation catholique*, t. XXII, p. 934-954. — 3. Cf. **Canet** (abbé), *La libre-pensée contemporaine*, 1885. — 4. **Gérard**, *Essai sur les vrais principes*, 1826.

— 3. Circa ea quæ auctoritate infallibili non definiuntur, sed dogmatibus sunt connexa : secus non recederet a semi-liberalismo; — 4. Circa multa quæ immediata evidentia non gaudent, sed ratiocinio certo probantur : secus incideret in indifferentismum intellectualem, nec haberet veritatis sincerum amorem [1].

Sint igitur ista necessaria ad finem ultimum annon, parvi refert, modo sint vera : in veris unitas, *in dubiis tantum* libertas, — quæ tamen dubia sunt multa.

78. QUÆNAM ergo homini scientia esse debeat?

I. **Una est de præcepto**. A. — Homo, *quicumque sit*, suum intellectum sufficienter perficere debet ut ad finem ultimum, actiones suas jure componendo, attingere possit; videlicet, ornare se debet sapientia, scientia, prudentia : *sapientia*, quæ « intendit æternis conspiciendis et consulendis [2] »; — *scientia* sive Dei, sive suiipsius, sive aliorum hominum, ut exinde sua jura et officia cognoscat : — *prudentia*, qua de rebus humanis recte judicetur, in ordine ad comparationem æternorum (n. 59).

B. — Præterea, *cuilibet* inest obligatio scientiam requisitam adipiscendi, ut munus quo fungitur, rite impleat. Homo enim vitam in concreto ducit, et specialibus obligationibus sui status obstrictus remanet. Ad hoc autem requiritur *competens* scientia, imo eminentior in iis, qui ratione status et muneris sui, aliis præesse debent.

II. **Cætera non præcipiuntur**, sed tamen **sunt de consilio.**

1. *Non præcipiuntur*, unde necessitas discendi litteras humanas, quam enixe propugnant, imo et obligatio frequentandi scholas primarias, nullo jure naturali præcipitur; nam, omnia quæ in hujusmodi scholis addiscuntur, ad finem hominis vel boni civis absolute non requiruntur, imo *semper* et pro omnibus forsitan non expediunt (n. 127). — *Dixi semper*, nam ratione temporum major aliqua cultura exigi potest ad bonum commune et ideo hodie legitime præscribi a Statu [3].

2. Sunt tamen *de consilio* : quisquis enim invitatur ad scientiam altiorem, sicut ad majorem perfectionem.

Unde *J.-J. Rousseau*, vir aliunde paradoxis suis famosus, perperam asserit scientiarum et artium culturam esse prorsus inutilem ad vitam emendandam, imo tali cultura bonos mores depravari.

1. **Van der Aa**, *Ethica*, p. 74. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 66, a. 5, etc. — 3. **Pius XI**, in Encycl. : *Education chrétienne de la jeunesse* : *Rappresantanti in terra* in *Act. Apost. Sed.*, 1929, p. 123; — cf. *l'Ami du clergé*, 1930, p. 278, col. 1 b.

« J'ose presque assurer que l'état de réflexion est un état contre nature, et que l'homme qui médite est un animal dépravé [1]. »

Sed contra scientiæ et artes per se sunt optimæ, licet homines iis abuti possint, nec ipsa Ecclesia « commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit [2] ».

79. Utrum sint hominis officia erga suam VOLUNTATEM ?

Negant **amatores**, ut aiunt, **libertatis conscientiæ**. Hæc porro definitur *jus agendi ea quæ magis placent*, imprimis *erga Deum in iis quæ religionem spectant*, et consequenter sive erga seipsum sive erga alios, modo tamen nihil agatur contra jus alienum : hinc axioma : Age quod vis, sed nemini vim inferas.

Sed contra, tenetur voluntas bonum ratione recta propositum constanter prosequi. Unde sit

THESIS

Libertas conscientiæ, in sensu recentiorum accepta, est falsa et perniciosa [3].

Dixi : in sensu recentiorum ; nam — si *recta* est conscientia et conformis rationi, libertas conscientiæ est jus naturale, etiam martyrio defendendum ; — si *falsa*, cogi violentia non debet ad amplectendum veram religionem, bene vero ad ei, etiam bona fide, non nocendum [4].

I. — **Falsa est.** Nam illud systema falsum est quod jus veritatis evertit, conscientiam individuam legi æternæ substituit, licentiam pro libertate habet, et nonnisi nomine differt a Morali, quam vocant « independentem ». Atqui talis est libertas conscientiæ, in sensu recentiorum accepta : *tunc* enim nullum esset discrimen inter jus veritatis et jus erroris, inter veram et falsam religionem ; — *jam* conscientia non esset applicatio legis æternæ, sed ipsa fieret lex universalis et indefectibilis actionum nostrarum ; — *similiter*, libertas quæ extenderetur ad hæc omnia quæ juribus aliorum non sunt opposita, esset mere licentia et Deo prorsus injuriosa ; — *tandemque* si liceret cogitare, scribere et docere omnia quæ lubent, jam homo non penderet a Deo, sed esset ipse sibi lex unica et suprema. Ergo libertas conscientiæ in se suisque principiis falsa est.

II. — **Perniciosa est.** Viam enim pandit falsis libertatibus preli, doctrinæ et cultuum, et effrenatæ licentiæ (n. 86).

1. *Disc. sur l'origine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes*, 1753 ; cf. *Si le rétablissement des sciences et des arts a contribué à épurer les mœurs*, 1750. — 2. **Conc. Vatic.**, *De fide*, cap. IV ; cf. **Denz.-Banw.**, n. 1799. — 3. Cf. **Canet**, *Op. cit.* ; — **Croizier**, *Grands mots*, 1932, p. 13-35 ; — **Am. Bonde**, *Précis de droit constitutionnel*, 1930, p. 367. — 4. **H. Brun**, *La-cité chrétienne*, p. 47-54.

Sint igitur voluntati sua regula recta, ratio sc. et lex æterna ; suum objectum, nempe bonum ratione propositum ; suæ virtutes, i. e., quæ tenent medium inter utrumque excessum.

80. Quænam voluntati ratio PRÆCIPIAT aut CONSULAT ?

A. — **Præcipit** Deum super omnia, seipsum in ordine ad Deum et alios homines sicut seipsum diligere. Hinc axioma : « Dilige teipsum amore ordinato. » — *Dilige teipsum*, tum quia amor quo homines seipsos diligunt, merito putatur lex naturæ constans et universalis, tum quia Deus hominem diligit : debemus autem velle et amare quod Deus vult et amat [1]. — *Dilige amore ordinato* ; nam homo servare debet ordinem a sapientia Dei et rerum essentia statutum ; sed Deus seipsum super omnia et hominem in ordine ad seipsum diligit ; homo igitur Deum super omnia ut summum bonum, seipsum autem et alios homines in ordine ad Deum diligere debet.

Porro hunc ordinem subvertit triplex amor : 1. *Mysticismus* exaggeratus, qui inconsiderate dicit nihil nisi solum Deum esse amandum ; — 2. *Egoismus* rationalistarum (Fichte) quorum est regula : « Dilige teipsum super omnia, et omnia in ordine ad teipsum » ; — 3. *Altruismus* (A. Comte) cujus axioma sic sonat : « Dilige humanitatem super omnia et omnia in ordine ad Humanitatem [2] ».

B. — Præter præcepta, ratio **multa consilia** voluntati offert. Absit autem ut hæc prorsus negligantur, — tum quia perfectioni hominis maxime prosunt[3] ; — tum quia, his ex professo neglectis, statim in foribus peccatum aderit [4].

ARTICULUS II

De subjectione Corporis.

81. Quatenus POTENTIÆ INFERIORES rationi subjiciantur ?

I. **Tenetur** homo potentias inferiores rationi et voluntati subordinare [5]. Revera ordo rerum postulat ut media ad finem subordinentur ; porro facultates inferiores non sunt propter se, sed propter aliud, tanquam media ad finem, ut patet percurrenti per singula ; ergo, juxta ordinem Providentiæ, rationi et voluntati subordinari et opitulari debent ; secus, id quod in nobis est inferius et deterius, facultatibus superioribus et altioris ordinis non obediret.

1. **Sum. theol.**, II-II, q. 25, a. 4, 5, 7, 8, etc. ; — **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 246-251. — 2. Egoismus dicitur *philautia* et *autolatria* ; de *altruismo*, cf. **Aug. Comte**, *Traité de sociologie instituant la religion de l'humanité*, 4 vol., 1851-1854. — 3. Cf. *De la formation de la volonté*, in *Revue de philos.* (oct. 1901). — 4. **Sum. theol.**, I-II, q.108, a. 4, c. — 5. **Noble**, *Les passions dans la vie morale*, 1932, 2 vol.

Crassus est igitur et prohibitus a natura *sensismus* hodiernorum, quem Stendhal, Taine et alii propugnant. Nam, juxta eos, organa corporis nata sunt ut sensibilitati unice deserviant ; — item motus eorum ad bonum sensibile ut ad finem ultimum ordinantur ; — corpus propter se perfici debet, sicut et sensatio propter se quæritur.

II. **Officia hominis erga corpus** sunt *negativa* vel *positiva*.

Primo quidem fugere debemus quidquid rationi opponitur, ut sunt ebrietas, alcoolismus — qui etiam sine ebrietate, sicut ipsa, est quid intrinsece malum [1], — otiositas, immodestia, excessus in ornatu, ludi scenici, choreæ, libri amatorii, aut alia similia quæ fomitem concupiscentiæ accendunt, mentem hebetant, enervantque voluntatem. Hoc practice præsertim per fortitudinem et temperantiam obtinetur ; quarum ope appetitum concupiscibilem, et irascibilem ordinare, regere et frænare licet.

Secundo autem corpori præstare oportet ea quæ sunt illi utilia ad nutrimentum, ad robur, ad ornatum debitum et honestum, attenta personæ convenientia. — Ad *nutrimentum* et valetudinem : secus enim brevi ineptum fieret ad obeunda sui status officia. — Ad *robur* acquirendum exercitio : caveant tamen cultores virium corporearum ne cura corporis prævaleat. — Ad *ornatum* debitum, nam pars hominis corporea animæ unitur et nobile quoddam præ se fert, quod ridiculum vel abjectum reddere non licet.

82. Utrum etiam liceat moderata corporis CASTIGATIO [2] ?

Negant protestantes, medici quidam et omnes *carnis suæ amatores* [3]. — Sed contra : virtutis causa, ut rationis imperio facilius obtemperet caro, et propter multiplicem aliam rationem.

Licitum est prudenti et amica castigatione corpus emendare.

A. — **Suadetur**. — 1° *E contrario* : nam hujusmodi austeritates, v. g., jejunia, vigiliæ..., corporis sanitati non parum prosunt, nec profecto tam nocent quam gula, ebrietas, luxuria, mollities. — 2° *A pari* : licet corpori non parva imponere incommoda, ratione sive studii, sive negotiorum, sive muneris obeundi ; ergo multo magis ad profectum animæ, et virtutis causa. — 3° Denique *sensu communi* hominum, qui afflictiones corporeas sive ad expiationem, sive ad Numen supremum placandum, sive aliam ob causam, sponte sua assumpserunt.

B. — **Probatur** : homo potest eligere quod est magis aptum

1. *Premier congrès contre l'alcoolisme*, 1903. — 2. Cf. **Pénido**, *Ascétisme et pathologie*, in *La vie spirituelle*, 1er avril 1932, p. 35. — 3. Ita **Pierre Janet**, cf. *La vie spirituelle*, 1er avr. 1932.

ad finem ultimum attingendum. Porro austeritas vitæ, cum prudenti castigatione corporis, optimum est medium, ad frenandam et domandam carnem, ad pœnitentiam agendam, imo ad amorem Dei et hominum accendendum in cordibus nostris. Ergo talis austeritas licet et valde commendatur.

Dixi : *prudenti castigatione*, quæ scilicet non in morbum corpus dejiciat, nec rationis exercitium impediat. Unde, licet raro sit timendus ea de re excessus, aliquis tamen, fatente S. Thoma, nimia castigatione, saltem materialiter, peccare potest.

ARTICULUS III

De conservatione Compositi humani.

83. Utrum homo teneatur VITAM suam conservare ?

Rationalistæ hodierni, post veteres stoïcos, putant licitum, vel etiam obligatorium, imo heroïcæ virtutis esse suicidium, si quando certis in adjunctis patretur, v. g., ad vitandam calamitatem, infamiam. — Sed contra sit

THESIS

Suicidium jure naturali prohibetur.

Prob. — Suicidium est actus hominis, qui sciens et volens, nequaquam jubente Deo, directe et propria auctoritate sibi vitam arripit : unde differt a temeritate vel fortitudine qua quis se exponit indirecte periculo mortis, ut miles in bello. Hoc in sensu suicida *naturæ hominis*, *bono societatis* et *juri divino* contradicit, et sibi, societati, Deoque facit injuriam :

1. *Sibi*. Nam nolle vivere, est actus contra inclinationem naturalem, ac proinde contra charitatem, qua quilibet homo seipsum debet diligere nec privare maximo bono [1].

2. *Societati*. Homo enim qui seipsum occidit, juri societatis domesticæ et civilis nocet, quia ei subtrahit membrum, et cæteris præbet exemplum quod bono utriusque societatis, experientia teste, pessimum detrimentum affert [2].

3. *Deo*. « Ad solum Deum pertinet judicium vitæ et mortis [3] », nam homo suipsius habet tantum dominium utile : proinde, qui judicio suo se ipsum vita privat, ab ordinatione Dei se subtrahit. « Admettre le suicide, c'est admettre que tout homme peut, quand il lui plaît, échapper au devoir, et soumettre la loi morale à l'arbitraire des individus [4]. »

1. **Sum theol.**, II-II, q. 64, a. 5. — 2. **Aristoteles**, *V Eth.*, cap. ult. ; — **Sum. theol.**, *Ibid.* a. 5 ; — **Dumas**, *Traité du suicide*, 1842. — 3. **Deutér.**, XXXII, 39. — 4. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 465.

84. Hinc fit satis OBJECTIONIBUS in favorem suicidii.

Obj. 1ª. — Juxta Epicurum, Stoïcos et Dominam de Staël, *sapienter* et *fortiter* agit, qui seipsum ab hujus vitæ angustiis morte generosa liberat ; unde suicidium licitum, imo laude dignum est [1].

Resp. *Nego* 1ᵘᵐ antecedens. Qui se occidit, non est sapiens, sed *insanus*, nam, ut effugiat malum minus, id est malum hujus vitæ, teterrimum eligit, sine ulla spe vitæ felicioris [2].

Nego 2ᵘᵐ antecedens : qui seipsum occidit non est fortis, sed *ignavus* ; dolores enim quibus premitur tolerare non valet, et officium suum ut nimis grave derelinquit [3].

Inst. 1°. — Homo nimiis miseriis vitæ adscribi nequit : « La mort est le remède unique du désespoir : c'est alors qu'un fer est le seul ami, le seul consolateur qui reste au malheureux [4]. »

Resp. *Nego* ant. ; hoc nititur in falso supposito quod finis vitæ sit beatitudinis fruitio in terra. « L'homme n'est pas obligé d'être heureux, mais il est obligé de faire son devoir. » Unde Martialis :

« Fortiter ille facit, qui miser esse potest. »

Inst. 2°. — De facto suicidium nunquam *est liberum*, ergo vana discussio. « Chez les Anglais, ceux qui se tuent sont qualifiés de lunatiques ; leur maladie ne paraît pas plus blâmable que le transport au cerveau [5]. »

Resp. *Dist. ant.* Non est liberum aliquoties, *conc.*, v. g., si quis seipsum occidat in amentia et rationis usu carens ; nunquam est liberum, *nego*. — Cæterum, res in thesi nostra consideratur objective, non subjective, etiamsi non adsit peccatum formale.

Obj. 2ª. — Juxta eosdem (Montesquieu, Rousseau) *vita est donum* : ergo potest repudiari sine injuria, necnon sine detrimento creationis : « Croyez-vous que mon corps devenu un épi de blé, un ver, un gazon, soit changé en un ouvrage moins digne de la Providence [6] ? »

Resp. *Dist. ant.* : vita est donum, cujus usus est in homine, *conc.* ; dispositio, *nego*. — *Dist. cons.* ; potest repudiari sine injuria erga Deum et societatem, *nego* ; sine injuria erga se, *conc.*, nam volenti non fit injustitia. Est tamen contra charitatem qua unusquisque seipsum diligere debet [7].

CAPUT QUARTUM

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS

85. Quotuplicis generis officia sint ERGA ALIOS homines ?

Tot sunt hujusmodi officia, quot jura alii homines habent. Hæc autem vel sunt imperfecta et non stricta, vel perfecta et

1. **Diogenes Laert.**, L. VI : *De morte Zenonis* ; — **Dª de Stael**, *De l'influence des passions*, 1796 ; cf. *Réflexions sur le suicide*, 1812 ; — *Etudes*, tom. 73, p. 464. — 2. **Sum. theol.**, *Ibid.*, a. 5, ad 3. — 3. **Sum. theol.**, *Ibid.*, ad 5 ; — **Aristoteles**, *III Eth.*, c. VIII ; — **S. Augustinus**, *De civ. Dei*, c. XXII. — 4. Ita **d'Holbacq** : *Le système de la nature* ; — **J.-J. Rousseau**, *Lettre à M. de Voltaire*, et *La nouvelle Héloïse*, 1761. — 5. **Montesquieu**, *Esprit des Lois*, L. XIV, c. 12. — 6. **Montesquieu**, *Lettres persanes*, 1721. — 7. **Sum. theol.**, II-II, q. 64, a. 5, ad 1.

stricta : prioribus respondent officia *charitatis*, posterioribus autem officia *justitiæ*. De utrisque pauca (*nota*, n. 4).

A. — **Officia charitatis** omnibus hominibus *debentur*, juxta præceptum : « Diliges proximum sicut teipsum [1]. » Nam omnes similes sumus natura, origine, fine ultimo et paternitate divina, tanquam fratres ejusdem familiæ. *Nec excipias* inimicos et peccatores, nam charitatis debitum non fundatur in merito cujusque, sed in natura ; nec a fortiori pauperes et miseros, ut volunt Nietzsche et evolutionistæ. — Attamen charitas *ordinari* debet incipiendo a propinquis et cognatis, cum omnes homines æquali intensitate amoris prosequi non teneamur. — E sincera autem charitate tria defluunt *officia* : benevolentiæ, humanitatis et beneficientiæ : prima proximo optat bonum ; secunda ei exhibet officia innoxiæ utilitatis « iis utilia qui accipiunt, danti non molesta [2] » ; tertia ei largitur ex temporalibus bonis, v. g., pauperi eleemosynam.

B. — **Officia justitiæ** debentur ad æqualitatem strictam, et vi coactiva exigi possunt [3]. De his plura sunt fusius evolvenda : — 1° *circa Interna* ; — 2° *circa Externa bona proximi.*

ARTICULUS I

De Officiis circa bona proximi Interna.

Homo jus habet ad *animam*, ad *corpus* et ad suam *personalitatem* ; inde triplex fons officiorum.

86. Quænam sint officia CIRCA ANIMAM proximi ?

Animæ duplex est jus : nam intellectus ad verum, voluntas ad bonum possident jus, et quidem aliquando strictum. Quapropter *mendacium* seu locutio contra mentem intrinsece mala [4], itemque *scandalum* seu id quod præbet alteri occasionem ruinæ spiritualis, non solum charitati opponuntur, sed utrumque sæpius juribus proximi nocet, proindeque ex alio capite illicitum est... Ex his principiis haud ægre deducitur

THESIS

Falsus est liberalismus, sive libertatem preli, sive libertatem doctrinæ, sive libertatem cultuum propugnet.

Prob. : nam sola veritas jus habet se quocumque modo

1. **Sum. theol.**, II-II, q. 26, a. 4 ; *Comm. in Epist. ad Rom.*, c. XIII, lect. 2. — 2. **Tullius**, *De offic.*, I, 16. — 3. **Veermesch**, *Quæstiones de justicia*, Brugis, 1901. — 4. **Sum. theol.**, II-II, q. 110, a. 3.

manifestandi, sed hujusmodi *absolutæ* et ideo falsi libertates.

I° *Carent fundamento.* Qui enim absoluta libertate gaudet cogitandi, etiam in iis quæ pertinent ad religionem, hic etiam et hic solus cogitationes suas scriptis et verbis libere manifestare, libereque cultum quemlibet Numini solvere potest. Sed falsæ sunt omnino, ut probavimus (n. 77-79), libertas cogitationis et conscientiæ. Ergo falsa etiam hæc tria alia, ut aiunt, libertatis attributa.

II° *Perniciosæ sunt* in suis consectariis. Hoc enim perniciosum est, quod rationem populorum corrumpit, mores pessumdat, indifferentismi pestem propagat, et societates individuaque propellit ad atheismum practicum. Atqui talis est triplex libertas, in sensu recentiorum habita ; ergo perniciosa [1].

Confirmatur ex ipsamet adversariorum confessione qui suum etiam habent indicem librorum prohibitorum, et qui certis in adjunctis, v. g., tempore belli, toti sunt in refrænanda libertate preli censuris sæpe arbitrariis. Ergo non datur libertas sine limite et intangibilis, nec ulla libertas *absoluta* in sensu recentiorum.

Dixi : *absoluta*, sola enim libertas veritatis est absoluta, cæteræ vero libertates, si ad falsitatem et malam doctrinam, *tolerari* tantum possunt ob bonum commune, nempe « magni alicujus adipiscendi boni aut prohibendi causa mali [2] ».

87. Quænam sint officia CIRCA CORPUS proximi ?

Unicuique strictum officium incumbit conservandi vitam suam et integritatem membrorum ; ergo nemini licet utramque in proximo tollere per *mutilationem et homicidium.*

Quæritur autem utrum in *aggressione injusta* vim vi repellere liceat, etiam usque ad necem aggressoris ; negant quidam cum Ahrens [3], contra quos sit

THESIS

Aggressionem injustam seu vim vi repellere licet, etiam usque ad occisionem invasoris, modo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Prob. — 1° Ex *natura* ipsius *aggressionis.* — Aggressor de quo hic agitur, non auctoritate publica, sed proprio motu irruit in hominem ut illi vim *injustam* et etiam mortem infe-

1. Cf. **Syllabus**, *Prop.* 45, 79 ; — **Pius IX**, Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851 ; Allocut. *Numquam fore*, 15 déc. 1856 ; *Maxima quidem*, 9 junii 1862 ; — **Mgr Freppel**, *Discours*, 1880, 1881 ; — *Diction. de théol. cath.*, art. *Libéralisme* ; — **H. Brun**, *La cité chrétienne...*, I, p. 28, 51-63, 84-88 ; — **Am. Bonde**, *Précis de droit constitutionnel*, p. 369-380. — 2. **Leo XIII**, *Encycl. Immortale Dei* ; *Libertas.* — 3. *Cours de droit nat.*, 1838, § 53.

rat. Atqui licitum est unicuique bonum suum defendere et vim injuste illatam vi repellere, etiam usque ad necem invasoris, si secus vita propria servari nequeat : nisi enim illud liceret, homo in quibusdam angustiis constitutus vitam propriam a morte injusta eripere non posset ; quod rectæ rationi et consensioni populorum evidentissime contradicit. Ergo invasorem repellere licet usque ad ipsius necem.

2° Ex *conditionibus* requisitis. — Vim vi repellere *cum moderamine inculpatæ tutelæ* plura requirit, nam, juxta Innocentium III, necesse est : — 1. ut adhibeatur defensio non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam injuriam ; — 2. ut invasus non utatur majori violentia, quam opus est ad avertendam mortem injustam ; — 3. ut vera vis actu inferatur ; — 4. ut malum quod avertere volumus superet aut saltem adæquet malum, quod ex defensione nostra sequitur ; — 5. denique, ut invasus non intendat mortem invasoris, sed solum suam defensionem. Sed, his servatis, defensio nihil habet injusti, nihil inhonesti : nam, ut advertit S. Thomas : « Actus hujusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet in esse, quantum potest [1]. » Unde, licitum est, etsi forsan aliquando non expediat, vitam propriam servare, etiam occisione aggressoris.

88. Quænam sint officia erga PERSONAM proximi ?

Homo jus habet ad honorem et bonam famam : cujus enim unusquisque curam habere tenetur, juxta illud : « curam habe de bono nomine [2] ». Quapropter, juxta omnes, jure naturali prohibentur, sive *contumelia*, qua læditur honor, sive *judicium temerarium* quo quis apud se, *detractio et calumnia* quibus apud alios lædit bonam famam proximi.

His in tuto positis, quæritur an ad honorem defendendum vel reparandum, *duellum* sit licitum. Mordicus affirmant multi recentes contra quos sit

THESIS

Certamen privatum seu duellum jure naturali prohibetur.

Prob. — Duellum est certamen particulare duorum vel plurium, qui, designatis antea testibus, armis et circumstantiis loci et temporis, ex privata causa et privata auctoritate, honorem resarcire, ut autumant, aut vindictam sumere præsumunt. Sed hujusmodi certamen *in se*, in *principio*, in *motivo* et in *fine* est omnino illicitum. Ergo etiam duellum.

1° Est *in se* illicitum ; nam cuilibet incumbit officium vitam

1. **Sum. theol.**, II-II, q. 64, a 7 ; — cf. *Dict. de théol. cath.*, vocab. *Défense de soi.* — 2. **Eccli**, XLI, 15.

propriam servandi ; sed in privato certamine vita pugnantium imminenti periculo exponitur, nedum servetur.

2° Falso nititur *principio* ; certans enim in duello supponit quod sibi liceat vindictam auctoritate privata sumere ; hoc autem fieri non potest, quia nemo constituitur judex in propria causa.

3° Insufficienti nititur *motivo*, in eo sc. : Honor est bonum hominis supremum, quod etiam vitæ anteponere debemus. Porro hoc est falsum : « Entre la valeur de ce qu'on appelle l'honneur et qui est loin d'être le bon renom de la vertu, et la valeur d'une vie humaine, il y a une extrême disproportion [1]. »

4° Denique *finem* intentum assequi non potest, nam duellum non est medium quo honor resarciri valeat. Revera, sive reus, sive innocens vincat, nihil inde sequitur, nisi tantummodo ipsum esse adversario peritiorem, aut feliciorem. Sic autem honor minime resarcitur ; secus enim « jus validioris », uti vocant, tanquam lex admittendum esset [2].

Objectio. — Duellum offerre est quandoque unicum medium ad vindictam legitime sumendam : ergo legitimum est.

Resp. Nego ant. Unde ipse J.-J. Rousseau : « Gardez-vous de confondre le nom sacré de l'honneur avec ce préjugé féroce qui met toutes les vertus à la pointe d'une épée et n'est propre qu'à faire de braves scélérats. En quoi consiste ce préjugé ? Dans l'opinion la plus extravagante, qu'on n'a jamais tort avec un homme, pourvu qu'on le tue.

Inst. — Qui duellum oblatum *recusat*, deprimitur etiam apud semetipsum. Ergo duellum oblatum *recusari* nequit.

Resp. *Dist. ant.* : qui duellum oblatum recusat, deprimitur apud eos qui de honore et virtute sentiunt *falsa, conc.* : apud eos, qui de honore ac virtute *sana* mente judicant, *nego*. Nam, ut dictum est supra, maxima laude dignus est qui odio vindictæ cæterisque cupiditatibus non indulget, sed desideria cordis, interna et occulta, refrænat. Quippe, ut dicit ipse Cousin : « Les plus grandes, les plus difficiles vertus, ne se rapportent point directement aux autres ; elles s'exercent en nous et sur nous [3]. »

ARTICULUS II

De Officiis circa bona proximi Externa.

Dicemus tantum 1° *De Jure Proprietatis* ; 2° De negatione illius juris seu *de Socialismo* aut *Collectivismo* ; 3° De variis *Modis acquirendi* proprietatem.

1. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 475. — 2. **Gerdil**, *Des combats singuliers*, in *Encycl. théol. de* **Migne**, t. XXXIV ; — **Sum. theol.**, II-II, q. 95, a. 8, ad 3. — 3. **Cousin**, *Du vrai, du beau, du bien*, 1858.

§ I. — *De Jure Proprietatis* [1].

89. Quid de notione PROPRIETATIS et de origine BONORUM ?

A. — **Proprietas definiri** potest *jus in re et in fructibus rei, quoad usum et dispositionem, in proprium commodum et cum exclusione aliorum*. — Est jus *in re*, non tantum ad rem (n. 64), — et *in fructibus* rei, nam res fructificat domino ; — quoad *usum* et simul *dispositionem*, nam jus utendi tantum dicitur *usufructus*, jus disponendi tantum *nuda proprietas* ; — in *proprium commodum*, unde tutores sunt administratores, non proprietarii ; — cum *exclusione* aliorum, secus res non esset propria, sed communis, v. g., aer, oceanus.

B. — **Causæ divitiarum** seu bonorum externorum efficientes duæ sunt, *saltem primariæ* : *labor* et *natura* [2]. Labor quidem humanus res naturales fecundat et mirum in modum transmutat, ut apparet in rebus agriculturæ et industriæ. Attamen labor non est sola divitiarum causa, natura enim multas affert ; nec sola causa valoris seu pretii horum bonorum, nam pretium mercium non tantum labori impenso proportionatur, sed etiam raritati et utilitati intrinsecæ rei : sic, v. g., bonum vinum et malum vinum non sunt æqualis pretii, etiamsi vinicolæ labor pro utroque supponatur æqualis.

Dixi : *saltem primariæ*. Nam bonum, natura et labore jam productum, potest non ad usum et consumptionem destinari, sed converti pretium ejus ad novam bonorum productionem. Tunc fit tertia causa productionis, et dicitur *capitale* ; v. g., suppeditat materiam primam, instrumenta laboris, et machinas quæ laboris fecunditatem centuplicant, etc. Hinc patet capitale non esse tantum fructum laboris accumulatum, « *du travail condensé* », ut aiunt, sed ex conjunctione naturæ simul et laboris oriri, et esse quid mixtum seu utriusque particeps.

90. Utrum jus PROPRIETATIS in bona naturæ sit LEGITIMUM [3] ?

Aliquam *societatem* bona in communi possidere posse non

1. **Leo XIII**, Encycl. *Quod apostolici muneris*, 28 déc. 1878 ; *Rerum novarum*, 15 mai 1891 ; — cf. *Motu proprio* **Pii X**, 18 déc. 1903 ; — **Pius XI**, Encycl. *Quadragesimo anno*, 1931 ; — *La théorie thomiste de la propriété*, in *Revue néo-scol.*, janv. 1897 ; — **Liberatore**, *Principes d'économie politique*, trad. de Sacy, 1899 ; — **A. Antoine**, *Cours d'économie sociale* ; — Ephémérides, *La réforme sociale* ; — **H. Joly**, *Bibliothèque d'économie sociale*, ap. Lecoffre ; — **Garriguet**, *Manuel de sociologie*, 1924, part. 2e, p. 61 ; — **Fallon**, S. J., *Principes d'économie sociale*, 1921 ; — **Muller**, S. J., *Notes de sociologie*, 1928 ; — **Cavallera**, *Précis de doctrine sociale catholique*, 1931, p. 143-158. — 2. **Liberatore**, *Op. cit.*, L. I, c. 2. — 3. **Liberatore**, *Ibid.* ; — **Le Play**, *La réforme sociale*, liv. II ; — *Revue thomiste*, an. 1895, p. 281, etc. ; — cf. **Garriguet**, *Op. cit.*, p. 61-232 ; — **Antoine**, *Cours d'éco-*

negamus : sed **hic agitur** de individuis. — Præterea de jure cujusque hominis in *fructus laboris* sui non est proprie controversia, nam homo est dominus ingenii sui suorumque membrorum, ac proinde, ex parte saltem, effectuum suæ activitatis, juxta axioma : effectus causæ tribuitur. — Jus autem in *res naturæ*, ac consequenter in capitale, seu generatim proprietatem negant unanimi consensu *socialistæ*.

Qui, ut bene confutentur, opus est, in antecessum, distinguendi inter **jus proprietatis ipsum** et **usum de facto proprietarii** [1]. Unde duplex quæstio thesisque

THESIS I

Jus proprietatis in bona naturæ legitimum est et naturale.

Prob. — Illud jus est legitimum et naturale quod fundatur in natura rerum, hominis, familiæ, imo et societatis. Atqui tale est jus proprietatis. Ergo legitimum est et naturale.

Prob. *minor.* — 1° Ex *ordine Providentiæ* res inferiores ad subveniendum necessitatibus singulorum hominum ordinantur, et ideo fere omnes creatæ sunt aptæ ad occupationem (susceptibles d'appropriation), quia originarie sunt in communitate *negativa*, ut aiunt, non *positiva* [2]. Ergo naturalis est earumdem occupatio (n. 96) et ideo privata proprietas.

2° Talis est natura *hominis*, ut protegendas habeat libertatem et dignitatem suam, nempe vitam physicam et œconomicam, sed præsertim socialem, moralem et religiosam, uno verbo totum et liberum activitatis suæ exercitium, nec tantum in præsenti sed etiam in futurum : est enim natura providus sui. Porro non salvantur hæc munera individui sine proprietate etiam individuali multarum rerum, ut luculentius ostendunt in præterito antiqua servitus paganorum, sæculo XIX° miserabilis status plurium operariorum, hodiedum quoad conscientiæ libertatem vita sovietica Russorum [3]. Ergo naturalis est proprietas. — Quare sponte sua occupat homo quidquid ipsi in natura utile est, jureque credit illud occupare, modo sit nullius (n. 96).

3° Homo non tantum sibi, sed et *familiæ*, non tantum præsentibus, sed et futuris necessitatibus providere debet. Porro

nomie sociale, 1921, p. 535-582 ; — *Code social de* **Malines**, p. 85-90 ; — **H. Brun**, *Op. cit.*, II, p. 348-358 ; — **Valensin**, *Op. cit.*, p. 30-70 ; — **Schwalm**, O. P., *Leçons de philosophie sociale*, I, p. 288-324. — 1. **Pius XI**, *Encycl. cit.* in *Act. Ap. Sed.*, 31, p. 192 ; — cf. **Rutten**, O. P., *La doctrine sociale de l'Eglise*, 1932. — 2. **Van der Aa**, *Ethica, prop.* 94. — 3. **Em. Schreiber**, *Comment on vit en Russie*, 1931, p. 228.

sine jure proprietatis nec posset colligere pro tempore hiemis, morbi, senectutis, nec ædificare domum, nec providere educationi physicæ et morali puerorum ; imo nec forsan vellet servare parcimoniam, ad quam incitat sola proprietas privata.

4° Denique *societati* ipsi opus est prosperitate materiali et intellectuali. Porro sine jure proprietatis individuæ, — deerit cuique stimulus in laborando, nam homines non laborant diligenter nisi ad acquirendum quid proprium, dum quæ communiter possidentur, communiter negliguntur, ut agnoverunt et ipsi bolchevistæ [1] ; — nec aliunde unquam florerent nobiliores artes sine divitum studiis et æmulatione. Ergo.

Paucis verbis, regimen proprietatis privatæ melius *homini*, *familiæ*, *societati* bona etiam *temporalia* assecurat, sed præsertim et naturæ ordinatione *spiritualia*, sc. religionem, puerorum educationem, moralitatem individualem, familialem et civicam, dum e contra regimen collectivistarum spiritualia negligit et imperfecte procurat etiam temporalia, ad quæ tamen fere exclusive per seipsum ordinari prætendit [2].

Confirmatur thesis universali populorum consensu ; nam, v. g. : apud Hebræos, Assyrios, Sinenses, Ægyptios, viguit semper agrorum possessio privata : apud nomades autem, Arabes, Tartaros, saltem rerum mobilium. « Demeures fixes, appropriation du sol, société régulière, ce sont là trois idées jamais séparées, trois faits toujours réunis... Propriété incertaine et barbarie sont des faits toujours et partout réduits l'un par l'autre [3]. »

91. Utrum USUS PROPRIETATIS privatæ sit sine limite [4] ?

Duplex est excessus : juxta *liberales* et plures capitalistas hodiernos [5], jus proprietatis est « jus utendi et abutendi », ita ut beneficentia erga pauperes sit tantum facultativa et salarium opificum subordinetur acquisitioni divitiarum ; juxta *socialistas*, e contra, tenentur divites ex justitia pauperibus benefacere. Negat utrumque

THESIS II

Jus proprietatis gravi officio beneficentiæ et justitiæ socialis quoad usum temperari debet, sed abusu non amittitur.

Prob. — **I. Temperari debet.** Nam juxta ordinem caritatis et justitiæ socialis bonum privatum bono communi subordinatur ; atqui jus illimitatum in bona naturæ concessum quibusdam proprietariis in malum communitatis vergeret et

1. **Dossiers de l'A. P.**, 10 mai 1932, p. 1041-42. — 2. Cf. **Dossiers de l'A. P.**, 10 av. 1931, p. 1 et seq. ; — *Code social de* **Malines**, p. 85 et seq. ; — **Valensin**, *Traité de droit naturel*, t. II, p. 29-113 ; — **Em. Schreiber**, *Op. cit.*, p. 32-35, 166-191. — 3. **Pellegrino Rossi**, *Cours d'économie pol.*, 2e semestre, 1re leç. — 4. **Valensin**, *Op. cit.*, II, p. 51-86 ; — **Tiberghien**, *Semaine sociale de* **Mulhouse**, 1931, p. 76 seq. ; — *Semaine sociale de* **Paris**, 1928 (per totum). — 5. **Valensin**, *Op. cit.*, p. 231.

proletariorum pauperum ; ergo concedi non potest, sed quoad usum officio sive *beneficientiæ* sive *justitiæ socialis* restringi debet. Unde

a) *Quoad 1am*, Liberatore : « Tout homme qui naît ici-bas a droit de vivre des fruits de la terre... Si la propriété privait une partie du genre humain de ses moyens de subsistance, elle serait certainement un désordre... Mais il n'en est pas ainsi, parce qu'elle a été étroitement unie par Dieu au devoir de la *bienfaisance* [1]. »

b) *Quoad 2am*, Pius XI : « *Justitiæ socialis* lege, altera classis alteram ab emolumentorum participatione excludere vetatur [2]. »

II. Interea **stat jus** proprietatis nec cedit pauperibus. Revera capitalismus natura sua non est vitiosus, nec per seipsum damnandus, ideoque a veritate abhorrent qui pronuntiant « ipso abusu vel non-usu jus proprietatis perimi aut amitti [3] » : jus enim, sicut non dat usus, ita nec tollit abusus.

Cave igitur ne propterea proprietas, quæ ex supra dictis habet quidem functionem socialem, simpliciter dicatur esse *functio socialis* : cujus nempe legitimitas penderet ab usu erga pauperes, cujus etiam usus esset functio justitiæ, sic enim « dominium justitiæ ultra modum extenderetur in detrimentum caritatis [4] ». Nam, e contra cujusque proprietas in rem suam, etiam in capitale, est quid absolutum et personale.

Hinc nec solo sensu humanitario cujusque aut prudentia sociali, nec tamen justitia fere commutativa regulatur beneficentia erga pauperes, sed ordine caritatis et justitiæ socialis. Unde **in praxi**

a) **Quoad caritatem,** S. Thomas docet rerum legitime a quibusdam possessarum « usum aliquo modo communem esse debere [5], non in eo sensu quod cuilibet pro arbitrio liceret ea re uti sine licentia domini, sed in eo sensu quod — 1° *in casu extremæ necessitatis*, quilibet jus habet de ea re sumendi quantum opus habet ad se salvandum ; — 2° *in casu gravis indigentiæ*, divites ex caritate tenentur sub gravi ex bonis superfluis largiri eleemosynam, quasi administratores bonorum Dei.

Nec dicas superfluum, nec determinari, nec exigi posse. — Nam 1° superfluum non dicitur absolute, sed relative ad statum socialem cujusque divitis ; 2° jus pauperum ad superfluum divitum non est ita strictum ut vindicari possit a

1. *Op. cit.*, p. 216. — 2. **Pius XI**, *Encycl. cit.*, II, n. 2, p. 196. — 3. *Ibid.*, p. 193 ; — **Rutten**, *Op. cit.*, c. v, p. 85-109. — 4. **Card. Merry del Val**, *Lettre à M. de Mun*, 1913. — 5. **Sum. theol.**, II-II, q. 66, a. 2 et 7.

Petro aut Paulo, nam non respicit determinatas personas ; 3° multifariam impleri potest officium eleemosynæ : utinam aliquando cum magnificentia et liberalitate, v. g., ut quæstuosæ operæ commoditas fiat [1] !

b) **Quoad justitiam socialem,** hæc petit organisationem juridicam et socialem : — *juridicam* quæ pertinet ad Statum ; utrum enim, eventualiter et renuentibus divitibus eleemosynam, vindicari possit a societate ipsa seu Statu, infra dicetur (n. 130) ; — *socialem*, quæ spectat ad patronos opificesque, et, ope præsertim syndicatuum, mutualitatum, etc. statum normalem rei œconomicæ constituat [2].

92. Corol. — de FALSIS fundamentis juris proprietatis [3].

Hinc errant qui putant jus proprietatis a *lege civili* tantum oriri (Montesquieu, Kant) ; — aut a *pacto sociali* (Rousseau, Grotius, J.-B. Say, Stuart Mill) ; — aut in *utilitate* communi societatis fundari (Droz) ; — aut identificari cum *jure ad fructum* laboris (Carey, Bastiat, Ricardo, Locke).

Adde quod illæ opiniones ansam præbent *socialismo*. Nam jus quod lex civilis aut pactum sociale concedit, abrogari potest ; — aliunde utilitas non est sufficiens fundamentum juris ; — denique, concesso laborem esse unicum fontem proprietatis, logice sequeretur cætera (bona naturæ et instrumenta laboris) fieri debere communia. Dum e contra, juxta nos, jus *naturale* ad laborandum libere aut ad fruendum, connexum habet jus ad occupandum bona naturæ, quæ ad laborandum aut fruendum sunt utilia, modo sint nullius.

Hinc etiam intelligitur « jus primi occupantis » non esse fundamentum *ultimum* juris proprietatis, sed tantum exercitium juris anterioris cujusque ad laborandum aut ad liberum exercitium activitatis suæ (n. 96).

§ II. — *De Socialismo aut Collectivismo* [1].

93. Quid et quotuplex si error SOCIALISMI ?

A. — **Socialismus** aut **collectivismus** quilibet in *negatione juris proprietatis individuæ, solo jure utendi servato*, fundatur : « La propriété, c'est le vol » : ita Proudhon, post Aristophanem.

1. **Pius XI**, Encyc. *Quadragesimo anno*, II, p. 193. — 2. **Pius XI**, *Ibid.*, p. 206. — 3. **Liberatore**, *Ibid.*, liv. II, c. II. — 4. **Winterer** (abbé), *Le socialisme contemporain*, 4e éd., 1904 ; — **P. Leroy-Beaulieu**, *Le collectivisme*, 1893 ; — **Claudio Jannet**, *Le socialisme d'Etat*, 1890 ; *Le capital, la spéculation et la finance*, 1892 ; — **P. de Pascal**, *Le collectivisme et ses docteurs*, 1895 ; — **Grégoire** (Goyau), *Le Pape, les catholiques et la question sociale*, 1899 ; — **F. Nitti**, *Le socialisme catholique*, 1894 ; — **Léon Say**, *Dictionnaire d'écon. pol.*, art. *Socialisme* ; — **Croizier**, *Grands mots*, 1932, p. 203-233 ; — *Dict. d'apologétique*, art. *Socialisme* ; — **Valensin**, *Op. cit.*, II, p. 86-113 ; — **Tiberghien**, commentaire de l'Encyclique *Rerum Novarum*, p. 13-24 ; — **H. Brun**, *Op. cit.*, I, p. 330-339 ; — **Antoine**, *Op. cit.*, p. 220-259.

Proprietas tantum collectiva esset legitima, ac proinde Respublica, democratice constituta, productionem et distributionem fructuum inter singulos cives ordinare deberet, et ad mentem. Mens est imprimis *materialismus vitæ*, qui importat religionis contemptum et odium ; dein *suppressio beneficiorum*, cum rerum valor totus a labore pendeat et non ab otiosis patronis ; demum *institutio auctoritatis*, quæ, cum individui sint virtutis incapaces, regat patronos et opifices, sicque collectivitas violenter per luctam saltem transitoriam classium omnibus imponat justitiæ regnum.

B. — **Varia sunt systemata.** Si illa communitas omnibus bonis constituitur, v. g., uxoribus, pueris, domibus, refectoriis, dormitoriis, adest *Communismi absoluti* systema (Platon, Saint-Simon, Fourier ; Ecole Saint-Simonienne, phalanstérienne, etc.) [1].

2. Si vero ad bona tantum productiva extenditur, tunc adest communismis *mitigatus*, vulgo dictus *Socialismus* aut *Collectivismus*, qui subdividitur in *agrarium* et *industrialem*, prout intendit communitatem bonorum immobilium, præsertim agrorum, v. g., H. George in America, Stuart Mill in Anglia, de Laveleye in Belgio, sovietismus in Russia, aliqui Sinenses hodierni, — aut etiam bonorum mobilium seu capitalium, ut sunt pecuniæ, machinæ et instrumenta laboris, viæ ferreæ, bancariæ, etc., ita Internationalis opificum, Karl Marx et Lasalle in Germania, in Gallia autem L. Blanc et Proudhon, nunc S. F. I. O. et C. G. T.

3. Demum, si mediis legalibus et gradatim finem suum assequi volunt, dicuntur *Doctrinarii*, *Possibilistæ*, etc. ; si contra, mediis violentis et sine ulla mora, *Anarchistæ* : « ce qui s'impose tout d'abord, c'est la pandestruction » (Bakounine). — Cæterum utrique christianismi sunt hostes, luctam classium prædicant, imo sæpius negant patriam et omnem auctoritatem : « ni Dieu ni maître ! »

4. Systema vero, quod improprie dicitur *Socialismus Status*, non est negatio juris proprietatis individuæ, sed tantum restrictio per excessiva tributa directa, per nimiam limitationem libertatis in re œconomica, ope interventionis Status, v. g., inter operarios et patronos : ita, v. g. *radicales-socialistæ* in Gallia [2]. — Quibus opponuntur *syndicalistæ*, ita dicti,

1. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 61, 506. — 2. **Claudio Jannet**, *Le socialisme d'état*, 1890.

quia statum rejiciunt quemlibet ut ejus tyrannidi, ut aiunt, federationem syndicatuum, sovietarum aut municipiorum substituant.

Quicumque sit, si vere manet socialismus, componi nequit cum principiis sanæ philosophiæ. Unde

94. Utrum socialismus AGRARIUS sit rejiciendus [1] ?

Sunt hic et illic terræ incultæ aut imperfectius excultæ, quarum tamen fecunditas bono communi maxime interest. Inde problema agrarium, de quo Codex jam citatus : « Dans tous ces cas, l'Etat a le droit, après échec constaté de solutions moins radicales, d'édicter le démembrement des cultures et, au besoin, des propriétés [2] », præstita justa indemnitate. Et hæc aut alia solutio gravissimæ quæstionis agrariæ, juxta plures, diverso gradu urgeret in Roumania, in Mexicano [3], in Hispania [4], in Sinis [5], ut heri in Russia, imo in Anglia et Germania protestantica. Hoc posito, sit

THESIS I

Socialismus agrarius multiplici vitio laborat, nullo argumento solido fundatur, et in praxi impossibilis est.

I. **Multiplici vitio laborat**, imprimis duplici contradictione. Nam 1° negat jus proprietatis in *singulis* civibus, et in pluribus collective affirmat, quod aperte contradictorium est : negato enim jure singulorum, ruit jus cujusque collectionis. — *Hinc* quando Barbari Italiam invaserunt, potuissent dicere : nonne terra est omnibus ? Cur vobis tantum liceat et non nobis pinguiorem partem terræ occupare ?

2° Negat jus proprietatis in bonis *immobilibus*, non autem in mobilibus. Hæc est altera contradictio ; nam, si occupatio rei nullius ad laborandum non sit titulus proprietatis sufficiens in uno casu, nec in altero.

II. **Argumentis inanibus fundatur.** — En autem præcipua :

1° *Æqualitas naturalis* singulorum hominum. — Æqualitas *in concreto* est thesis aperte falsa, nam alii aliis ingenio, prudentia, vigore membrorum, etc., naturaliter præcellunt.

2° *Jus ad vivendum* sane in omnibus æquale est. — At non ideo ad æqualem vel collectivam possessionem terræ concludere licet ; nam sine possessione terræ permulti proletarii de fructibus terræ edere et vivere et cum individuali possessione melius possunt et potuerunt.

1. **Coulet**, *L'Eglise et le problème économique*, p. 191-131 ; — **Meyer** et **Ardant**, *La question agraire*, 1887 ; — **G. Ardant**, *Papes et Paysans*, 1921. — 2. *Code social* de **Malines**, art. 78. — 3. *Le Correspondant*, 25 mars 1931. — 4. *Supplément au Dict. prat.*, 1932, art. *Espagne*. — 5. *Documents de la vie intellectuelle*, 20 fév. 1931.

3° Argumentum petierat H. Georgius [1] ex *lege œconomica* sic : Tres sunt causæ quarum concursu divitiæ producuntur (n. 89) : natura cujus *Reditus* debetur proprietario fundi, labor cujus *Salarium* operario, et capitale cujus *Interesse* capitalistæ debetur.
Hinc æquatio : *Productum* = *Reditus* + *Salarium* + *Interesse*.
Vel : *Productum* — *Reditus* = *Salarium* + *Interesse*.
Unde sic : Reditus fundi eo fit relative major quo minora sunt Salarium et Interesse. Cum autem quotidie debet decrescere Salarium et Interesse (propter multiplicationem hominum et capitalium), Reditus quotidie crescere debet, donec absorbeat totale productum, totalesque divitias agrorum : quod injustum esse horrendumque nemo non videt !

Resp. *a*) *Retorquendo* argumentum : De facto, tempore Georgii, quotidie decrescebat Reditus agrorum, saltem in Europa ; ergo nimis crescere debuisset Salarium aut Interesse. Quod aperte falsum erat, nam hæc tria simul minuebantur, propter multiplices causas extraneas.

b) Georgius *ludit verbis*. Nam in formula legis supradictæ, vox *salarium* sumitur pro labore, tum intellectuali, tum manuali ; in argumento vero pro manuali tantum. — Iterum, vox *interesse* in legis formula sumitur collective pro tota massa fœnorum ; dum in argumento sumitur pro fœnoris taxatione (le taux de l'intérêt) qui quotidie minuitur, dum augetur summa fœnorum. Ergo Georgius æquivocatur.

III. **Moraliter impossibilis est** non tantum partitio totius terræ inter singulos homines, sed agrorum singularum nationum inter *omnes* cives, modo æquali, et perpetuo renovanda, cum perpetuo nascuntur et moriuntur ; nec hujusce partitionis rationabile programma unquam inveniri potuit. Ideo, nostris diebus, non partitio sed possessio terrarum propugnatur, danda quidem collectivitati, quæ, sola cum fuerit proprietaria, easdem antiquis proprietariis, tanquam suis colonis locare poterit et ab eis fructus et reditus vindicare : quod in Russia fieri cœptum est.

Interim tamen cavendum, quod in quibusdam regionibus diutius exstitit, ne perduret excessiva disproportio inter pauperes qui nullam et divites qui fere totam, sed *incultam*, possident terram.

95. Utrum socialismus INDUSTRIALIS sit rejiciendus ?

THESIS II

Socialismus industrialis falsis innititur fundamentis, et in praxi moraliter impossibilis est.

I. — **Falsus est.** Hic duobus novis argumentis innititur, sc. *theoria valoris* marxiana et *crisi ordinis nostri œconomici*.

1. **H. George**, *Progrès et pauvreté*, trad. **Le Monnier**, 1887 ; — **d'Eichtal**, *Socialisme, communisme et collectivisme*, 1901 ; — **P. Leroy-Beaulieu**, *Le collectivisme*, 1893, 1[re] p.

1° Juxta *theoriam Karl Marx* [1], a schola liberali (Bastiat, Smith, Ricardo) mutuatam, valor commutativus rerum (le prix) constituitur solo labore operarii. Porro sub regimine proprietatis privatæ operarius non recipit in mercedem totum valorem operis sui (l'intégralité de son produit). Ergo illud regimen est injustum et abolendum.

Sed neganda est major totius argumenti ; nam labor, licet sit sæpe principalis, non est unicus factor totius producti (n. 89) : ergo operarius partem proportionatam duobus aliis factoribus relinquat oportet. « Si avec les 5 francs qu'il a reçus pour faire une paire de souliers, l'ouvrier ne peut racheter cette paire de souliers, c'est qu'il entre dans cet article bien autre chose que le travail de l'ouvrier [2]. »

2° *Crisis ordinis nostri œconomici* præsertim allegatur a socialistis. Ordo ille fundatur in regimine libertatis : « laissez faire, laissez passer », date omnibus libertatem et ultro orietur rerum optimus ordo. Illud autem axioma scholæ liberalis pessimos fructus attulit : — *a*) *Concurrentia* effrenata exsurgit seu pugna pro vita, in qua debiliores a fortioribus oppressi succumbunt ; — *b*) *Anarchia in productione* ; unde « superproductio » et perturbationes periodicæ (chômages), quibus operarii in miseriam incidunt ; — *c*) *Anarchia in distributione* : « La concurrence des affamés offrant leur travail au rabais fait tomber les salaires ; c'est la *loi d'airain*. » Unde augetur turba quotidie numerosior indigentium, dum crescit paucorum privilegiatorum ingens fortuna !... Ergo, concludunt socialistæ, regimen libertatis est amara deceptio, et locum cedere debet auctoritati Status, qui, bonis omnibus productivis in commune redactis, productionem distributionemque bonorum ipse ordinabit.

At nemo non videt talem conclusionem in præmissis non necessario contineri. Inter libertatem effrenatam individuorum et tyrannidem pessimam Status factionumque politicarum, stat medium, sc. conventio inter productores et consummatores, rationalisatio productionis, moderata Status et Societatis nationum interventus, imprimis vero liberum regimen associationis, in quo corporationes artium, a rebus politicis alienæ, productionem distributionemque bonorum juxta meliores justitiæ normas ordinabunt. Ita, salvo jure individuæ proprietatis, libertas individua æque temperabitur tum libertate associationum, tum proprietate collectiva. « L'instrument de cette reconstitution est là, devant nous. C'est l'association syndicale autorisée par la loi, se continuant en union syndicale, ce qui est déjà commencé, et aboutissant à la Chambre régionale que nous appelons de tous nos vœux [3]. »

1. **Karl Marx**, *Le Capital*, trad. **Roy**, 1873. — 2. **Léon Say**, *Dict. d'économie pol.*, tom. II, p. 780 ; — **Winterer**, *Le socialisme contemporain*, 4[e] éd., 1904, p. 18-20. — 3. Cf. **L. Harmel**, *Manuel d'une corporation*, 1879 ; *Catéchisme du patron*, 1899 ; — **Hub. Valleroux**, *La coopération*, 1904 ; — **Glotin**, *Etude sur les syndicats professionnels*, 1892.

Optime quidem ! ergo, deficiente Statu, associationum personalitas civilis nimium restringi non debet.

II. **Moraliter impossibilis est** socialismi industrialis applicatio, nam in egalitarismo chimerico tota nititur [1].

a) Impossibile erit magistratibus Reipublicæ *distribuere laborem* faciendum singulis civibus, juxta cujusque vires, aptitudines et ingenium. Quibusnam erunt labores grati ? quibusnam ingrati, difficiles, periculosi ? Quibusnam labores manuum ; quibusnam artes liberales ?...

b) Non minus impossibilis *distributio bonorum*, juxta cujusque merita. Certe via lata arbitrario, erroribus, injustitiis, fraudibus et competitionibus politicarum factionum, patebit.

Hæc, brevitatis causa, sufficiunt ad demonstrandum quam impossibile et absurdum esset illud regimen quo libertas civium odiosa tyrannide politicorum mutaretur. Omnibus Reipublicæ civibus vitam quasi monasticam perfectorum aut normam militarem vi imponere, non est nisi mera utopia.

95*. Objectiones utriusque socialismi.

Quæ **tres** allatæ sunt (n. 93) et passim circumferuntur evanescunt. Nam homo — 1. non in solo pane *vivit*, sed præprimis, moraliter et religiose.

2. Liber cum sit et virtutis capax, *virga ferrea regi non debet*, sed exercitio virtutum, nempe caritatis et justitiæ, quas instaurare inter opifices et patronos tanti est momenti : secus enim, loco capitalismi privati, institueretur capitalismus collectivistarum eo quidem periculosior et magis tyrannicus, quod nulli auctoritati subordinaretur.

3. Instructus ergo sit *scientia sociali*, quæ jus proprietatis et beneficia legitima patronum in tuto ponit, nec solius laboris pretium superextollat, ut statim et infra (n. 108) dicemus.

§ III. — *De variis Modis acquirendi proprietatem.*

Unus est modus *originarius*, sed plures *derivati*.

96. Utrum per OCCUPATIONEM primo acquiratur proprietas ?

Œconomistæ male determinant in concreto jus proprietatis in bona naturæ, qui tantum a labore et industria hominum illud repetunt, et ideo rerum valorem esse quid mere subjectivum contendunt. Hoc idem principium urgent *socialistæ* et ideo contra utrosque sit

1. Cf. *Deux expériences socialistes*, in *Rev. des Deux-Mondes*, 15 déc. 1931.

THESIS

Ad primam rei proprietatem non requiritur nec sufficit labor, sed occupatio.

I. **Non labor.** Hac voce intelligunt laborem verum cum fatigatione, per quem res immutetur, specificetur, et quasi identificetur cum persona laborantis. Porro tantus labor — *non requiritur* : secus, v. g., fructus arboris incultæ comedere non liceret, nec possent fieri propria, quæ utilia sunt ad laborandum ; — *nec sufficit*, tum quia potest quis, v. g., viator, rem aliquam suo labore immutare absque intentione illam occupandi ; tum etiam quia, in hac hypothesi, operarii suo labore acquirerent fundum terræ in qua laborant, quod ducit ad socialismum ; tum quia ut homo rem aliquam, agrum scilicet, labore suo fructuosam reddat, necesse est ut prius eam occupet. Ergo labor nec requiritur, nec sufficit.

II. **Sed occupatio.** Hoc nomine venit apprehensio effectiva et externa rei cum intentione manifesta eam sibi acquirendi. Porro talis apprehensio — *requiritur*, claris quidem signis exterius effecta : secus res remaneret nullius seu in communitate negativa, et, ignota possessione, ab aliis jure occuparetur ; — *sufficit* : nam homini, utpote enti superiori, a natura conceditur potestas radicalis faciendi sibi propria quæ sunt nullius (n. 90) ; porro talis potestas satis actuatur seu « exteriorisatur « per rei apprehensionem externam et effectivam, sive fiat ab uno individuo, sive etiam ab aliqua communitate.

Dices cum socialistis : hæc occupatio non fit sine aliquo labore : ergo labor unicus est titulus proprietatis.

Resp. Non fit sine labore morali, *conc.*, — physico, cui rei valor proportionatur, *nego*. Id est, occupatio rerum non fit sine exercitio quodam activitatis humanæ, quale in simplici occupatione reperitur.

Confirmatur a pari ; nam accessio et præscriptio sunt tituli legitimi proprietatis ; porro utraque vel est occupatio continuata, vel nititur in sola occupatione. — Consonat *Jus romanum* : « quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur » ; — necnon *vox naturæ*, qua homines, etiam socialistæ defendunt ex instinctu ut suum, quod primo occupaverunt.

97. Utrum CONTRACTUS et TESTAMENTA sint licita ?

Ecce, præter accessionem rei possessæ, duo modi derivati quibus acquiritur proprietas secundum legem naturalem. Porro œconomistæ multa docent de contractibus, v. g., de pretio, de venditione et usura, quæ justitiæ repugnant ; socialistæ vero negant parentibus facultatem res proprias filiis suis hæreditate trans-

mittendi : quibus præsertim intolerabilis videtur hæreditas sive *ab intestato*, i. e., proprietario non testante, sive a collateralibus aut non-parentibus ; his ergo per tributa excessiva practice redd-datur impossibilis transmissio hæreditatis. Sed contra

THESIS

Dominium sive contractibus sive testamentis transmitti potest.

I. — **Contractibus** : contractus enim est *consensio libera duorum pluriumve in idem placitum obligationem pariens in uno vel in utroque contrahentium.* Porro dominium contractibus onerosis, v. g., venditione aut permutatione, legitime transmitti potest, quod sic probatur : Homines de iis quæ sua sunt, pro libitu disponere possunt, modo jus non sit inalienabile, nec obstet collisio juris alterius. Porro neutrum intercedit, ubi agitur de transmissione vel acceptatione proprietatis individuæ. Ergo, conditionibus positis, sive ex natura, sive ex lege, ad validitatem contractuum, libera et legitima fit transmissio proprietatis.

II. — **Testamentis** : nam *testamentum* nihil est nisi donatio quæ suum sortitur effectum post mortem donatoris ; sed donatio legitimum est exercitium juris proprietarii. — *Nec dicas* fieri non posse, ut quis post mortem det, vel det momento quo alter accipit. Non enim dat unus post mortem, sed adhuc vivens, alter vero post mortem accipit, sed utriusque voluntas virtualiter conjungitur in scripto eodem ferme modo ac per litteras contrahunt absentes [1].

Hinc etiam *ab intestato,* filii sunt hæredes parentum, — tum quia patris est thesaurizare « non solum ad horam, sed ad totam vitam [2] » filii sui, — tum quia filii sunt continuatio parentum, ita ut, recedente uno capite, alterum substitui debeat [3].

98. Hinc ex solo MUTUO lucrum facere per se non licet [4].

Lex contractus enim est ut inter contrahentes servetur æqualitas, quæ violatur, si quis ex solo mutuo lucrum faceret.

Prob. — Simplex mutuum, de quo nunc agitur, mutuum est officium, quod sibi alii aliis præstant homines, quando unus alteri cedit proprietatem rerum quibus indiget, et quæ sunt usu consumptibiles, v. g., frumentum, vinum, alimenta, pecunia, cum hac sola conditione ut, statuto tempore, reddatur æquivalens. Quæ quidem non alium habent valorem ac usum, dum res quæ non sunt usu consumptibiles, v. g., automobilia, habent valorem locationis a suo valore intrinseco distinctum : et hæc est ratio cur aliæ locari pretio statuto possint, aliæ non : licitum est enim remunerationem exigere pro usu alicujus rei frugiferæ. Jamvero

A. — *Non est licitum per se ex simplici mutuo lucrum facere.* Probatur ex notione contractus ; nam essentialis conditio contractus est ut servetur æqualitas inter dantem et accipientem ; porro mutuans, v. g., dat centum nummos aut vini mensuras : ergo *per se* æquivalens tantum, non centum et quinque exigendi

1. **Liberatore**, *Princip. d'écon. pol.*, L. II, c. III, a. 1. — 2. **Sum. theol.**, II-II, q. 101, a. 2. — 3. *Supp.*, q. 67, a. 1 ; — **Liberatore**, *Ibid.*, a. 2. — 4. *Ibid.*, L. III, c. IV ; — **Valensin**, *Op. cit.*, II, p. 183-230 ; — **Tiberghien**, *Comment. de l'Encyclique Vix pervenit*, 1921, et *Semaine sociale de* **Mulhouse**, 1931, p. 183-188.

jus habet, quia, ex modo dictis, proprie non locatur pecunia, quæ, transmisso dominio, fructificat aut perit domino, i. e., in casu, soli mutuatario. Et hæc est doctrina bene communis inter catholicos.

B. — Dixi *per se* seu vi mutui, nam ratione tituli extrinseci, i. e., propter vel damnum emergens, vel lucrum cessans, vel periculum sortis, *per accidens*, aliquam compensationem exigere fas est.

Nec dicas : hodiernis saltem in societatibus semper adest aliquis titulus extrinsecus, ob quem mutuanti lucrum aliquod percipere licet. — Nam objectio præcise fatetur lucrum, non vi mutui, sed aliunde esse licitum, forsan quia hodie pecunia est vere *frugifera*.

C. — At, si frugifera, virtualis est *locatio* [1], et propter hanc pecuniæ hodiernam fecunditatem, aliquod interesse, ut in locatione, retinere licebit. — Sane confundi non debet mutuum *cum associationis contractu*, in quo quis præbet capitale, unam sc. ex tribus causis divitiarum (n. 90), et ideo jus habet strictum ad aliquam partem beneficiorum, ut, v. g., in *actionibus* societariis. Sed nihil impediret, retento jure in totalitatem capitalis, hanc partem in antecessum determinari, seu parvum stipulari interesse, quo vitentur eventus aleatorii. Habes speciem hujusce contractus in *obligationibus* 3 %, 4%, v. g., viarum ferrearum : ille vero contractus jam non est proprie mutuum, sed contractus sui generis, qui dici posset *contractus crediti*, et proprie *contractus fœnebris* dicitur.

1. **Antoine**, *Cours d'économie sociale*, p. 610.

LIBER SECUNDUS ETHICÆ SPECIALIS

DE

JURE SOCIALI [1]

99. Quid et quotuplex sit SOCIETAS naturalis inter homines ?

A. — **Societas est** *unio stabilis plurium hominum, sub eadem auctoritate, ad unum finem communem conspirantium* : non enim societatem constituit homo solitarius, nec collectio animalium, nec unio hominum transitoria, qui non efformeut unam personam moralem.

Hinc in societate duo sunt elementa, multitudo membrorum et finis communis ad quem dirigitur, vel etiam subditi et auctoritas ; subditi sunt quasi *materia*, auctoritas vero quasi *forma* societatis [2]. Revera forma corpori physico dat esse et specificum esse : porro auctoritas utrumque dat corpori morali. — Dat *esse* societati ; nam « multitudo in diversa dispergeretur, nisi esset aliquis, de eo quod ad bonum communitatis pertinet, curam habens [3] ». Unde societas non existit in actu completo ante constitutionem auctoritatis. — Dat *specificum* esse ; qualis enim auctoritas, talis societas.

B. — Societas **multiplex est.** — Ratione *autonomiæ*, est *imperfecta* ut familia, vel *perfecta*, quæ duplex est, societas civilis et Ecclesia catholica : utraque « tanto est perfectior, quanto magis per se sufficiens erit ad necessaria vitæ [4] ». — Ratione *finis*, dividitur in *religiosam* et *laicam* : hæc autem *naturaliter* in *domesticam et civilem, et* aliquantisper *internationalem*. — *Dixi* : *naturaliter* in domesticam et civilem : siquidem corporationes seu associationes operariorum non necessariæ, sed *liberæ*, sicut olim, quantumvis *naturales*, dici debent.

Ita contra *syndicalismum*, ne forte obligatorius dicatur et *essentialis* [5] pari titulo ac familia et societas civilis, ad *trilogiam* socialem, ut aiunt, constituendam, — cum e contra ob luctam contra patronos, ob dependentiam suis membris impositam et omnimodam irresponsabilitatem, *contra naturam* et *periculosus* esse videatur [6], reveraque *corruptio* societatis professionalis et

1. **Ferretti,** *Op. cit.*, tom. III, n. 109-111 ; — **Mgr Deploige,** *Le conflit de la morale et de la sociologie*, 1912. — 2. **S. Thomas,** *De regim. princ.*, L. I, c. I, 3. — 3. **S. Thomas,** *Ibid.* — 4. **Sum. theol.**, I-II, q. 90, a. 3, ad 3. — 5. Cf. **Louis Durand,** *Rapport au Congrès de Sarlat*, 1912. — 6. Cf. Lettre du Card. **Gasparri,** 26 fév. 1915, in *Documentation cath.*, 3 avr. 1920 ; — *Lettre de la S. C. du Concile* à Mgr Liénart, 5 juin 1929 (Doc. cath. XXII, col. 387-410).

juris associationis. — *Nisi* tractu temporis et christianismo melior fiat : nam syndicatus, sive separati sive mixti operariis et patronis, in statu præsenti rerum novarum, sunt moraliter necessarii ad urgendam applicationem legum justitiæ et caritatis [1].

C. — Hi syndicatus et aliæ associationes inter homines sunt liberum at legitimum **exercitium juris associationis** : societates enim *privatas* et honestas inire *jus est naturale*, quod municipia multifariam ipsa usurparunt, quodque hodie contra sociologismum et individualismum propugnare necesse est : — contra *sociologismum* qui negat individuis omne jus anterius societati illudque jus individuorum interventione multiplici Status limitat ; — contra *individualismum*, qui homines esse natura congregabiles in praxi ignorare videtur. Porro multa sunt bona homini maxime utilia in ordine œconomico, morali, intellectuali et religioso quæ solus nunquam, quæ per unionem prompte sibi procurare poterit.

Sed de societatibus publicis hic tantum agendum, quarum divisionem supradictam sequemur in hoc ultimo libro. Unde : — I. De societate *Domestica*, — II. De societate *Civili*, — III. De societate *Internationali*, — IV. De societate *Religiosa*.

CAPUT PRIMUM

DE SOCIETATE DOMESTICA [2]

100. Quid et quotuplex sit FAMILIA seu societas domestica ?

Definiri potest : *unio viri et uxoris inter se et cum liberis ac famulis sub viri regimine*. De qua paulisper dicendum.

Nam, ut ait Le Play : « La famille, comme toutes les institutions sociales, a donné lieu de nos jours à de vives controverses ; les erreurs propagées à ce sujet troublent singulièrement nos idées [3]. » Ideo familiæ stabilitatem, unitatem et fecunditatem contra pessimos errores defendere maximi est momenti : « La famille est la source où l'on reçoit la vie, la première école où l'on apprend à penser, le premier temple où l'on apprend à prier [4]. »

Porro in familia quasi **triplex societas** *naturalis* invenitur, nempe *conjugalis, paterna* et *herilis*. Familia enim, saltem completa et integre spectata, 1° — complectitur virum et uxorem, quorum unio est fundamentum familiæ et socie-

1. **H. Brun,** *Op. cit.*, II, p. 100-115 ; — **Tiberghien,** *Commentaire sur l'Encycl. Rerum novarum*, p. 63-77. — 2. **S. Thomas,** *I Pol.* ; — **De Bonald,** *Œuvres*, tom. V, *Du divorce* ; — **Le Play,** *La réforme sociale* ; — **Am. de Margerie,** *La famille*, 1878 ; — **Blanchard** (abbé), *L'école des mœurs*, 1782 ; — **Bautain,** *Philosophie morale*, 2 vol., 1849 ; — **P. Félix,** *Le progrès, Conf. de N.-D.*, an 1860 ; — **Mgr d'Hulst,** *Conf. de N.-D.*, 1892. — 3. **Le Play,** *La réforme soc.*, c. III, p. 319. — 4. *Code social de* **Malines,** a. 10 ; — cf. **Cavallera,** *Précis de doctrine sociale catholique*, 1931, p. 91-133.

tatis ; 2° — filios, quorum generatio et educatio sunt finis principalis matrimonii ; 3° — famulos, qui, data inæqualitate naturali classium socialium [1], viro, uxori et liberis multa præstant auxilia. — Sit ergo triplex articulus.

ARTICULUS I

De Societate Conjugali.

101. Quinam sint ERRORES circa doctrinam matrimonii ? **Definitur** matrimonium a jure romano : *conjunctio viri et mulieris individuam vitæ consuetudinem retinens* [2]. — Vi sc. hujus unionis, e duabus personis, quasi una et completa efficitur persona, *principaliter* quidem ad procreationem et educationem prolis, *secundario* ad mutuum utriusque conjugis obsequium [3], ideoque ad propagationem generis humani in ordine ad finem *ultimum* obtinendum (n. 13). — Quapropter societas conjugalis unius cum una :

1. *Naturalis* est et primaria ideoque divina : — hanc tamen Manichæi inhonestam, recentes vero secundariam et dependentem a potestate civili volunt.

2. Generi quidem humano, non singulis tamen *obligatoria* : — porro non desunt hodie qui cælibatus statum proclamant inhonestum et impossibilem.

3. *Cujus caput est vir,* non mulier : — e contra, juxta recentes, feminismi fautores, jura mulieris omnia, etiam politica, ergo a fortiori jura domestica, æqualia sunt viri juribus : « ainsi sera obtenue l'émancipation de la femme [4] ».

4. Sicque permanet *indissolubilis* et *una* : — non ita recentes, juxta quos potestas civilis sancire potest divortium, præsertim quando matrimonium fit jugum intolerabile.

102. Sit igitur, ADVERSUS OMNES ERRORES de societate conjugali [5], hæc summaria doctrina de matrimonio, ideoque sequens

THESIS

Unio conjugalis naturalis est, sed non singulis obligatoria : libere tamen inita, sub regimine viri, indissolubilis consistit.

I. — **Naturalis est.** Id enim naturale est ad quod natura

1. **Léo XIII**, **Pius X**, **Benedictus XV**. — 2. **S. Thomas**, *Supp.*, q. 41, a. 1 ; q. 49, a. 3 ; q. 65, a. 1,2. — 3. **S. Thomas**, *IV Sent.*, Dist. xxvi, q. 1, a. 1 ; — **Aristoteles**, *VIII Eth.*, xi et xii. — 4. **Saint-Simon**, *Mémoires* ; Ita scholæ vulgo dictæ : Ecole Saint-Simonienne, Ecole humanitaire ; — cf. **Sécrétan**, *Le droit de la femme*, 1888 ; — **Th. Joran**, *Le suffrage des femmes*, 1914 ; — *La semaine sociale de* **Nancy**, 1927. — 5. **P. Méline**, *La morale familiale*, 1928 ; — *Code social de* **Malines**, p. 37-49 ; — *Dict. prat.*, art. *Famille* ; — **Ferd. Auburtin**, *En péril de mort*, p. 56, 90 et seq. ; — **Pius XI**, Encycl. *Casti connubii* ; — cf. *Commentaire* de l'A. M. C., 1932.

inclinat, et quod Deus præcipit : porro homo naturalem habet inclinationem ad matrimonium ; Deus autem vult propagationem speciei non quomodocumque, more belluarum, sed per medium dignitati humanæ congruum, i. e., per unionem non tantum corporum sed animarum in ordine ad educationem servorum Dei. Ergo juris naturalis et divini est societas conjugalis ; ergo etiam honesta.

Hinc essentialiter *independens* est a societate civili et a voluntate conjugum. — A *societate* quidem, tum quia societas civilis est quasi extensio familiarum, et ideo, ratione temporis et naturæ, ei posterior est : tum quia familia ordinatur ad ea quæ sunt primario necessaria, videlicet ad generationem ; societas autem civilis ad ea quæ nonnisi secundo loco veniunt, i. e., ad bonum commune familiarum. — *Imo* ab ipsa voluntate conjugum : isti quidem per liberum suum consensum vinculum matrimoniale constituunt, sed leges illius unionis non ab ipsis sed a natura et per naturam a Deo solo pendent.

II. — **Non singulis obligatoria** [1] ; nam talis obligatio veniret vel *ex præcepto* matrimonii, vel ex *inhonestate* cælibatus.

Porro non 1um : nam matrimonium generatim hominibus præscriptum dici potest, non vero singulis. — Nec ideo procreatio generis humani ponitur in periculo ; quod enim Deus per præcepta singulis imposita non exigit, hoc per vehementem propensionem in plurimis obtinet.

Non 2um : siquidem cælibatus, qui amore virtutis servatur et solo etiam exemplo multa bona præstat societati, non tantum est possibilis, vocante Deo, sed, quia unionem cum Ipso majorem facilioremque reddit, matrimonio excellentior est. Ergo ex neutra parte obligatio.

Cæterum matrimonium, sicut et proprietas, facto quodam libero, quasi titulo innititur : contrahitur enim a singulis libere, mutuo viri et uxoris consensu, per quem « accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius [2] ».

III. — Societas conjugalis constituitur **sub viri regimine.** Revera societas conjugalis concipi nequit sine unitate, ordinatione et dependentia : hæc autem tria supponunt auctoritatem quæ naturaliter residet in viro ; hic enim dotibus corporis et animæ sæpius mulieri præstantior et aptior est ad laborem et regimen familiæ. Ergo societas conjugalis est

1. **Mendive**, *Op. cit.*, *Ethica*, n. 215-248. — 2. **S. Thomas**, *In IV Sent.*, Dist. xxviii, q. 7, a. 7.

sub regimine viri. — Cave tamen ne mulier ad servitutem paganismi redigatur; non ad servitium viri, sed ad bonum prolis et totius familiæ convenit; indole enim sua tum ad dilectionem et educationem puerorum, tum ad curam domus destinatur. Vir ergo est familiæ caput, mulier autem viri socia, non serva, ut ab excessu paganismi et socialismi recedens, docet philosophia christiana.

Brevius: quæ est viri socia, nec æmula, nec serva ejus sit [1].

Quid ergo de *feminismo*? Triplicem emancipationem mulieris vindicant feministæ: *physiologicam* qua mulier exuatur matris et conjugis muneribus; *œconomicam*, qua mulier res proprias gerere valeat independenter a marito suo et relicta cura domus et puerorum; *socialem* qua, prætermissis suis officiis naturalibus, ad vitam politicam et publicam vacare possit sicut et ipsi viri. Habet quidem mulier, licet inferior viro, dignitatem personæ necnon jura quæ defluunt ex pacto conjugali: nec impedit etiam Ethica naturalis quin ipsa, juxta diversitates temporum et locorum, magis ac magis suas habeat partes in scientiæ thesauris, et in gestione rei familiaris, in vitæ socialis et etiam politicæ activitate. — Ast ordo naturæ requirit ut activitas mulieris exerceatur præsertim in rebus quæ ad familiam pertinent, secundario tantum in aliis, in quantum sc. sinunt officia primaria matris et conjugis necnon unitas regiminis familiæ. Quæ excedunt ista, ad ruinam vergunt familiæ et societatis humanæ sicut ad ipsius mulieris degradationem [2] (cf. n. 103, obj. 3ª).

IV. — **Indissolubilis est et una.** Si dissolvitur, finis *primarius* matrimonii, nempe *bonum prolis* obtineri nequit, — *tum* quia ipsa proles per divortia voluptatis profecto non multiplicatur, v. g., in Gallia quotannis numerantur 25.000 aut 30.000 divortia, sed anno 1881, ante legem divortii nativitates erant 937.000, anno autem 1923 jam erant 761.000 solummodo; — *tum* quia ad bonum prolis concurrere debent pater et mater, non solum per aliquod tempus, sed per totam vitam prolis [3]. — Si *una* non est, fines *secundarii* matrimonii minuentur.

Ergo matrimonii indissolubilitas et unitas jure naturali, saltem secundario, præcipiuntur, cumque lex civilis non possit dispensare super ea quæ sunt juris naturalis etiam secundarii, separationem a corpore potest at *divortium* nequit sancire, id est, quoad essentiam suam matrimonium mutare [4].

1. Cf. *L'ami du clergé*, 8 janv. 1914; — **Pius XI**, Encycl. *Casti connubii*; item *Quadragesimo*. — 2. **Card. Verdier**, *cit.* in *Supplément au Dict. prat.*, 1931, art. *Féminisme*; — cf. **Henri Brun**, *Op. cit.*, II, p. 49. — 3. **Léo XIII**, Encycl. *Arcanum*; — *Dict. théol.*, col. 2048-51; — **Monsabré**, *Conf.* 86, 87; — **Coulet**, *L'Eglise et la famille.* — 4. **Le Play**, *La réforme sociale*, c. III; — **P. Bourget**, *Un divorce*, 1904; — **Fonsegrive**, *Mariage et union libre*, 1904.

Practice *solus amor* isque sincerus, honestus, constans, fidelis, obsequiosus, est verum matrimonii vinculum: nam per eadem principia res conservantur, per quæ producuntur, conjugalis autem amor donationem mutuam perfectam et perpetuam requirit, ita ut sola morte destrui possit ligamen matrimoniale. Sit ergo unio, sicut amor, indissolubilis.

103. Hinc vanæ sunt OBJECTIONES contra matrimonium.

Obj. 1ª. — Matrimonium est contractus *civilis* in societate civili initus. Ergo potestati civili subjacet.

Resp. *Dist. ant.* Initur a civibus, quatenus sunt homines, *conc.*, quatenus cives, *nego*. — Hoc a fortiori verum est de christianorum matrimonio quod est contractus religiosus et sacramentum.

Obj. 2ª. — *Cælibatus* christianus præfert bonum privatum bono communi; ergo est egoismus.

Resp. Præfert bono communi bonum privatum superioris ordinis, i. e., spirituale, *conc.*; ejusdem ordinis, *nego*. Porro falso contendit schola humanitaria bonum privatum etiam excellens, semper et in omni casu propter utilitatem communem esse negligendum. — *Nego cons.*, nam multiplex est forma cælibatus; at, si *christianus*, tum opere, tum exemplo inservit communitati.

Obj. 3ª. — Mulieris *dignitas* per subjectionem viro deprimitur.

Resp. Deprimitur per subjectionem servilem, qualis est apud mahumetanos, *conc.*, per subjectionem conjugalem et amicalem, servatis ipsius uxoris juribus, *nego*, nam e contra, ut dixit Le Play: « Le plus grand malheur de l'assimilation des deux sexes est d'abaisser la dignité sociale de la femme et de dénaturer le caractère auguste de la mère, en en faisant un manufacturier, un marchand ou un propriétaire [1]. »

Obj. 4ª. — Bono familiæ utile est ut matrimonii vinculum solvatur. Ergo societas civilis *divortium* sancire potest.

Resp. Utile est per se et semper, propter bonum generale, *nego*; per accidens aliquando ob bonum particulare, *subd.*: per divortium perfectum, *nego*: per imperfectum divortium, i. e., per separationem viri et mulieris, quando matrimonium est jugum intolerabile, *conc.* Unde nego consequens, nam « in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit [2] ».

ARTICULUS II

De Societate Paterna [3].

104. Quinam sint ERRORES hodierni de societate paterna?

Societas paterna est *conjunctio parentum et liberorum, præsertim educationis gratia*: ex eo enim quod matrimonium

1. **Le Play**, *Ibid.*, 349-353; — **Pufendorf**, *De jure nat. et gent.*, cap. II, § IV; — **Rousseau**, *Discours sur l'origine de l'inégalité*, cit. — 2. **Sum. theol.**, *Suppl.*, q. 67, a. 1, ad 4. — 3. **De l'Académie** *d'éducation et d'entr'aide sociales*, t. III, La famille.

principaliter ad bonum, id est, ad generationem et educationem prolis ordinatur, necesse est ut mutuæ relationes, jura et officia, inter parentes et filios habeantur.

Quapropter **talis** parentum et liberorum societas :

1° Est *naturalis* ; — eam e contra mere liberam esse vult Pufendorf, nullam vero Communistæ ; proindeque parentes nullam haberent potestatem in educationem filiorum, nisi e pacto cum illis tacito, vel e consensu ipsius societatis.

2° Dicitur *paterna*, quia auctoritas in patre præsertim, licet non exclusive, residet ; — si contra auditur Hobbes, « infans est in dominio matris, quæ potest eum educare vel exponere [1] ».

3° Hinc *parentibus* incumbit officium educationis ; — quod negant Communistæ : « Les enfants n'appartiennent plus à ceux qui leur ont donné le jour, ils leur seront enlevés et la société leur fera donner une éducation commune [2]. »

3° Hinc *pueris* officium obedientiæ ; — quod negant liberales eo quod libertas in pueris læderetur, si, v. g., ante annum duodecimum, de Deo, anima et religione erudirentur [3].

105. Sit ergo, adversus omnes errores de societate paterna,

THESIS

Inter liberos et parentes existit societas naturalis, quæ patri auctoritatem, parentibus officium educationis, liberis officia pietatis affert.

I. — **Est naturalis.** Ea enim societas est naturalis cujus membra necessario uniuntur ; porro tum propter generationem, tum propter evolutionem physicam et moralem, quam a solis parentibus congruenter accipere possunt, liberi cum parentibus necessario conjunguntur ; ergo et naturaliter.

Nec est *civilis*, ratione auctoritatis acceptæ : id enim quod est prius societate civili, jura sua non accipit a societate civili ; sed familia societate civili prior est ; ergo auctoritatem paternam non habet a potestate civili, sed a natura.

II. — **Hæc auctoritas in patre primario residet,** — non in *pueris*, ut patet, qui ratione generationis, cohabitationis, educationis, inferioris sunt conditionis ; — nec etiam in *matre* principaliter : hæc enim non habet regimen familiæ, nec nisi secundario in filios habet potestatem (n. 102, III).

III. — Parentibus inest **officium educationis** : secus, fine vacaret generatio. — Imprimis parentes « diligant filios suos eo quod sunt aliquid ipsorum [4] » : sed et « gravissima obli-

1. **Hobbes**, *De cive*, c. IX. — 2. **Saint-Simon**. — 3. **Rousseau**, *Emile ou l'éducation*. — 4. **S. Thomas**, *In VIII Eth.*, lect. 12 ; — *Suppl.*, q. 41, a, 1 ; q. 65, a. 1.

gatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi et etiam temporali eorum bono providendi [1] » : utrumque ergo adimpleant « in disciplina et correptione Domini [2] ». Revera hoc educationis officium et ideo jus, in ordine naturali, per se et primario ad parentes pertinet.

Non ergo audiendi sunt qui volunt — vel ut parentes ab omni castigatione corporali abstineant erga filios suos, — vel, cum Rousseau, ut ante ætatem adultam nullus de religione sermo illis fiat [3] : nam a teneris annis infantes ad virtutem et amorem Dei suaviter et fortiter informare oportet.

IV. — Liberis denique inest **officium diligendi parentes,** « in quantum habent esse ab eis ». Cum autem « filii a parentibus habent esse, nutrimentum et disciplinam [4] », parentibus etiam debent honorem propter esse, sustentationem in senectute propter nutrimentum, et obedientiam propter disciplinam.

ARTICULUS III

De Societate Herili [5].

106. Quid sit societas herilis, quotuplex et utrum sit ?

A. — **Societas herilis est** *unio inter dominum et famulos, qua famulus, propriæ utilitatis gratia, ad domini commodum operam suam ordinat.*

B. — **Duplex** esse potest famulorum conditio : sive *servitus*, sive *locatio operis* (le salariat). Hæc non tollit libertatem externam operarii, qui potest dominum et statum mutare, vel tollit tantum ad tempus libere præfixum, dum omnino aufertur hæc libertas in servitute.

Servitus iterum duplex est : *absoluta* aut *mitigata*, prout simul cum libertate externa jura naturæ inalienabilia, v. g., jus ad vitam, ad personalitatem, auferuntur vel non. — Conditio locationis etiam duplex est : *domestica* vel *proletaria*, prout in domo domini, sicut pars familiæ, famulus habitat, vel propriam familiam in suo domicilio habet aut habere potest.

C. — Jam **famulorum existentia**, in hoc ordine Providen-

1. *Codex jur. can.* 1113. — 2. **S. Thomas**, *In Epist. ad Eph.*, VI, 1. — 3. **Farges**, *La religion de J.-J. Rousseau*, p. 78-81. — 4. **S. Thomas**, Opusc. *In duo præcepta caritatis*, c. 17. — 5. *Code social de* **Malines**, ch. III ; — **Schwalm**, *Leçons de philosophie sociale*, I, p. 324-371 ; — **Antoine**, *Op. cit.*, p. 617-706 ; — **Valensin**, *Op. cit.*, II, p. 313-324 ; Encycl. *Quadragesimo anno* in *Act. Ap. Sed.*, II ; — **H. Brun**, *Op. cit.*, I, p. 343-347.

tiæ, necessaria est, non autem quæcumque conditio : hic serpunt errores quorum confutatio per partes opportuna erit.

107. Utrum quælibet SERVITUS, etiam mitigata, repugnet ?
De servitute duplex est error : *unus* sc. Platonis et Paganorum, qui legitimam esse servitutem absolutam admiserunt ; *alter* recentium, etiam inter catholicos, qui omnem servitutem etiam mitigatam, etiam sub forma colonisationis, ut omnino injustam respuentes, ansam præbent calumniandi Ecclesiam, quæ hunc statum diu toleravit. Sit igitur media

THESIS

Servitus absoluta juri naturali omnino repugnat, non vero, licet minus digna sit, servitus mitigata, nec a fortiori colonisatio.

I. — **Servitus absoluta repugnat.** Id enim repugnat juri naturali, quod tollit ab homine jura inalienabilia v. g. ad vitam, ad familiam, ad religionem ; porro talis est servitus absoluta, qua persona humana tanquam res physica tractatur, quasi nec personæ dignitatem nec ullum jus, nec ullum finem absolutum haberet ; ergo per se juri naturali repugnat.

Hinc horrendum est omnino commercium Nigritarum qui olim in Americas, nunc ex Africa in Asiam præsertim deportantur : sic enim, proh dolor ! quinque millia millium servorum adhuc exstant in orbe terrarum [1].

II. — **Non vero mitigata.** Hæc enim societas per se non est illicita, quæ nihil habet contra jus strictum naturæ, quæ vergere potest in bonum commune, et aliunde titulo justo fundatur. Porro

a) In servitute mitigata jura naturæ *inalienabilia* reservari possunt, et tradi tantum jura secundaria, v. g., ad acquirendam proprietatem, ad libertatem quamdam..., quæ etiam, v. g., per professionem religiosam aut militarem, omnium consensu, legitime abdicantur.

b) Illa societas vergere potest in majorem *utilitatem* ipsius servi, qui olim — et hodie certis in locis — sub cura dominorum vere christianorum, pro labore moderato, securitate victuque perpetuo fruebatur, imo feliciorem fortasse vitam agebat quam permulti recentes operarii, liberi quidem, sed nomine magis quam re liberi.

c) *Titulo* denique fundari potest, v. g., in voluntaria traditione servi, etiam perpetua, aut in justa pro delicto gravi condemnatione. — Ergo hæc servitus per se non est illicita.

1. **Bricout**, *Diction. prat.*, art. *Esclavage*, in *Supplément*, 1932.

III. — *Nec a fortiori* **colonisatio.** — Hæc enim ipso titulo benevolentiæ in ordine temporali evadit legitima, modo pacifice, excepto casu deprædationis aggressivæ, *incipiat* ; *pergat* quidem prohibendo, v. g., anthropophagiam et alia horrenda crimina, vitando quælibet injusta, expropriationes, salarium insufficiens, etc., fovendoque omnem progressum materialem, intellectualem et moralem ; *desinat* autem per independentiam ipsi regioni, quæ ad maturam civilisationem pervenerit, de facto, si non de jure, concedendam in quantum fieri potest.

Attamen fatemur servitutem *etiam moderatam* esse minus dignitati humanæ conformem, multisque periculis obnoxiam, ac proinde tanquam **minus malum** tolerari tantum potuisse : — itemque *laborem coactum*, si in coloniis, sive a Statu ipso, sive a quocumque hero, immoderate et injuste imponitur viris extra domum ipsorum et longe a familia sua [1].

108. Quid de locatione operis seu de SALARIO sit tenendum ?
De locatione herili item *duplex est error*. *Alii*, præsertim socialistæ, salariatus statum et contractum de salario tanquam injustum persequuntur, participationemque operariorum in beneficiis patroni, ut debitam ex justitia, ope syndicatus, vindicant. *Alii* e contra, liberales dicti, quodlibet salarium esse justum putant, modo sit liber utrinque consensus.

Sed distinguere est inter salariatus *regimen* et *contractum* salarii. Primum seu salariatum dignitati humanæ minus etiam conformem esse plures hodie dicunt, imo in se injustum [2] falso contenderunt. — Sed quidquid sit de ejusdem in futurum restrictione aut etiam mutatione, sicut regiminis cujuslibet, possibili, sit de secundo seu de contractu salarii

THESIS I

Contractus locationis aut salarii inter patronum et operarios in se legitimus est, imo hodiedum solus ordinarie possibilis.

I. — **Legitimus est**, etiamsi diceretur contractus societatis.

A. — Sunt enim, qui egalitarismo nimis indulgentes, per contractum salarii veram institui societatem juridicam inter patronum et operarios, quasi inter co-proprietarios ejusdem professionis, propugnaverunt [3]. Hoc supposito, sic argumentantur : societarii jus habent in partem incertam sed proportionatam producti totalis ; sed qui jus habent ad partem incertam rei futuræ, illud cedere possunt pretio certo et præsenti, quod vocatur salarium :

1. Cf. *Docum. cath.*, 27 sept. 1930, col. 431 et seq. — cf. *Semaine sociale* de **Marseille** : *Le programme social aux colonies*, 1930. — 2. *Revue catholique des Institutions et du Droit*, 58e vol., p. 542. — 3. Cf. **Duthoit**, *Vers l'organisation professionnelle*, 1910, p. 142.

ergo salarium est legitimum. — Probant *majorem* : siquidem qui laborat, jus habet in fructum operis sui. Cum autem, ut jam diximus, tres sint causæ productivæ rerum : *natura*, *capitale* et *labor* (sive labor manualis operarii, sive labor intellectualis conductoris operum, *l'entrepreneur*), operarii habent jus quidem, sed non nisi in partem proportionatam producti totalis, cujus altera pars, sub nomine beneficiorum, jure pertineret ad patronum.

B. — At revera contractus salarii non est contractus societarius, ad quem requireretur inter patronum et operarios identitas objecti, causæ et finis. Quid ergo ? Est *quædam locatio-venditio* in qua unus tradit operam et alter pretium ejus. Atqui talis contractus omnino naturalis est, vulgatissimus in Jure Romano, sicut ille innominatus : *facio ut des, do ut facias* [1], et in omni tempore, innumeris in materiis, variis sub formis, viguit ac viget :

« Ce n'est pas seulement aux travailleurs manuels que s'applique ce mode de rétribution. Un employé est payé au mois ou à l'année ; un médecin compte ses honoraires d'après le nombre de ses visites ; un écrivain est souvent rétribué à la ligne ; un professeur à l'heure de leçon... [2]. » Ergo, *a pari*, legitimus est contractus salarii.

Unde Pius XI : « Qui operæ conducendæ locandæque contractum vi sua injustum ac proinde in ejus locum societatis contractum sufficiendum esse pronuntiant, absona profecto dicunt ac prave calumniantur [3] ». Leonem XIII, cujus Encyclicæ salarii contractum recipiunt et commentantur.

II. — Imo **ordinarie solus est possibilis** operariis et patrono.

1° Ex parte *operarii*, nam sæpe sæpius operarius est *pauper*, nec potest futura beneficia, per plures menses aut annos exspectare. — Insuper illa beneficia sunt *aleatoria*, ut patet ex tot incæptis quæ in ruinam multorum versa sunt. Porro pauper operarius a tantis aleis eximendus est pretio certo salarii ; nec ergo cogatur introire in societatem, cujus jura quidem, sed et aleam participare deberet.

2° Ex parte *patroni*, nam si operarii jus haberent in beneficia, etiam haberent jus redarguendi gestionem rerum operisque directionem, quod sæpius esset patrono jugum *intolerabile* et bono communi gravissimum impedimentum. — Præterea, præsertim in « magna industria », causa principalis cur res sese bene aut male habeant, est ingenium vel imperitia *ductoris operum*. Unde, ut opinatur P. Leroy-Beaulieu : « Le

1. Cf. *Revue cath. des Instit. et du Droit*, 50e vol., p. 444 ; — cf. **Fontaine**, *Le modernisme sociologique*, 1909. — 2. **P. Leroy-Beaulieu**, apud **Léon Say**, *Dict. d'écon. pol.*, tom. I, p. 776. — 3. *Quadragesimo anno*, *Ibid.*, p. 198.

système de la participation aurait cette conséquence que les ouvriers gagneraient non plus en raison de leurs mérites, mais en raison de l'habileté du patron [1] » : quod non solum æquitati repugnat, sed a patronis recusaretur.

THESIS II

109. *Salarium uniri potest cum quadam participatione beneficiorum, quæ est valde optanda, sed non imponenda.*

I. **Valde optanda est**, — nam sicut ad causam suam effectus sponte redit, ita fructus laboris non soli domino, sed etiam operario accedere convenit. Quapropter quidam patroni, jam abhinc quinquaginta annis, mercedi præfixæ operariorum suorum addiderunt quamdam participationem in beneficiis.

« A la fin de l'année et après l'inventaire, on distribue, non pas à tout le personnel, mais en général au tiers, à la moitié, c.-à-d., aux ouvriers ayant un certain degré d'ancienneté ou d'habileté, soit 5 pour cent, soit 10 pour 100, parfois même 20 pour 100 des bénéfices constatés [2]. »

Porro, ut experientia constat, illa praxis vergit in bonum tum operariorum tum patronorum, qui hoc stimulo, majorem diligentiam et fidelitatem, imo majorem œconomiam in usu materiæ primæ, obtinuerunt. Vergit etiam in bonum societatis, favendo unioni inter operarios et patronos. Unde ab omnibus œconomistis valde laudatur.

La participation aux bénéfices est susceptible d'applications nombreuses et heureuses... mais, bien loin de supprimer le salaire, elle ne lui est que d'un très léger appoint. On peut dire qu'elle est, par rapport au salaire, ce qu'un condiment, tel que le poivre ou l'ail, est par rapport à la nourriture. Ce condiment peut être le bienvenu et servir de stimulant dans certains cas, mais il ne supplée pas à la nourriture substantielle, qui est le salaire [3]. »

Hinc, retento salario, Pius XI optat ut ipsum aliqua participatione contractus societatis « aliquantulum temperetur [4] ».

II. **Non est imponenda** — a lege tamquam jus strictum, ut voluit Proudhon et velle debent qui contractum salarii esse societarium proclamant (n. 108). — Secus enim et statim amitteret vim suam fovendi unionem patronorum et operariorum ; non enim salvaretur legitima inter utrosque inæqualitas, sed induceretur in re œconomica, ut in civili, egalita-

1. **P. Leroy-Beaulieu**, *Ibid.* ; — cf. **Garriguet**, *Op. cit.*, p. 280 et seq. — 2. **P. Leroy-Beaulieu**, *Ibid.* — 3. *Ibid.* — 4. **Pius XI**, *Encycl. cit.*, II, n. 4 ; — cf. *Code social* de **Malines**, a. 97-98.

rismus, paulatimque, ut ait Pius X, « le nivellement des classes [1] ». — Præterea, etiam in hypothesi contractus societarii (n. 108), si operarius vendidit jus ad fructum operis sui pretio *justo*, jam soluto pretio, nullum jus ad eumdem fructum retinet. Ideo lepide serius auctor :

« Il serait vraiment curieux, si vous faisiez construire une maison, que les maçons, après avoir été payés de leur travail, voulussent en outre occuper quelques chambres, sous prétexte du droit naturel qu'ils ont dans le produit de leur travail ; ou que le tailleur, après avoir été payé de l'habit qu'il vous a fait, prétendît pour la même raison l'endosser lui-même à certain jour de la semaine [2]. »

THESIS III

110. *Ad liceitatem contractus salarii non sufficit consensus utrinque liber, sed requiritur sufficientia hujusce salarii.*

I. — **Falsum est sufficere** unicam conditionem, nempe *ut sit liber utrinque consensus* : « Le contrat ne fait pas la justice, c'est la justice qui fait la force du contrat. » Nam insuper

1° Requiritur *capacitas* ad contrahendum. Pueri, minores, dementes, mulieres sub potestate maritali, per se non contrahunt valide, sine assistentia mariti, parentum aut tutorum. Unde graviter peccant patroni qui his abutuntur.

2° Requiritur ut contractus sit de *materia licita*. Cum autem non locentur res quælibet, sed vires et personæ humanæ, illicitæ sunt conditiones quæ humanæ dignitati adversantur, v. g. : labor nimis periculosus aut insaluber, labor sine requie sufficienti, vel cum officiis erga Deum aut erga familiam incompossibilis. Nam « nefas est spondere neglectum (rerum), quæ Deo vel sibimetipsi hominem obstringunt [3] ».

II. — **Requiritur sufficientia hujusce salarii.** Revera, sicut ipsa proprietas, ita labor quo acquiritur duplicem characterem præ se fert, individualem sc. et socialem.

1° Sub *primo* aspectu, labor est operario personalis quidem sed et necessarius. Ideo, etsi, quia proprius, posset patrono cedi quocumque pretio, non item quia absolute necessarius est opifici. Nam qui vires vitamque domino consumit, jus strictum habet saltem ad sufficientem vitæ suæ refectionem ; alioquin æqualitas contractus inter dantem et accipientem violaretur. Unde, si patronus abutitur indigentia operarii,

1. *Lettre sur le Sillon*, 25 août 1910. — 2. **Liberatore**, *Principes d'écon. pol.*, p. 247. — 3. **Leo XIII**, Encycl. *De conditione opificum*, 1891.

vel concurrentia effrenata, ad imponendum pretium infra normam rationabilem, certo contractus fit iniquus. « Esto igitur, ait Leo XIII, ut opifex atque herus in idem placitum... consentiant : subest tamen semper aliquid ex justitia naturali, idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius, scilicet *alendo opifici frugi quidem et bene morato, haud imparem* esse mercedem oportere ». Ita Encycl. *Rerum novarum*, ita etiam Le Play et alii œconomistæ catholici.

2° Sub *altero* aspectu, labor sine quo societas civilis ipsa sterilis manet et stare nequit, assecurare etiam debet vitam socialem operarii, qui profecto non ad vitam solivagam, sed ad conjugalem, domesticam et socialem natus est. Ideo et vi etiam justitiæ socialis, « merces operario suppeditanda est quæ ad illius ejusque familiæ sustentationem par sit [1] ».

Cæterum salarium hujusmodi *familiale* enixe propugnaverunt Manning [2], Liberatore [3], Lehmkuhl, Perriot et alii non pauci ; — imo, non obstante controversia de titulo quo debebatur, ab omnibus admittebatur, etiam a parentibus scholæ liberalis (A. Smith, Ricardo...), salarium *naturale* et optandum honestæ vitæ opificis suæque familiæ proportionari debere, ita ut etiam moderatam mercedis partem seponere possit [4] : quod passim a quibusdam patronis catholicis, stante controversia nunc antiquata, ex *caritate* saltem et *æquitate* sociali in praxim deductum fuit [5].

Utramque autem regulam salarii pressius declarare, quanta erat necessitas, luculenter *confirmatur experientia*. Nam lex liberæ concurrentiæ seu lex relationis inter oblata et petita (la loi de l'offre et de la demande) qua nunc regitur salarium, nulla æquitate naturali temperata, pessimos fructus attulit. Hinc *machinismus* hodiernus, seu lugenda inter operarios et patronos relationum norma, vi cujus dominus, ab operario tanquam a machina productionis, maximam operam pro minima mercede extorquere conatur.

Ita œconomistæ catholici tum contra capitalistas liberales qui justum pronuntiant salarium quodcumque libere conventum, tum contra socialistas, qui omne salarium injustum reputant, quia totus laboris fructus debetur operariis.

111. Ecce igitur ex laboris dotibus salarii justi NORMA : — sc., *in omni casu* salarium respondere debet valori œconomico

1. **Pius XI**, Encycl. *Quadragesimo anno*, 15 mai 1931, in *Act. Ap. Sed.*, 1931, p. 200 ; — cf. Encycl. *Casti connubii*, 31 déc. 1930, in *Act. Ap. Sed.*, 1930, p. 539, — 2. Abbé **Lemire**, *Le card. Manning et son action sociale*, 1894, p. 195-217. — 3. *Op. cit.*, p. 246-252. — 4. Cf. **P. Antoine**, *Cours d'écon. sociale*, p. 569 ; — **De Gryse**, *De contractu conditionis*, Rollarii Flandrorum, 1895 ; — *Revue thomiste*, 1896, p. 317. — 5. Cf. Lettre du **Card. Maurin**, 1918.

operis præstiti, — in *statu* autem *normali* industriæ et commercii *minimum* pretii justi sufficiens esse debet sive ad alendum opificem, sive etiam ad sustentationem suæ familiæ. Patet ex dictis regulam *theoretice* inconcussam esse : « mutuæ enim rei seu dominii et operæ seu laboris relationes ad strictissimæ justitiæ leges quam commutativam vocant, exigi debent [1] ».

In *praxi*, ut recte taxetur salarium, tria sunt attendenda :

1. **Sustentatio operarii suorumque.** — Justitia enim socialis petit ut « omnes patres-familias sibi, uxori, filiis pro dignitate et loco alendis necessaria mereri et lucrari possint [2] », at profecto sive cum iis quæ conjuges ipsi diu ante matrimonium contra futuras necessitates colligere debuerunt, sive cum iis quæ alia membra, salva matris in domo residentia, pro posse suo acquirere valent. — Quodsi in præsentibus rerum adjunctis, statim hæc norma hic et nunc applicari non possit, « postulat justitia socialis ut mutationes quamprimum inducantur quibus cuivis adulto ejusmodi salaria firmentur [3] ».

2o **Officina patroni.** — Utrum enim *in praxi* salarium, etiam ad alendum opificem *insufficiens*, sit semper injustum et in culpa patroni, non constat. Hic tantum sedulo notandum est normam salarii justi non a sola bona voluntate patronorum dependere, sed sæpius, in statu societatis anormali, etiam a causis œconomicis gravioribus : quæ tamen heri infrequentius, hodie rursus urgent et tollantur oportet.

« D'ordinaire, les patrons eux-mêmes sont victimes du système économique généralement en vigueur. La concurrence effrénée fait que le prix des marchandises s'abaisse sans cesse : et, pour être en mesure de vendre à bas prix et ne pas se faire écraser par leurs concurrents, les chefs d'industrie sont bien souvent forcés d'abaisser toujours de plus en plus le prix de revient de la marchandise. C'est un résultat auquel concourt aussi la production excessive, conséquence de l'emploi des machines (l'agiotage effréné) et le poids toujours croissant des impôts publics. Il s'ensuit que la condition des ouvriers va toujours s'empirant [4]. »

Non ergo ab officina exquirantur immodica salaria, quæ absque suo excidio tribuere non posset, nec forsan poterit unquam sufficientia dare, nisi per optandam concordiam inter operarios et moderatores [5].

3o **Bonum commune.** Sicut enim alienum est a justitia

1. **Pius XI**, Encycl. *Quadragesimo anno*, p. 212. — 2. Encycl. *Casti Connubii*, loc. cit. — 3. Cf. Encycl. *Quadragesimo*, p. 200. — 4. *Liberatore*, *Op. cit.*, p. 251. — 5. Encycl. *Quadragesimo*, p. 201.

sociali ut, proprii emolumenti gratia, salaria nimis deprimantur, ita etiam ut nimis extollantur. Utrumque profecto impediret ne iis qui laborare volunt et valent, laborandi opportunitas præbeatur, sicque ulterius ne operarii copiam bonorum sufficientem ad vitam honestam acquirere valeant [1].

Utrum vero minimum salarii justi a Statu, si a patronis vel potius a corporationibus liberis artium, pro opportunitate rerum, temporum et locorum non determinetur, sit lege statuendum per contractum collectivum laboris patronis imponendum, infra dicetur (n. 126). Sufficiat in præsenti dicere ad Statum, defectu privatorum, proprie pertinere ut assecuret bonum commune et ideo justitiæ socialis observationem.

CAPUT SECUNDUM

DE SOCIETATE CIVILI [2]

112. Quid sit et qualis sit societas civilis ?

A. — **Definitur** : *unio permanens plurium familiarum, sub eodem regimine, bonum commune et temporale, directe prosequentium.* Est *unio* moralis, non physica ; — *plurium familiarum* : ecce materia proxima societatis ; — *sub eodem regimine*, nam corporis moralis, instar corporis physici, unum est caput ; — *bonum commune* prosequentium : societas enim non ordinatur ad utilitatem cujusdam hominis vel classis, sed omnium civium ; — necnon ad bonum *temporale* : sola enim societas religiosa ad bonum spirituale directe tendit in ordine ad felicitatem æternam ; — *directe* prosequentium, nam felicitas hujus vitæ referri debet ad felicitatem alterius vitæ, quæ ideo indirecte intenditur.

B. — Sæpius apud auctores [3] elementum materiale seu multitudo, **dicitur** *populus*, elementum formale, id est gubernium, appellatur *Status* ; corpus morale ex utroque elemento compositum, vocatur *societas civilis* et *politica* : *civilis*, cujus membra sunt cives, *politica*, quia prudenter, non despotice regi petunt et debent. Estque in suo ordine *suprema* et ideo *perfecta* ; quare ab Angelico definitur : « communitas civitatis instituta ad per se sufficientia vitæ humanæ. » De qua sint

1. **Pius XI**, *Ibid.* — 2. **Léon XIII**, Encycl. *Immortale Dei*, 1885 ; — **Magnin**, *L'Etat, conception païenne et conception chrétienne*, 1931 ; — **Valensin**, *Op. cit.*, II, p. 351-489 ; — **Roland-Gosselin**, *La doctrine politique de S. Thomas d'Aquin*, 1928, p. 91-167 ; — **Coulet**, *L'Eglise et le problème politique*, 1922 ; — **O. Lemarié**, *Morale politique*, 1929. — 3. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 355, 416, 439, etc.

quinque articuli : 1us de *Natura societatis civilis*, — 2us de *suprema Potestate civili*, — 3us de *variis Regiminis formis*, — 4us de *Muniis et Limitibus Status*, — 5us de *Officiis subditorum*.

ARTICULUS I

De Natura societatis civilis.

Quæruntur societatis civilis *origo*, *structura* et *functio*.

113. Utrum societas civilis sit homini NATURALIS ?

Fere omnes philosophi, post Aristotelem et S. Thomam, asserunt hominem esse natura sua socialem et politicum. Non ita Hobbes et Rousseau ; nam, si priori fides, « homo est homini lupus », et primo solivagus bellum in alios omnes agebat ; si posteriori, homo primo sylvester et felicissimus, quia liber. Unde Hobbes fingit hominem per se *anti-socialem*, Rousseau autem *extra-socialem*, uterque eumdem ex pacto *arbitrario* in societatem convenisse [1]. Contra quos medium tenet hæc thomistica

THESIS

Societas civilis homini naturalis est, et naturaliter, etsi cum interventu voluntatis humanæ, constituta fuit.

I. **Naturalis est.** — Natura enim invincibiliter inclinatur homo ad ea quibus indiget ut perfectionem debitam et felicitatem hujus vitæ consequi valeat. Sed multa bona huic felicitati et perfectioni utilia, in ordine physico, intellectuali et morali, habere tantum potest per societatem politicam. Ergo societas politica ex inclinatione naturæ orta est.

Revera homo non est sicut alia animalia quæ sibi sufficiunt ; « aliis enim animalibus natura præparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem, ut dentes, cornua, ungues, vel saltem velocitatem ad fugam ». Item, « aliis animalibus innata est naturalis industria ad omnia ea quæ sunt eis utilia vel nociva. Quædam etiam animalia ex naturali industria cognoscunt aliquas herbas medicinales, et aliqua eorum vitæ necessaria ». — Secus de homine dicendum est ; nam, ita comparatus est a natura, ut progressivo rationis usu hæc omnia sibi præparet ; sed quum unus homo, aut una familia ad ea præparanda non sufficiat, « *est homini naturale* quod in societate multorum vivat », « ut unus ab alio adjuvetur, et diversi diversis inveniendis per rationem occupentur ; puta unus in medicina, alius in hoc, alius in alio [2] ».

II. **Naturaliter constituta** fuit per interventum voluntatis

1. **Farges**, *La religion de J.-J. Rousseau*, p. 73 et seq. — 2. **S. Thomas**, Opusc. *De rege et regno, i. e, De regimine principum*, L. V, c. I ; — De bonis quæ per societatem procurantur egregie scripsit **F. Bastiat**, *Les harmonies économiques*, 1850, c. 1 ; — **Revue thomiste**, an. 1898, p. 529 ; an. 1899, p. 82.

humanæ exigentias naturæ opportune complentis [1]. Revera societas e variis causis, variisque circumstantiis oriri potuit, ut sunt consensus plurium familiarum eumdem ducem eligentium, dominatio cujusdam viri potentis, emigratio et alia similia. Sed hæc accidentalia sunt et non universalia : unde secundum leges naturæ consuetas, cum societas sit familiarum adunatio, en quomodo factum illud primitivum repeti potest ab ipsa familiarum extensione et propagatione. Familiæ quidem ex eodem stipite ortum habentes, paulatim accrescunt, et « ex communi condicto [2] » eumdem ducem, v. g., patriarcham eligentes, vicum, urbem, provinciam, nationem constituunt secundum ea Tullii : « Prima societas in ipso conjugio est, proxime in liberis ; deinde una domus, communia omnia ; inde autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicæ [3]. »

Confirmatur ex falsitate suppositi quo nituntur Hobbes et Rousseau. Nam ex annalibus humanitatis apparet nunquam hominem fuisse solivagum, sed societatem patriarchalem et politicam a primis ævis extitisse et ideo, sicut et post domesticam, esse pari titulo naturalem, contractu quidem, at nec contra exigentias naturæ, nec ad nutum rescindibili, per se constitutam.

114. Quænam sit societatis civilis intima STRUCTURA ?

THESIS

Societas civilis est organismus moralis, cujus partes immediatæ per se non individua, sed familiæ sunt.

I. — **Est organismus.** Ibi adest organismus moralis, ubi datur compositum, quod, corporis instar, constat partibus heterogenis, ad functionem specialem deputatis. Porro in societate civili dantur varia organa, quorum alia ad artes, alia ad agriculturam, alia ad commercium, alia ad industriam, etc., ordinantur. Ergo in ea est organismus moralis.

II. — **Hæc organa sunt familiæ.** Iis enim elementis societas coalescit quibus constituta fuit et in quæ resolvitur. Porro — 1. Societas civilis non est congregatio inita inter homines, nullis aliunde vinculis obstrictos, sed est ipsius familiæ extensio naturalis : nam « sicut vicus constituitur ex

1. **Schwalm**, *Leçons de phil. sociale*, t. II, p. 456-475 ; — **Valensin**, *Op. cit.*, II, p. 424 ; — **G. Renard**, *La théorie de l'institution*, 1930 ; — **Antoine**, *Op. cit.*, p. 28-47 ; — **Gillet**, *Les doctrines individualistes*, in *Semaine sociale de* **Strasbourg**, 1922, p. 201-219. — 2. **Sum. theol.**, q. 57, a. 2, ad 2 ; *Suppl.*, q. 41, a. 1 ; *In Pol.*, I, II-II, lect. 1. — 3. *De officiis*, L. I, c. VII.

pluribus domibus, ita civitas ex pluribus vicis [1] ». Quare — 2. Si quando per aliquod tempus dissolveretur societas civilis, remaneret societas domestica, quæ homini magis est necessaria, et ad quam primario ordinatur. Ergo non individua, sed familiæ sunt *per se* materia proxima societatis.

Dixi : per se contra individualismum, ut, ex una parte, non excludantur absolute orphani et cælibatarii quilibet, nec tamen, ex altera parte, omittantur societates privatæ multiplices, v. g., corporationes opificum, quæ sunt Status et familiarum auxiliatrices et sub hoc respectu, secundariæ saltem, partes civitatis [2].

115. Quotuplex sit FINIS et ideo FUNCTIO societatis civilis [3] ? Finis Status est bonum commune, quod, cum sit *duplex*, conservatio jurium et progressus in bono temporali, duplicem etiam requirit functionem, sc. tutelam et procurationem. — Concedunt omnes *primariam* Status functionem esse tutelam jurium : siquidem ad hanc assecurandam habet et solus habet potestatem legiferam, judiciariam et coactivam.

At, juxta *liberales* seu *radicales* politicos, v. g., Hobbes, Rousseau, Kant et alios recentiores, societatis politicæ scopus unicus est, sc. tutela libertatis ; — proinde legis officium non est procurandi bonum civibus, sed tantummodo protegendi libertatem. Hæc ideo est formula generalis omnis liberalismi politici (infra, n. 143) : « Le but de toute association politique est la conservation des droits naturels et imprescriptibles de l'homme. Ces droits sont la liberté, la sûreté et la résistance à l'oppression [4]. » — Contra quos sit

THESIS

Societas politica non ordinatur solum ad tutelam jurium, sed etiam ab bonum physicum, intellectuale et morale civium [5].

I. — **Non ad tutelam tantum.** Id enim rejici debet quod falsis nititur fundamentis et ducit ad perniciosa ; porro tale est principium liberalismi ; ergo rejici debet.

Constat *minor*, nam — 1. supponunt liberales rationem individuam esse ab omni vinculo morali independentem, hancque autonomiam omni ex parte protegendam esse : quæ omnia sunt falsa. — 2. His enim admissis, sequeretur crimina prohiberi non posse, modo coexistentiæ civium non noceant, aut religionem esse reprimendam, quia libertatis civium dirigendæ et coercendæ officium habet : quæ sunt perniciosa et quæ tamen in praxi ab adversariis admittuntur.

1. **Thomas**, *Eth.*, lib. 1. — 2. **Schwalm**, *Op. cit.*, II, p. 408 ; — cf. *Semaine sociale de* **Reims**, 1933 ; conclusion XIVe. — 3. **Antoine**, *Cours d'économie sociale*, p. 70-93. — 4. *Déclaration des droits de l'homme*, 1789, a. 2. — 5. **J. de Pange**, *Les théories politiques du Moyen âge*, 1914.

II. — **Sed etiam ad bonum commune.** — Nam, ex dictis, societas naturaliter constituitur ut bona hujus vitæ assequi possit ad quæ activitas privata non sufficit. Porro activitas privata non sufficit ad bonum commune physicum, intellectuale, morale. Ergo societas ad hæc tria præcise ordinatur, non vero ad minoris momenti negotia, quæ inferioribus cœtibus expedienda permittat [1].

Quapropter inest societati non tantum finis negativus in malo communi coercendo, sed etiam positivus in promovendo bono communi (infra, n. 125) ; nec tantum immediate ad bonum physicum, sed, quia est societas hominum, ad bonum præsertim *morale*, sicque ultimo ad religionem, ordinatur. Hinc Status functio duplex : utraque altissima est et vigilantissima sit oportet.

Obj. — Societas non potest cognoscere bonum, quod civium universitati convenit ; ergo illud promovere non est ejus functio.

Resp. *Nego ant. et cons.* Sunt enim permulta bona quæ pendent a primis principiis legis naturalis ; in his autem, nec exceptis erga Deum officiis, ignorantia non est possibilis.

ARTICULUS II

De suprema Potestate civili [2].

116. QUID SIT et utrum SIT suprema potestas civilis ?

A. — **Definitur** : *jus rempublicam gubernandi* : seu fusius : *Facultas moralis, et in ordine suo independens, quæ actiones civium dirigit ad bonum societatis civilis.*

1° Dicitur *facultas moralis*, quia non est vis mere physica, ut volunt socialistæ absoluti, dicentes : « Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa [3]. »

2° Est *in ordine suo independens*, quia nulli subjicitur potestati ejusdem naturæ, sed tamen superiori, si detur.

3° *Dirigit* per leges : imprimis enim est legislativa (n. 121).

B. — Hanc porro potestatem societati **necessariam esse,** imo ad essentiam illius requiri, evidens est : nisi enim actiones omnium in unum finem dirigerentur, scopum suum societas attingere non posset : ita contra anarchistas.

Quæstiones autem gravissimi momenti moventur circa *originem*, *subjectum* et *transmissionem* supremæ auctoritatis.

1. **Pius XI**, Encycl. *Quadragesimo*. — 2. Cf. **Billot**, *Tract. de Ecclesia*, p. 489-511. — 3. *Syllabus*, Prop. 60, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1760.

Inde tres theses, ex quibus 1ª et 3ª statuunt exigentias naturæ, 2ª munus partesve activitatis humanæ adstruit.

117. Utrum suprema potestas civilis sit A DEO [1] ?

Juxta socialistas seu assertores contractus socialis (J.-J. Rousseau), potestas suprema, sicut ipsa societas, non oritur a Deo, sed ab arbitraria sola voluntate hominum, tanquam a causa efficiente. Contra quos sit

THESIS I

Suprema potestas civilis in se procedit a Deo.

Prob. — Quidquid enim est in rebus naturæ, habet originem a Deo, seu a Prima Causa rerum naturalium. Unde sic :

Societas est a natura et consequenter a *Deo, qui naturæ Auctor est.* Sed auctoritas jure dicitur unum et præcipuum e duobus elementis omnium societatum constitutivis. Ergo Deus, in quantum est societatis Auctor, haberi debet ut principium supremæ potestatis civilis [2] : secus enim aliquid esset in effectu, quod non haberet originem a Prima Causa.

Præterea, illa potestas est a Deo, in qua plures sunt *functiones et actus necessarii* ne pereat genus humanum, qui tamen excedunt facultatem seu jura cujuslibet hominis. Sed suprema potestas civilis habet actus ejusmodi, ut sunt : « punitio malefactorum, etiam usque ad mortem », et jus statuendi leges, quæ « obligant in conscientia » (n. 125, 128, 132). Ergo suprema potestas civilis oritur a Deo, quatenut est Auctor naturæ, et datur hominibus, velint, nolint, « us proprietas, quæ naturam eorum consequitur [3] ».

Hinc politica potestas non pendet a consensu hominum, sed a jure divino naturali, sicque differt a potestate societatis commercialis vel academicæ, quæ est a jure humano.

118. Quomodo supremæ potestatis subjectum DESIGNETUR [4] ?

A populo quidem — sicut et regiminis forma (n. 119, C) — nec tamen necessario per suffragium universale, sed etiam tacito consensu, unde sit

THESIS II

Subjectum supremæ potestatis consensu multitudinis designatur.

Prob. — Subjectum supremæ potestatis jure vel divino, vel

1. **Schwalm**, *Op. cit.*, II, p. 486-505. — 2. **S. Thomas**, *In Epist. ad Rom.*, XIII, lect. 1. — 3. **Suarez.**, *De legibus*, L. III, c. III ; — **Leo XIII**, Enc. *Diuturnum*, 1881. — 4. Cf. *Revue de philos.*, déc. 1901.

naturali, vel domestico, vel humano designatur ; porro hæc vel sunt falsa, vel supponunt consensum multitudinis.

I. — Jure *divino* designari contendit Bossuet, de Maistre cum paucissimis [1]. — Sed contra : si excipias Judæos, Deus *ordinarie* non agit in gubernatione hominum, nisi mediantibus causis secundis, non vero aliquid ultra naturam positive largiendo.

II. — Jure *naturali* designari contendunt Gioberti et aliqui professores ex Academia Insulana (de Lille) [2]. — Porro aristocratia ingenii, aliæque dotes naturales, aptitudinem ad gubernationem suscipiendam certe conferunt, jus autem *ex se* non dant ; sicut e contrario naturalis præstantia sexus virilis determinat auctoritatem in viro super uxorem, et naturalis generatio auctoritatem in parentibus super infantes.

III. — Jure *domestico* designari putat Liberatore [3] : revera causa quæ primum subjectum politicæ auctoritatis determinavit, ab initio fuit « prævalentia juris domestici », quod ex familiarum extensione resultat. — Sed hæc prævalentia, ordinarie saltem, ut permaneat, supponit earumdem adhæsionem seu consensum *tacitum* [4] (n. 113).

IV. — Jure *humano*, ut, v. g., hæreditate vel electione, designari multis in casibus, nemo negare potest. — Hæc autem reducuntur ad consensum multitudinis, saltem implicitum, ex legis naturalis inclinatione præstitum. Ergo stat thesis.

Dices : Quid ergo de jure victoriæ, de violenta usurpatione ? Hæc physicam, non moralem, conferunt auctoritatem, nisi de facto aut saltem de jure accedat populi consensus — seu adhæsio quæ non est contractus [5] — et pacifica possessio (n. 133).

119. Utrum potestas IMMEDIATE aut mediate sit a Deo [6] ?

Subjectum potestatis supremæ designatur a populo necnon potestatem suam habet a Deo : utrum vero eamdem habeat immediate a Deo aut *mediante* populo seu utrum populus, qui supremam potestatem exercere non potest, eam tamen habeat *in radice*, ita ut non solum eligat principem, sed ei conferat jus gubernandi subditos, controvertitur.

A. — Alii *affirmant potestatem conferri* **mediante populo.** Ita major pars recentiorum scholasticorum, Bellarminus [7], Suarezius [8], Balmes ; ita forsan ipse S. Thomas qui dicit : « Ad totam

1. **Bossuet**, *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, L. VII, a. 6. — 2. Cf. *La science catholique*, 1893, p. 859 et 959. — 3. **Liberatore**, *Jus nat.*, n. 54. — 4. **Bossuet**, *Op. cit.*, L. II, a. 2. — 5. **C. Renard**, *Le droit*. 1924 ; — *La théorie de l'institution*, 1930. — 6. **Quilliet**, *De civilis origine potestatis theoria catholica*, 1893 ; — *Dict. de théol. cath.*, art. *Démocratie*. — 7. *De controversiis*, V°, L. III : *De laicis*, c. III. — 8. *Defensio fidei* ; *De legibus*.

multitudinem pertinet condere legem... [1] » et alia in genus. — Ecce præcipua eorum argumenta :

1° Suprema potestas est de jure divino ; nemo autem eam potestatem ex jure divino possidet ; ergo habetur ex multitudinis electione. — Major, itemque minor est evidens ; consequens vero negari posset ; nemo quippe designatur *immediate* a Deo, ut supremam potestatem exerceat et ideo designari debet a causis secundis ; sed inde non sequitur potestatem primum recipi, deinde conferri ab his qui subjectum hujus potestatis eligunt.

2° Societas civilis est perfecta ; sed, ut societas sit perfecta, indiget potestate suprema, qua seipsam servare, gubernare et regere possit. Ergo societas civilis, in se sumpta, quatenus multitudine conflatur, supremam potestatem habet. — Major est vera ; minor etiam, non autem conclusio ; sufficit enim ad bonum regimen societatis civilis, ut eligere possit principes, quibus Deus supremam potestatem conferat.

B. — *Alii affirmant potestatem conferri* **immediate a Deo**. Ita pauci inter veteres, postea Bossuet, Taparelli, Zigliara. Sic argumentantur :

Id, quo multitudo in societatem adunatur, est prius multitudine et ab ea non pendet : sed potestas suprema est id quo multitudo in societatem adunatur ; ergo suprema potestas non est in multitudine et ab ea conferri nequit. — *Confirmatur*, nam potestas est elementum *formale* societatis civilis ; multitudo autem est elementum *materiale*. Sed elementum formale non pendet ab elemento materiali ; secus enim superius ab inferiore penderet.

Aliunde illa potestas jure naturæ non confertur multitudini, quæ illi foret inutilis ; atqui talis est potestas mere « *radicalis* », quam multitudo exercere per seipsam non potest ; ergo potestas non existit radicaliter in multitudine. — Negant alii, quia non desunt qui jura habent, v. g., infantes, quin ea per seipsos exercere possint, nisi in certis casibus.

Quibus etiam hæc sententia a Leone XIII anteponi videtur in Encyc. *Diuturnum* : « Quo sane delectu (multitudinis) *designatur* princeps, non conferuntur jura principatus : neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit regendum [2] », — necnon a Pio X in sua epistola « sur le Sillon [3] ». — Ast *immerito* ; hic enim solum asseritur jus principatus secundum se non esse a populo, contra monstruosum contractus socialis errorem (n. 117).

C. — **Conclusio. Duobus modis** intelligi potest potestas politica immediate esse a populo ; vel a populo constituente solum formam regiminis legemque investituræ (Billot [4]), vel a populo jam habente sed abdicante potestatem (Suarezius). Placet prior expositio quæ formam democraticam primitivam esse et a Deo institutam non supponit, sed omnes formas regiminis dicit æqualiter esse de jure humano et populo con-

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 90, a. 3 ; q. 97, a. 3, ad 3 ; — cf. *Revue august.*, nov. 1910. — 2. **Leo XIII**, an. 1881. — 3. **Pius X**, an. 1910. — 4. *De Ecclesia Christi*, t. I, cap. III, § 1, n. II.

cedit tantum rationem proximam determinandi, sive regiminis modum, sive subjectum auctoritatis. — *Notandum* tamen quod translatio potestatis, in opinione Suarezii, non est delegatio tantum, sed « quasi alienatio seu perfecta largitio totius potestatis [1] », proindeque valde differt a theoria suprematiæ populi, de qua nunc dicendum.

120. Utrum in MULTITUDINE potestas suprema remaneat ?

Juxta socialistas, potestas non tantum est in populo et a populo, sed post electionem, adhuc in populo remanet, ita ut princeps aut præses sint tantummodo legati seu mandatarii plebeiæ majestatis, quæ alienari nequit : unde ad libitum multitudinis destitui possunt [2]. Contra hanc delegationem semper revocabilem seu contra « suprematiæ populi » theoriam sit

THESIS III

Potestas suprema, post electionem, penes multitudinem non remanet.

Prob. — Nam 1° ut fert axioma juris : « donner et retenir ne vaut. » Ergo, etiamsi daretur a populo jus gubernandi usque ad definitum tempus, illud jus in eo non remaneret. At, juxta nos, per institutionem gubernii communitas non *abdicat*, sed potius *acquirit* potestatem sibi necessariam.

2° Si remaneret in populo, populus simul inferior et superior esset, quod est contradictorium, necnon omnis auctoritatis eversivum, nam non solum legatos ad nutum revocare posset populus, sed leges ipsas ad arbitrium suum abrogare.

3° Talis suprematia populi non esset in bonum commune, sed in ruinam totius societatis ; nam, experientia teste, pax, stabilitas, prudens directio in finem, non sunt quærendæ in multitudine.

ARTICULUS III

De variis regiminis Formis [3].

121. QUOTUPLEX sit forma auctoritatis et regiminis ?

A. — Potestas suprema **triplici modo exercetur** ; nempe imprimis *leges* condit, dein earum *executionem* mandat et de civium delictis *judicat*. Ea de re, triplex dici potest potestas suprema, sc. *legislativa*, *executiva* et *judiciaria*.

1. *De legibus*, lib. III, c. IV, n. 1. — 2. « Le peuple est souverain, et le gouvernement n'est que son commis, moins que son commis, son domestique. Entre eux point de contrat indéfini ou du moins durable. » **Taine**, *L'ancien régime*, L. III, c. IV, § 3 et **Rousseau**, *Contrat social*, 1762, I, 9 ; III, 1 ; IV, 3. — 3. **S. Thomas**, Opusc. *De rege et regno*, L. I, c. I ; — **Am. Bonde**, *Précis de droit constitutionnel*, p. 113-122 ; — **H. Brun**, *La cité chrétienne*, I, p. 158-187.

B. — Si vero non *in se* spectetur, sed relative ad *subjectum* in quo recipitur, illud *subjectum* triplex etiam est : vel unica persona, vel classis optimatum, vel denique totus fere populus. Inde *monarchia*, *aristocratia* et *democratia*, quorum abusus aut corruptiones *tyrannis*, *oligarchia* et *anarchia* vocantur.

Ex commixtione harum formarum variis modis et in diverso gradu, oritur **monarchia constitutionalis.** In ea leges feruntur a mandatariis populi in Camera congregatis, quibus accedit Senatus optimatum, tanquam inter deputatos et regem ponderator. Potestas executiva per ministros *responsabiles*, a Rege electos, exercetur. Rex autem signat leges camerarum, signat et decreta ministrorum, sed « regnare, non autem gubernare » dicitur. — In Anglorum *parlementarismo*, neque rex libere eligit ministros, vixque differt a præside reipublicæ, nisi jure hæreditatis ideoque beneficio alicujus continuitatis.

122. Quænam sit MELIOR regiminis forma [1] ?

Circa hanc quæstionem, quot capita, tot sensus. Respondent tamen, post Aristotelem et S. Thomam, Bellarminus ac plerique :

THESIS

Melior regiminis forma, non in concreto sed in abstracto, monarchia hæreditaria et temperata videtur.

I. — **Melior in abstracto.** — Nam in concreto, forma melior unicuique genti non est perfectior in se, sed quæ illius ingenio, indoli et traditionibus, usu et praxi magis accommodatur. Hinc est cur regimen non facile sit mutandum, aut cur ejus mutatio tot perturbationum sit causa : cur ideo indifferentismus politicus in se forsan, non vero pro tali aut tali natione, propugnari possit.

II. — **Per se monarchia est.** — Ea enim forma melior est quæ *in se* magis naturalis, tranquillior et fortior est : porro talis est monarchia ; ergo. — *Naturalior* est, nam ex familia patriarchali sponte orta est, et sicut ipsa iisdem causis propagatur et perseverat. — *Tranquillior est*, secundum ea

1. **Sum. theol.**, I-II, q. 95, a. 4 ; q. 105, a. 1 ; — **Revue thomiste**, *La pensée de S. Thomas*, an. 1901-1902 ; an. 1911, sept-oct. ; — **J. Zeiller**, *L'idée de l'Etat dans S. Thomas d'Aquin*, 1910 ; — **M. Demongeot**, *La théorie du régime mixte dans S. Thomas d'Aquin*, 1927 ; *Le meilleur régime politique de S. Thomas*, 1928 ; — **Bossuet**, *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, L. II, a. 1, prop. 7e et 8e ; — **M. Granclaude**, *Les particularités du De regimine principium*, 1929.

S. Thomæ : « Quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientius quam multi uniti [1] ». Porro democratia per accidens, monarchia per se habet unitatem socialem, quæ est optimum societatis bonum. — Hinc et *fortior est*, nam solus monarcha possidet potestatem, eaque libere et expedite uti potest, sive ad malum reprimendum, sive ad bonum promovendum. Ergo monarchia « præstantioris forma regiminis est [2] ».

Hinc de *facto* non solum *communior*, *antiquior*, ut historia constat, sed et *felicior*, judicio multorum, populis fuit.

III. — Dixi : **monarchia hæreditaria et temperata.** Hæreditaria enim *electivam* antecellit : nam, ubi viget electio, solent, mortuo monarcha, suscitari dissensiones et competitiones, quæ pacem et ordinem publicum in periculo ponunt. — Temperata autem *absolutam* vincit : tunc enim non cessat nec vergit in aristocratiam aut democratiam, aliquatenus tamen per utramque ligatur potestas absoluta ne in despotismum abeat [3].

123. Quid ergo de regimine REPRÆSENTATIVO [4] ?

Modo intacta maneat distinctio inter subditos et auctoritatem, nec eam conferre prætendat suffragium universale et etiam retinere (n. 117-120), sit

THESIS

Regimen repræsentativum bonum est, sed imperfectum.

I. **Bonum est** ; nam impedit quin auctoritas abeat in *despotismum*, sicque a civibus odio habeatur. — Aliunde *repræsentatio omnium classium socialium* scientiam æmulationemque gubernio confert : siquidem deputati, manifestatione desideriorum totius gentis, æmulationem ad bonum excitant. — Denique potestatem leges ferendi aut seditiones reprimendi *impersonalem* reddit, ac proinde, per se forsan magis efficacem.

II. **Imperfectum est** regimen in quo pronum erit ut multitudo *gubernet*, ut pessimis faveatur *passionibus*, et ut bonum societatis *verum* non promoveatur. Porro his inconvenientibus non vacat regimen repræsentativum. Ergo imperfectum est.

Constat 1um, nam electiones frequentiores civibus suadent

1. **Sum. theol.**, I, q. 103, a. 3. — 2. **Pius VI**, *In consistorio*, 17 junii 1793. — 3. Ita generatim **S. Thomas**, qui tamen in *De regimine principum*, L. I, c. 5 prædicat absolutam. — 4. Cf. **Taparelli**, *Critique des gouvernements représentatifs*, 1912 ; — cf. **Suarez**, *Defensio fidei*, L. III, c. I, n. 8.

auctoritatem penes se remanere inalienabilem ; suadent principem « qui regnat nec imperat » esse legatum ad nutum revocabilem ; sicque, destructa gubernii constantia, enervatur auctoritas in capite, dum insolescit populus et tendit ad *panarchiam*, quæ in *omnibus* ponit auctoritatem.

Constat 2um, nam per electionem dividitur populus in factiones adversas, quæ fraudes adhibent, vimque ac corruptionem, et, si vincant, speciem aliquam tyrannidis in alios numero minores exercent : tunc invidia fit « morbus democraticus ».

Constat 3um, nam electores, virtute et scientia mediocres, blanditiis vanisque promissionibus facillime decipiuntur, et eligunt homines novos, audaces, quibus magis est cordi bonum privatum quam bonum publicum (cf. n. 124).

Hæc, inquam, in se et attenta hominum natura, sunt graviora, donec forsan diuturna consuetudine moribus gentis accomodetur et nisi juxta leges æquitatis temperetur suffragium universale [1].

124. Hinc de SUFFRAGIO UNIVERSALI fertur judicium [2].

Suffragium in genere est *in membris Societatis jus a lege concessum eligendi deputatos.* — Dico a lege concessum, nam

I. Suffragium *universale* **non est jus naturale.** — Secus enim competeret omnibus, etiam pueris et feminis, qui eamdem habent naturam humanam : nec esset ratio cur non extenderetur etiam ad electionem cujuslibet functionarii aut magistratus. Porro hæc sunt practice impossibilia, vel absurda fierent. — *De facto*, suffragium quod vocant *universale* non est, sed *majoritarium*, a vero consensu multitudinis, de quo supra (n. 118) apprime distinctum et revera sæpe mendax.

II. Quin etiam, nisi restringatur, **posset esse contra naturam :**

a) Repugnat enim rationi *minoritates*, ut aiunt, quamvis maximas, non repræsentari et pro nihilo computari ; — imo minoritatem fraudulenter electam majoritati suum imponere jugum.

b) Repugnat etiam in computandis suffragiis solius *numeri* rationem haberi, quasi jus esset « numeri et materialium virium summa [3] », non autem *titulorum* quibus scientia et moralitas, imo et tributa cujusque indicantur. — Hinc suffragium universale quidem sed inæquale ut olim in Belgio

1. Cf. *Semaine sociale* de **Reims**, 1933 : conclusion V^e. — 2. **Paul Six**, in *Diction. prat.*, art. *Suffrage* ; — **Lemarié**, *Morale politique*, p. 91-104 ; — **Magnin**, *L'état : conception païenne et conception chrétienne*, p. 133 ; — **Am. Bonde**, *Op. cit.*, p. 124-171. — 3. **Syllabus**, prop. 60, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1760.

(vote plural), aut cum repræsentatione proportionali suffragiorum, aut quo speciales utilitates diversarum classium et professionum repræsentantur (représentation professionnelle) et imprimis familiæ (vote familial) magis æquitati favet.

Dices : Omnes cives onera et tributa æqualiter ferunt ; ergo jus æqualis suffragii habent. — Resp. 1° *trans. ant.* ; *dist. cons.* : æqualiter jus habent ad bona societatis, *conc.*, ad administrandam societatem, *nego.* — 2° *Dist. ant.*, tributa ferunt æqualia quoad proportionem, *conc.*, quoad summam totalem, *nego.* Porro, in societatibus commerciariis, pro repartitione suffragiorum, etiam de summa totali cujusque habetur ratio.

ARTICULUS IV

De Muniis et Limitibus Status [1].

125. QUÆNAM sint munia et limites Status ?

Ex falsa notione *finis* Societatis (n. 115), orti sunt errores de muniis et limitibus Status. Alii hæc munia plus æquo **restringunt** ; alii e contra **exaggerant**.

Priores Statui tribuunt tantum quæ ad pacem externam aut internam necessaria sunt. Hæc est theoria dicta : « L'Etat gendarme », « l'Etat n'a ni dogme ni idéal, à aucun degré. » Ita Spencer, Kant et scholæ liberalis fautores, juxta quos, si Status aliquid præter justitiam protegendam curet, sua potestate abuti et in libertatem attentare dicitur.

Posteriores e contra, Statum extollentes quasi « omnipotentem » fontemque omnium jurium, jura individuorum et familiarum bono Status plane subordinant, quasi homines essent propter Statum, non autem Status propter homines. Ita socialistæ juxta quos communitas individuorum bona et activitatem absorbere debet : « l'Etat marchand, industriel, agriculteur, instituteur, l'Etat Providence universelle ».

Inter utrosque mediam viam tenent sani politici, quorum regula non est, gallice : « laisser faire, laisser passer », nec ista : « tout faire », bene vero : « aider à faire ». Sit igitur

THESIS

Status ea omnia et sola habet munia, quæ ad finem societatis attingendum sunt necessaria.

I. **Habet omnia.** — Nam qui vult finem, vult omnia media necessaria. Atqui lex naturalis vult societatem a potestate ad finem suum dirigi. Ergo. — Unde Status jus habet obligandi in conscientia, etc., sed et morte puniendi, *quia* aliquo-

1. **Vermeersch**, *Manuel social*, 1904 ; — **Mgr Sauvé**, *Questions religieuses et sociales*, 2e éd., 1888 ; — cf. Encycl. *Rerum novarum* et *Quadragesimo anno*.

ties illud est necessarium [1] (n. 128) : en jus *legale* seu ferendi leges in ordine ad bonum commune societatis attingendum.

II. **Habet sola.** — Nam societas civilis natura sua et suo fine limitatur. Ergo, si quid ultra aggreditur, exit a suis finibus, imo bono publico nocet, nam bonum publicum exigit ut quælibet potestas suis propriis finibus limitetur. — Unde actus quibus Status vel finem Ecclesiæ usurparet, vel contra jus naturale aut divinum decerneret, vel contra jura civium aut familiarum, illegitimi sunt ac plane tyrannici (n. 30).

Brevi, sit Status quasi Providentia secunda, quæ activitatem individuorum protegat, excitet et dirigat, non vero tollat aut suppleat nisi in casu necessitatis.

Cum autem finis societatis non sit totus in juribus civium protegendis (n. 115), sed etiam in promovendis bonis *physicis*, *intellectualibus* et *moralibus*, ad quæ obtinenda non sufficit activitas privata, de muniis Status circa hæc singula pauca dicemus, ut vitentur excessus sive *liberalismi* qui minime, sive *etatismi* qui promiscue in rebus privatis se ingerit.

I.

126. Quæ sint munia Status ad PROSPERITATEM MATERIALEM [2]?

1° — Debet Status graviores libertatis **abusus reprimere :**

a) Non solum prohibere *usuram*, ludos moderari aleatorios (jeux de bourse) quibus pretium rerum adulteratur, sed et determinare mensuram fœnoris liciti, forumque ærarii publici justis regulis metiri debet.

b) Jus habet, pro opportunitate temporum, ad fraudes et famen pauperum impediendas, determinandi *pretium* maximum rerum vitæ necessariarum. Ita S. Thomas [3] et plerique.

c) Item, quoad contractum *locationis* operariorum, potest justa præscribere circa laborem feminarum et puerorum in fodinis et fabricis, circa nimiam diuturnitatem laboris et requiem in die Dominica ; imo circa infimam mensuram salarii, quamvis, juxta Leonem XIII, opportunius sit illud minimum a corporationibus artium determinari [4] (n. 111, *fin*.).

Brevi, id intendat Status ut, classium oppositarum disceptatione seposita, concors ordinum conspiratio excitetur [5].

1. Cf. *La justice criminelle*, in **Revue thomiste**, 1894, p. 309 et 61 ; — **Sum. theol.**, II-II, q. 64, a. 2. — 2. Cf. *Semaine sociale* de **Strasbourg**, 1922 : *Le rôle économique de l'Etat*. — 3. **Sum. theol.**, II-II, q. 77, a. 2, ad 2. — 4. **E. Blanc**, *Y a-t-il une économie pol. chrétienne ?* 1894, p. 54-58. — 5. **Ch. Périn**, *Les doctrines économiques*, 1880 ; — Encycl. *Quadragesimo anno*.

2° — Debet positive publicam **prosperitatem promovere :**

a) Libera æmulatione, privatorum societatumque activitatem et industriam suscitare debet ; eisque favere præmiis, expositionibus publicis, etc... prudenter tamen determinatis. — Non autem debet Status extruere fabricas, exercere mercaturam, colere agros et alia ejusmodi, quæ a privatis facilius et melius aguntur. Nam finis Status non est tollere activitatem civium, sed stimulare et augere.

b) Hæc tantum bona quæ nec individui nec societates privatæ procurare possunt, ipse Status *directe* procurare potest ; v. g. : sternere vias publicas, fodere portus et alveos navigabiles, exercitus conscribere, tempore calamitatis publicæ alimenta aut subsidia necessaria colligere, etc.

c) Cæterum *indirecte* multa potest præstare bona, v. g. sanitatem publicam defendere contra phtisim et alcoolismum, parcimoniam protegere, instructionem fovere professionalem, laborem assecurare operariis, bursas compensationis, syndicatus mixtos aut etiam separatos et sexcenta ejusdem generis...

II.

127. Quæ sint munia Status circa EDUCATIONEM et SCHOLAS [1] ?

1° Certum est **parentibus primario** ratione paternitatis naturalis (n. 105) — et Ecclesiæ pro baptizatis ratione paternitatis spiritualis — naturaliter competere officium, ac proinde jus, non tantum *educandi*, sed et *instruendi* liberos suos, nam instructio est pars non minima educationis, simul ac præcipuum ejus medium. Ergo, saltem *primario*, munus illud ad Statum non pertinet nec ideo jus *imponendi* suos magistros suasque scholas patribusfamilias : quo in sensu *tantum* usurpatio dici debet introducta lex de instructione obligatoria, etiam præscindendo ab impietate laicismi seu atheismi (5°) — *Dixi* : in hoc sensu *tantum*, nam *secundario* etiam ad Statum pertinet munus educandi cives, non quidem ratione alicujus paternitatis, sed vi juris, quod habet sibi proprium, promovendi bonum publicum præsertimque educationem juventutis.

2° Quando familia per se solam impar est ad hoc munus sufficienter adimplendum, potest aut debet sibi adjungere magistrum quem elegerit. Cum autem unus magister plu-

1. **Mgr Freppel**, *Discours sur la notion fausse de l'Etat enseignant*, déc. 1880, janv. 1881 ; — *Syllab.*, prop. 45-58 ; — **Le Play**, *La réforme sociale*, 405-406 ; — **Mgr Sauvé**, *Op. cit.*, ch. VIII ; — **Sertillanges**, *La famille et l'Etat dans l'éducation*, 1907.

ribus familiis sufficere possit, ita auctoritate familiarum constituetur **schola primaria**, quasi extensio familiæ. Unde prius ac Statui familiis aut municipiis civilibus incumbit obligatio et jus *eligendi* et *erigendi* scholas primarias [1]. — *Jus* tamen illas *erigendi* cuilibet civi aut religioso, modo capacitate et probitate digni sint, competere indubium est : imo nec Statui negamus ; — quin etiam, si familiæ impares sunt ad hoc munus implendum sive per se sive per magistros a seipsis electos, Status *officium* habet familias supplendi etiam, si opus est, per scholas et institutiones sibi proprias : at, sive jus, sive officium exerceat, dummodo libertati familiarum et juribus Ecclesiæ minime noceat, et scholas omnes, non tantum suas, ex ærario publico gratificet.

3° **Scholæ superiores**, gymnasia, universitates reguntur iisdem principiis : siquidem associationes civium hoc adimplere valent, haud raro magis proficiunt ac ipse Status, libertati non nocent, et vi æmulationis, favent progressui scientiarum, ut historia et experientia comprobatur. — Hæc tamen instituta, quia magnos sumptus requirunt, sæpe sæpius supra vires ac facultates sunt familiarum aut etiam municipiorum. Unde munus erit auctoritatis supremæ eis succurrere ex ærario publico, aut etiam ad bonum commune necessaria erigere, modo libertas familiarum et alumnorum sive erigendi, sive eligendi quascumque scholas voluerint, accurate servetur.

4° **Monopolium ergo Status** jura familiarum et Ecclesiæ lædit, lædit etiam jura singulorum civium, nam quisque jus habet scientiam docendi, modo nihil agat contra securitatem Reipublicæ. — Pariter damnandum est monopolium Status circa studiorum examina et diplomata. Nam scholas privatas redigit in indignam dependentiam a scholis publicis, et sæpe ab aliqua factione politica. Aliunde liberam æmulationem progressumque scientiarum impedit in universitatibus privatis, quæ, alienis programmatibus ligatæ, non tam æmulæ quam famulæ et pedissequæ Universitatis publicæ videntur.

Duplex tamen, una particularis, alia generalis est schola Statui propria. Nam ad Statum unice pertinet instituere : 1° scholas *speciales* ad munera publica præparatorias, v. g., ad rem militarem. — 2° modo *generali* educationem proprie

1. **Aristoteles**, *Pol.*, L. IV, c. 14, 15 et L. V ; — **Pius XI**, Encycl. *Rappresentanti in terra*, 31 déc. 1929, in *Act Apost. Sed.*, p. 723 ; — *Documentation cath.*, 16 avril 1932 : Législation *hollandaise*.

civicam juventutis, imo omnium civium cujusvis ætatis et conditionis : utrumque semper, modo serventur jura religionis et familiarum.

5° Utrum autem possit Status **obligare parentes**, sui officii nimis immemores, ut infantibus suis saltem legendi, scribendi et computandi artem procurent ? Affirmant hodie plerique, quia Status est determinare gradum culturæ ratione temporum bono communi necessarium, ergo et cohibere adversos excessus paternæ potestatis, modo parentes eligere possent media quæ placuerint, nec obligentur pueri scholas publicas, præsertim laicas et Deum non colentes, quia neutræ aut mixtæ, certis diebus et horis frequentare.

6° Tandem **quid de schola unica** quam in votis habet Status ? Cui si fides, servata libertate docendi, institueretur *imprimis* gratuitas instructionis in omnibus scholis publicis, *dein* selectio et orientatio puerorum juxta eorumdem prædispositiones et societatis exigentias, *consequenter* uniformitas primi gradus instructionis ut, post examen tantum et selectione peracta, pueri ad scholas secundi gradus transire possint. — Hæc perbelle quidem, sed theoretice, nam in praxi valde difficilia, libertati onerosa et plurium juribus contraria sunt aut probabilissime erunt [1], eo magis quod mixta aut neutra erit hæc schola et eo pejor quod unica, omnibus obligatoria [2] et ideo scholæ liberæ eversiva.

III.

128. Quænam sint munia Status circa MORALITATEM [3] ?

De moralitate in foro interno non judicat Status, bene vero de moralitate publica, nam inhonestas morum prosperitati pacique publicæ maxime nocet. **Moralitas** autem, experientia teste, in Decalogo fundatur, ut notavit Le Play : « *Le Décalogue est la base de la science économique* [4] ». — Hinc

a) Status debet *favere Religioni* quæ est optima, imo unica morum educatrix, præsertim in scholis.

b) Debet *prohibere* quæcumque diruunt ideam Dei et alia fundamenta societatis, nempe jura proprietatis, familiæ et vitæ humanæ dignitatem.

c) Debet etiam prohibere quin *vitia* passim publice gras-

1. **Mora**, *Le vrai visage de l'école unique*, 1930. — 2. **Pius XI**, *Encyc. cit.* ; cf. *Documentation catholique*, 10 sept. 1932, p. 343-349. — 3. **Abbé Bethléem**, *La lutte contre l'immoralité publique*, in *Credo*, juin, oct.-nov. 1930 ; janv. et fév. 1931 ; — cf. *Semaine sociale* de **Reims** : conclusion XIII. — 4. **Claudio Jannet**, *Rapport au Congrès bibliog.*, 1878, p. 110.

sentur et virtuti laqueos injiciant, præsertim in plateis, in theatris (cinémas), in diariis et libellis. — Attamen velle omnia mala prohibere et extirpare impossibile esset, propter malitiam hominum. Unde sæpe libertas, etiam lugenda, ut minus malum habenda est (n. 30).

d) Quoties autem Status crimina iniquorum *punit*, non tantum jure sese defendendi sed etiam jure *vindictæ* utitur [1]. Errant ergo qui scribunt : « La justice pénale (même la *peine de mort*) n'est pas une rétribution, un châtiment, une sanction ; elle est simplement une mesure de défense et d'hygiène... Les hommes ont le droit de se défendre, de se préserver, ils n'ont pas à proprement parler le droit de punir [2]. » E contra, et paterfamilias, et mater, et magister, jus habent puniendi, a jure divino derivatum. Aliunde, si pœna mortis non esset pœna sed modus defensionis, tunc esset omnibus etiam dementibus et furiosis applicanda, vel pro omnibus etiam homicidis abolenda, nam incarceratio sufficit ad defensionem publicam.

IV.

129. Quænam sint munia Status circa TRIBUTA ?

Jus habet Status imponendi tributa quibus provideat sumptibus ad finem suum necessariis : tunc autem justitiæ *socialis* et *distributivæ* servet leges, quippe « nefas est privatos census immanitate tributorum ac vertigalium exhaurire » [3] aut aliam præ alia classem civium vexare.

A. — Illa tributa *levia*, aut saltem non nimis onerosa, esse debent : alioquin non faverent, sed nocerent prosperitati publicæ. « Plus l'Etat mange, moins le peuple mange ». — « On avait cru que ce résultat serait plus facilement obtenu par l'institution des gouvernements représentatifs. L'expérience a prouvé le contraire... (en France, plus de 20 milliards, — en 1935, 47 milliards, etc...). Et ce qu'il y a de pire, c'est qu'il n'y a plus personne à qui s'en prendre, le gouvernement représentatif étant impersonnel [4]. »

B. — Tributa imponi *non debent indigentibus*, seu pro rebus vitæ omnino necessariis. « L'impôt, dit Sigismondi, étant le prix que le citoyen paie pour les jouissances sociales, on ne saurait le demander à celui qui ne jouit de rien... Frapper le pauvre, c'est décimer la nation. »

C. — Debent *æqualiter distribui* inter cives, juxta facultates, i. e., reditus cujusque. Unde tributa *indirecta* quæ rebus imponuntur, v. g., vino et alimentis, abstrahendo a cujusque facultatibus, non sunt per se secundum æqualitatem debitam. Imo, graviora sunt pauperibus quam divitibus, et recte dicuntur *progressifs à rebours*. — Nec tributa *directa* æqualiter distribuuntur :

1. **Sum. theol.**, II-II, q. 64, a. 2, ad 3. — 2. **Fonsegrive**, *Eléments de phil.*, II, p. 551-512. — 3. Enc. *Quadragesimo*. — 4. **Liberatore**, *Princip. d'écon. pol.*, p. 338.

« la propriété rurale paie 25 % de son revenu, la propriété bâtie 17 %, les valeurs 13 % [1] ». — Tributum *in reditus* cujusque magis æquum videretur, sed in praxi difficultatibus et periculis non vacat. Attamen jam in Anglia (income-tax), in Germania (impôt des classes), in Helvetia et in Italia, res bene agitur : in Gallia etiam ab anno 1917 introductum viget.

D. — De tributo unico aut multiplici, proportionato mathematice aut moraliter (impôt proportionnel, impôt modérément progressif [2]), *controvertitur* inter œconomistas etiam scholæ liberalis.

V.

130. Quid de tributis ad opera BENEFICENTIÆ publicæ ?

En principium : quod justitia commutativa non procurat, caritas efficiat : utriusque autem defectu, Status intervenit, vi justitiæ, ut aiunt, *socialis* erga *individua*, quæ mediat inter justitiam commutativam et charitatem ; juxta alios, vi justitiæ *legalis*, quæ bonum *commune* societatis tueri debet [3], ferendo leges opportunas (n. 125) ; juxta antiquos, vi justitiæ *generalis*. Hinc

A. — Officium beneficentiæ incumbit *primo et directe divitibus*, sive singulatim, sive per associationes sub influxu caritatis christianæ multiplicatas. Aliunde hæc caritas multo præstat beneficentiæ administrativæ, quæ multiplici vitio laborat : « Elle est trop coûteuse, formaliste, humiliante, ne sait pas donner le secours moral, qui double le prix du secours matériel. » E contra, prior est gratuita, prompta, roborat animum cum corpore, quia fit in nomine Domini. Ergo Status liberam caritatem nec auferre, nec minuere, præsertim tributis odiosis, sed studiose tueri debet : secus enim civitas rigida socialismi justitia regeretur.

B. — Quando caritas privata impar est ad miserias omnes sublevandas, *tunc et per accidens*, Status ei supplere potest et debet *ope tributi ex divitibus*. « Ils ont beau se récrier, dit Liberatore, la société ne peut nullement tolérer que pendant qu'une partie de la population nage dans l'opulence, l'autre périsse dans la détresse... Certes il est déplorable qu'il faille convertir en contrainte légale ce qui devrait être un effet de la libéralité spontanée, mais comment faire ? [4] » (n. 91). Unde Pius XI : « L'*autorité publique* peut, s'inspirant des véritables nécessités du bien commun, déterminer à la lumière de la loi naturelle et divine l'*usage* que les propriétaires pourront ou ne pourront pas faire de leurs biens : « quid eis qui possident, liceat in suorum bonorum usu, quid illicitum sit, publica autoritas sistere potest accuratius... [5]. »

C. — De facto, et pro calamitate temporum, necessitas subveniendi miseriis hominum *qui laborare nequeunt*, v. g. : infirmorum, cæcorum, infantium derelictorum..., inscribitur in lege Anglorum, Belgarum, Italorum, Germanorum, etc. ; in Gallia autem hæc assistentia diu facultativa, nunc, ob eamdem necessitatem imponitur municipiis, sed mendicare interdicitur pauperibus.

1. **Claudio Jannet**, *Le socialisme d'Etat*, 1890, p. 458. — 2. **Liberatore**, *Ibid.*, p. 240. — 3. **Michel**, *La justice sociale*, in *Questions ecclésiast.*, juin et sept. 1912 ; — **Louis Durand**, *Rapport au Congrès de Sarlat*, 1912 ; — **Sum. theol.**, II-II, q. 58, a. 6 ; — cf. *Mélanges thomistes*, 1923, p. 311-360. — 4. **Liberatore**, *Ibid.*, p. 228. — 5. Encycl. *Quadragesimo anno*, II, p. 193.

D. — De assistentia *operariorium validorum*, deficiente labore (ouvriers sans travail), major est difficultas. Incommoda, imo et impossibilitas practica principii a socialistis falso dicti, « droit au travail », patent ex variis experimentis, præsertim anni 1848 (ateliers nationaux). Attamen hæc assistentia utiliter præbetur in hospitiis (maison de travail) apud Anglos, Germanos et Helvetios [1].

E. — Quidquid sit in re tam difficili certum est *eleemosynam* sive liberæ charitatis, sive tributi legalis, *non esse remedium nisi transitorium* et plane insufficiens ad curandam miseriæ plagam (le paupérisme). Status qui præest justitiæ sociali, mediis præviis præsertim favere debet, quæ sic contrahi possunt : « suffisance des salaires, économie, moralité, ressort individuel, associations, mutualité, assurances, caisses de compensation ».

131. Corollarium de « NEUTRALITATE » moderni Status.

Hinc patet Statum non posse societatem ad finem suum dirigere sine principiis certis, seu, ut aiunt, « *sans un idéal de justice et de moralité* ». — « Tout code repose au contraire sur une conception idéale, sur une philosophie [2] » ; et ipse Cl. Jannet : « Quoi qu'on fasse, il y aura toujours autant de systèmes d'économie politique, qu'il y aura de conceptions différentes de la moralité [3]. »

Unde *non audiendi* sunt qui concedunt hodie Statum nullum habere dogma, nullum ideale, sed esse neutrum seu laicalem : « La conception antique de l'Etat diffère *radicalement* de la conception moderne... L'idéal de l'Etat ancien est le conformisme absolu de tous les esprits et de toutes les volontés... l'Etat moderne n'a pas de dogme religieux, métaphysique ou moral, il n'a plus par conséquent de fonction religieuse, métaphysique ou morale ; sa seule fonction devient une fonction matérielle : le développement de la prospérité matérielle de la nation [4]. »

Hoc solum verum est, scilicet, in Statu hodierno, propter lugendas divisiones opinionum et malitiam hominum, illud ideale *de facto* depressum et minutum fuisse, non autem omnino ablatum sed nec *jure* unquam auferri *posse*. Nam præcepta legis æternæ et ideo *religionis naturalis* constituunt minimum, a quo recedere non licet fundamentum sanæ societatis : nocivus enim Status, in quo, vi legum, educatio non esset religiosa (n. 142 et 143). Ut fatetur idem auctor : « Peu à peu les diversités de croyances philosophiques imposent à l'ingérence de l'Etat des limites plus étroites..., mais il y a un minimum de dogmatisme moral que l'Etat doit faire respecter et qu'il ne peut laisser attaquer sous peine de laisser périr la nation [5]. » Non ergo sub prætextu evolutionis historicæ hypothesis unquam de medio tollat thesim (n. 144).

ARTICULUS V
De Officiis Subditorum.

132. Quænam sint OFFICIA subditorum ? — Duo præsertim.

1. Cf. **Garriguet**, *Op. cit.*, p. 251 et 361. — 2. **Cheysson**, in *Revue : La réforme sociale*, p. 859 et passim. — 3. *Rapport au Congrès bibliog.*, 1878, p. 160. — 4. **Fonsegrive**, *Eléments de phil.*, p. 505-7 ; — cf. *Semaine sociale* de **Reims** : conclusions I, VI, VIII. — 5. **Fonsegrive,** *Ibid.*

Imprimis **amor patriæ**, qui mediat inter duplicem excessum et ideo — *a*) sit vera *prædilectio* : ita contra socialistas plerosque, qui indifferentismum inter omnes nationes prædicant aut sæpe suam aliis postponunt ; — *b*) sit *moderatus* : ita contra nationalismum exaggeratum vi cujus spernuntur jura aliarum nationum aut etiam sæpe negantur [1].

Dein universale subditorum officium est **obedientia legibus** : si tamen justæ sunt, hæ enim solæ obligant in conscientia [2] ; si vero injustæ, moralitati aut religioni contrariæ, datur civibus *gravis obligatio* multiplicandi conatus ut de medio tollantur aut saltem reformentur.

Hic autem duplex movetur difficultas, i. e., sive quoad *gubernium « facti »*, sive quoad *tyrannum.*

133. Utrum sit obligatio obediendi gubernio « FACTI [3] » ?

Hoc nomine venit regimen, quod vi fraudis aut violentiæ priori et legitimæ auctoritati substituitur. Jamvero

I. Certum est factum usurpationis **non esse titulum juris**, nec unquam decursu temporum per se fieri posse : secus humana facta, etiam iniqua, vim juris haberent, juxta theoriam « factorum consummatorum ». Optime Balmès : « Le jour où un pareil principe serait reconnu, ce jour même les idées de raison et de justice disparaîtraient de ce monde [4]. »

II. Fit tamen occasio ob quam subditi, vi **alterius tituli,** gubernio jam constituto obedientiam præstare debent. Revera, præter Ecclesiam Christi, nulla forma regiminis est perpetua. Porro in mutationibus gubernii, triplex distingui potest phasis : una *perturbationis*, alia *conservationis*, tertia *transformationis* socialis. Porro in *prima*, civibus licitum, imo obligatorium est, usurpatorem impugnare, usquedum resistentia videatur inutilis et noxia. — In *secunda* autem, necessitas omnibus incumbit gubernio præstandi obedientiam, non quidem titulo originis ejus, sed titulo boni communis, quod est *criterium* supremum et suprema lex : nam sine gubernio tranquillitas publica stare nequit. — In *tertia* demum, transformatio regiminis perficitur statim ac gubernium fini societatis respondet, civibusque procurat commune bonum :

1. **Pius**, in *Rev. d'apol.*, mars 1932, p. 284. — 2. **Sum. theol.**, I-II, q. 96, a. 4 ; — **Rom.**, c. XIII. — 3. **Léon XIII**, *Encycl. aux Français* « Au milieu des sollicitudes », 16 fév. 1892 ; *Lettre aux cardinaux français*, 3 mai 1892 ; — **Dehon**, *Les directions pontificales*, 1895. — 4. **Balmès**, *Le protestantisme*, p. 150, c. 55-56 ; — **Syllabus**, *prop.* 59-61.

tunc enim adhæsio pacifica communitatis ad novum regimen nova est, sed, sicut prior, legitima investitura (n. 118).

Hinc vides cur, ad majora mala vitanda, jus naturale omnibus Gallis et ideo Leo XIII [1], postea Pius X, Pius XI præceperit catholicis non quidem indifferentismum politicum, sed saltem obedientiam Reipublicæ constitutæ, etiamsi legislationem illius impugnare debeant, vel monarchiam in se et etiam pro Gallia meliorem judicent et mediis *legitimis quondam* instaurare conentur [2].

134. Quid subditis liceat contra TYRANNUM [3] ?

Tyrannus dicitur qui, subditos injuste vexando, « sua commoda ex regimine quærit, non bonum multitudinis sibi subjectæ [4] ». Porro tyrannis *tolerabilis* est, si aliquod tantum leve detrimentum bono publico affert ; si vero nimis grave, reputatur *intolerabilis.* — His positis, sint cum S. Thoma conclusiones practicæ sequentes :

I. « **Si non fuerit excessus** tyrannidis, utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus » : hoc quidem, ut vitentur mala belli civilis ipsa tyrannide graviora.

II. Quid vero, **si sit intolerabilis** excessus tyrannidis ?

1° Certum est passivam *inobedientiam* legibus tyrannicis licitam esse, quoties fit sine scandalo vel turbatione ordinis publici, imo quandoque obligatoriam, si contrariæ sunt legibus divinis, v. g., si inducerent ad idololatriam, atheismum [5].

2° An ulterius liceat transire ad *resistentiam activam*, ad aggressionem, imo et ad occisionem tyranni ?

Certum est nulli licere *privata auctoritate* aggredi tyrannum, nec a fortiori eum interimere : nam subditi judicium auctoritativum in regem suum exercere non possunt.

3° Quid tandem de resistentia *per ipsammet gentem* ?

a) Si res *speculative* consideretur, nulla est difficultas. Nam contra injustum aggressorem sese defendere fas est, vim vi repellendo [6], etiamsi mors indirecte sequatur (n. 87).

b) Si res autem *practice* tractetur, caute procedendum : nam videndum est utrum majora mala ex revocatione quam ex tolerantia tyranni secutura sint : unde duplex opinio.

Nam si ejectio tyranni sit minus malum, ejici potest ; sic Romani Tarquinium Superbum de regno ejecerunt : ita S. Thomas [7], Suarez.

1. Réponse de l'*Osservatore Romano* à Em. Ollivier. — 2. **Tiberghien**, *La doctrine catholique et la politique*, 1929. — 3. Cf. **S. Thomas**. *De regim. princ.*, L. I, c. VI ; — **Sum. theol.**, II-II, q. 42, a. 2, ad 3 ; q. 69, a. 4 ; — **Suarezius**, *De caritate*, XIII, 2, 8 ; *Defensio fidei*, L. VI, c. IV, n. 15-17. — 4. **S. Thomas**, *De reg., princ.*, L. I, c. I. — 5. **Sum. theol.**, I-II, q. 96, a. 4. — 6. **Zigliara**, *Eth.* (55), n. XVII. — 7. **Sum. theol.**, II-II, q. 42, a. 2, ad 3 ; — *De regimine princ.*, I, c. 6.

— Juxta alios, bellum civile contra tyrannum *practice* plus nocet quam favet bono communi, et ideo civibus unum restat, nempe « recurrendum ad regem omnium Deum, qui est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione » : ita Leo XIII, in Encycl. *Quod Apostolici muneris.*

Hinc, a fortiori, aggressionem tyranni prævenire, ei mortem *directe* inferendo, nunquam licet ; — tum quia ex abusu non amittitur jus regnandi ; — tum quia subditi judicium auctoritativum in superiorem exercere non possunt.

CAPUT TERTIUM

DE SOCIETATE INTERNATIONALI [1]

Gentes, sicut ipsamet individua, vel ab invicem independentes, vel unitæ spectari possunt. Unde duplex articulus : 1° *De Jure gentium* ; — 2° *De Unione gentium.*

ARTICULUS I

De Jure gentium [2].

135. UTRUM SIT inter gentes jus gentium ?

Jus gentium seu melius internationale **definitur** : *Complexio jurium et officiorum, sive naturalium, sive positivorum, quibus ligantur gentes in suis ad invicem relationibus.*

Cujus existentiam negarunt non pauci juristæ post Machiavel Hobbes, Rousseau et Hégel, juxta quos salus populi est suprema lex, nec alia obligatione ligari potest omnipotentia Status nisi autolimitatione, pro libitu suo recusanda. Sed contra sit

THESIS

Existit jus gentium, partim positivum partimque naturale.

*Constat I*um contra eosdem omnes. Jus enim *positivum* internationale ex liberis conventionibus aut pactis oritur. Porro omnes agnoscunt nationes, haud secus ac individua, inter se valide ligari his conventionibus et pactis. Ergo existit jus internationale positivum.

*Constat II*um speciatim contra Grotium [3], nam si nullum dare-

1. **Cavallera**, *Op. cit.*, p. 249-345 ; — **Valensin**, *Traité de droit naturel*, II, p. 489-563 ; — **Am. Bonde**, *Précis de droit constitutionnel*, p. 52-83 ; — *Code social de* **Malines**, p. 125-131 ; — **H. Brun**, *La cité chrétienne d'après les enseignements pontificaux*, II, p. 124-133 ; — **Lemarié**, *Morale politique*, p. 177-193. — 2. Cf. **De Vattel**, *Le droit des gens*, 1758, I, ch. 1 ; — **Sum. theol.**, I-II, q. 95, a. 4, ad 1 ; — **Mérignhac**, *Traité de droit public international*, 1905 ; — **L. Le Fur**, *Précis de droit international public*, 1931. — 3. *De jure belli et pacis*, Prolog., Hagæ, 1680.

tur jus *naturale*, neque esset positivum. Supposito enim quod non existat lex illa naturalis : « pacta sunt servanda, suum cuique tribuendum », ruunt simul pacta internationalia sicuti vana papyra (chiffons de papier), nec remanet nisi *jus fortioris*, ita ut validiores populi quælibet juste audere possint.

Constat utrumque, nam gentes sunt personæ morales ; porro repugnat personas morales a legibus naturalis moralitatis eximi : non enim, variante subjecto, tollitur lex naturalis [1]. Sed ubi viget jus naturale, in jure æterno innixum, viget, si datur, et positivum.

Reprobanda igitur est **theoria juristarum**, utpote contraria sive conscientiæ individuali, quæ pronuntiat gentes habere officia sicut et ipsi individui, sive sensui communi qui non admittit « jus validioris » esse verum jus, sive declarationi ipsarum gentium, v. g., in pacto Versaliensi : « Les hautes parties contractantes, considérant qu'il importe d'observer rigoureusement les prescriptions du droit international, reconnu désormais comme règle de conduite effective des gouvernements [2].... »

Hæc officia et jura correspondentia plura sunt, et, sicut in homine privato, vel *justitiæ*, vel *caritatis*. De singulis pauca.

136. Utrum et quænam sint officia JUSTITIÆ inter gentes ?

A. — **Existunt.** — Nam homo, quicumque sit, sive præpotens, sive pusillus, humana dignitate fruitur, et, qua talis, jura habet innata : ergo a pari quælibet natio, propria personalitate fruens, etiam viribus minima, eadem sibi jura vindicat ac altera quælibet. Procul ergo sit *imperialismus* seu libido dominandi sive per vires militares, sive per œconomicam prosperitatem, sive per tutelam politicam. Etsi enim æqualitas inter diversas nationes, sicut inter cives, obtineri nequit, superioritas tamen vetat ne aliæ gentes, sicut et cives alii, in quamdam servitutem redigantur, sed perprius imponit officia quoad earumdem *existentiam*, *conservationem*, *perfectionem*, *proprietatem*, *honorem* et *fidem datam servandam*.

B. — **Sex igitur sunt.** 1. — Jus habet ad *independentiam* : ideoque ingens homicidium patratur ab imperatore, qui, sola dilatandi imperii causa, innocuam gentem, etiam Nigritarum Africæ, ditioni suæ bello subjicit.

2. Jus habet ad *conservationem* socialem : ideoque rebelliones fovere ruinamve machinari, scriptis aut etiam sicariis emissis in sinum et contra Ducem gentis alienæ, non licet.

1. **Ferretti**, *Op. cit.*, tom. III, n. 217 ; — cf. **Taparelli**, S. J., *Essai théorique de droit naturel, basé sur les faits* ; — **Croizier**, *Grands mots*, p. 233-261. — 2. *Traité de Versailles*, an. 1919.

3. Jus habet ad legitimam *expansionem* : proinde relationes cum aliis gentibus, aliudve propriæ activitatis exercitium naturale, impedire nefas est.

4. Jus habet ad *proprietatem* : non ergo sine injustitia spoliatur suo territorio, suis divitiis, suis navibus in alto navigantibus, nec invadi potest, quia brevior via est, sub prætextu belli contra aliam gentem.

5. Jus habet ad *honorem* : ideo legati unius gentis apud aliam jure libertatis et inviolabilitatis gaudeant oportet, etiam tempore belli [1] ; quo in casu, leges belli servare tenentur adversarii.

6. Denique jus habet ad *fidem datam servandam* : unde contractus *internationales* seu fœdera, quæ fiunt nomine societatis, modo sint justa, sancte servari debent et nonnisi mutuo consensu dissolvi possunt : item, a fortiori, concordata.

Procul ergo sit in re diplomatica ars illa decipiendi per mendacium et hypocrisim : est enim vestigium barbariei.

137. Utrum et quænam sint officia CARITATIS inter gentes [2] ?

A. — **Existunt.** — Sicut enim propter similitudinem naturæ homines proximum diligere debent, ita a fortiori ipsæ gentes ad invicem, quæ nobiliorem et ampliorem personam agunt. — Hinc valet etiam pro gentibus principium : « quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris » ; — vel « quod tibi fieri desideras, alteri facias ».

B. — **Tot vero sunt** — officia caritatis, quot bona societati desiderare oportet. Porro hæc bona respiciunt ordinem vel physicum, vel intellectualem et moralem, vel politicum. — Quapropter internationalis charitas tria præstare jubet :

1. *Auxilia rei frumentariæ*, si quæ desint in gente finitima, eique sine gravi detrimento vendere liceat : ita contra certum egoismum nationalismi, qui de bono communi humanitatis non curat.

2. *Consilia prudentiæ*, commercium amicitiæ per legatos initum, aliaque similia, quibus boni mores et mutuæ communicationes foveantur.

3. *Interventum opportunum*, quando gens ab alia gente injuste invaditur, aut bello intestino laceratur, præsertim si talis interventus a populo oppresso petitur. — Hinc recte

1. **Liberatore**, *Op. cit.*, n. 15-17. — 2. **Delos**, *La loi de charité dans les rapports internationaux*, et **Romier**, *La charité et les impérialismes*, in *Semaine sociale de* **Paris** : La loi de charité, principe de vie sociale, 1928, p. 405-427, 443-455.

dammatum fuisse intelliges liberalismi moderni principium, quod vocant *de non-interventu* [1].

138. Quid speciatim de COMMERCIO [2] et de re ŒCONOMICA. Absit etiam, hac in re, imperialismus sive nationalis et œconomicus, sive internationalis et rei nummariæ, uterque exsecrandus [3].

I. — **Commercium inter gentes naturale** omnino est et utilissimum : ex quo plurimi fructus hauriuntur, sive quoad prosperitatem materialem, sive quoad morum lenitatem, sive quoad amplificationem artium et scientiarum. — Hinc est cur sit quasi fastigium culturæ nationalis, quæ ex venatu aut pastione ad agriculturam, postea ad artes mechanicas, denique ad commercium paulatim transiit : inde contractus commercii.

Jamvero circa contractus commerciales, duplex occurrit systema : systema *liberæ commutationis* (libre-échange) et *systema protectionis*. *Prius* est recens, et in eo consistit quod merces de una gente in aliam traducantur, nullo importantibus imposito tributo. *Posterius* est perantiquum, et, protegendi causa agriculturam aut industriam nationalem, portorium (gallice, droit de port) a gente extranea, modo minus, modo majus, pro temporum necessitate, exigit. *Practice*, quodnam sit eligendum acerrime disputant.

Si *priori* fides, ope libertatis commercii, minori pretio cunctæ merces habentur, vehementius stimulatur cujusque gentis industria, plurimum foventur mutuæ gentium relationes, et citius proceditur ad unitatem politicam Universi. — Haud spernenda sane hæc commoda, sed sub *posteriori* regimine protectionis moderatæ non excluduntur, dum plura vitantur incommoda, v. g., ruina agriculturæ aut industriæ nationalis. — Nobis igitur hac in re, ut in pluribus, vitandus videtur *uterque excessus*, liberalismi sc. et ostracismi, ita ut et commercium prosperet libertatis aura, et cives nostri ab extraneis potentioribus non opprimantur.

II. — **Quoad prosperitatem œconomicam**, hodie, ratione facilitatis relationum inter gentes, viget pro ipsis necessitas

1. Imprimis limitandi *productionem* per contractus commerciales, ne superproductione mechanica mercium opifices labore suo destituantur.

2. Dein aperiendi fines et loca pro earumdem mercium distributione, ne *distributio*, sicut et productio divitiarum, in anarchiam deveniat.

3. Tandem communi consilio determinandi, in quantum fieri potest, *salarium*, ne aliqua gens evadat inferior erga suos cives propter infimum vel supremum pretium aliarum gentium.

1. *Syllab. pro.* 52 ; — cf. Alloc. *Novos et ante*, 28 sept. 1860. — 2. **Liberatore**, *Ibid.*, n. 8-10. — 3. **Pius XI**, *Encyc. cit.*

Adde quod hi contractus internationales sunt optima præparatio unionis gentium in unam familiam, de qua nunc.

ARTICULUS II

De Unione gentium.

Hanc unionem *natura* fovet, sed *bellum* dissolvit, nisi per varia *media* et ipsum de medio tollatur. Unde triplex quæstio.

139. Utrum societas internationalis sit POSSIBILIS [1] ?

Hic non agitur de societate civili stricto sensu inter varias gentes ineunda : nam quomodo, v. g., possent eædem leges omnibus mundi populis, tam inter se diversis et dissitis, applicari ? *Quæstio est* tantum de quadam unione fœderata, cujus supremæ auctoritatis munus esset controversias inter gentes dirimere, et codicem jurium internationalium condere. Unde

THESIS

Aliqua gentium fœderata unitas, naturalis, optanda, jamque inchoata videtur.

I. **Naturalis est.** — Id naturale dici debet sine quo nec inclinatio, nec indigentia naturæ perfecte satiantur. Porro — 1. non satiabitur instinctus socialitatis, donec, sicut familiæ in societatem civilem, ita gentes in societatem internationalem adunentur : nationalitas enim ditescit sed et limitat. — 2. Nec satisfieri poterit indigentiis gentium, quæ, minori tamen gradu quam familiæ societate civili, revera tamen indigent legislatione in multis uniformi et ideo societate internationali. Hæc ergo naturalis est.

II. **Optanda est**, propter multiplex emolumentum. Hac enim constituta, bellum inter gentes rarius et brevius evaderet, minuerentur onera militaria, et statui possent perutilia, v. g., de traditione sceleratorum, de commercii normis, de vitandis morbis contagiosis, imo et de regimine universali operariorum.

Dicunt : Chimæra est unitas omnium gentium Universi. Ergo. *Resp.* Chimæra est unicus Status politicus in Universo, *conc.*,

1. **Liberatore**, *Jus internationale*, Introd. et n. 25-31 ; — **De Vattel**, *Op. cit.*, t. II, L. III, chap. 3. § 47 ; — **Taparelli**, *Saggio teoretico*, Diss. VI, c. 3, a. 1 ; — cf. **Combes de Lestrade**, *La vie internationale*, 1911 ; — **Delos**, O. P., *La société internationale et les principes du droit public*, 1929 ; — **Yves de la Brière**, *L'organisation internationale du monde contemporain*, 2 vol., 1928.

aliqua Statuum, saltem politicorum, *confœderatio*, *subd.* : chimæra fuit ab initio, *conc.*, nunc etiam cum progressu civilitatis humanæ et commercio inter gentes in dies crescente, ope viarum ferrearum, telegraphiæ, telephoniæ, phonographiæ... *nego*, saltem si fiat sub influxu caritatis Christi [1].

Inst. Sic destrueretur *patriæ* amor, foveretur internationalismus.

Resp. Non destrueretur magis ac amor familiæ per societatem civilem, familiarum. « Le véritable patriotisme n'entraîne pas la haine de l'étranger. C'est le chauvinisme. Un fils peut estimer les autres mères, bien qu'il aime ardemment la sienne [2]. »

III. **Jamque inchoata est** : pullulant enim facta internationalia, societates, contractus et pacta... et de multis rebus maximi momenti efformatur Codex internationalis et S. N. [3].

140. Quænam sit brevis theoria BELLI [4] ?

A. — Bellum proprie **dicitur** : *status nationum vi certantium, gratia juris tuendi.* — Est *status*, unde differt ab actu prœlii ; — *nationum*, et ita distinguitur a privato certamine ; — *vi certantium*, eo quod in bello *offensivo* vis infertur, et in bello *defensivo* vis vi repellitur ; — *gratia juris tuendi* ; secus enim esset violentia meraque *prædatio.*

B. — Status belli non est naturalis hominum conditio, ut falso contendit Hobbes. Bellum tamen, *debitis conditionibus habitis*, **licitum est**, imo, juxta Kant [5], in statu præsenti necessarium ; coactio enim est unum juris attributum (n. 63). Unde, si natio quædam jus suum servare vel obtinere nequit nisi per vim, certando sc. cum aliis nationibus, bellum eis indicere aut bellum illatum expellere potest.

C. — Dixi, **debitis conditionibus habitis** [6]. — *Imprimis* bellum justa de *causa* suscipi debet, nempe propter bonum communitati debitum, quod aliter procurari non posset ; unde, qui bellum ineunt ad imperium dilatandum vel ad utilitatem quamdam peculiarem, aut, juxta Machiavelis theoriam, ad augendam tuendamve auctoritatem propriam, ut prædones habendi sunt. — *Similiter* necesse est bellum suscipi *jussu* auctoritatis supremæ : pertinet enim ad eum qui societatis curam habet. — *Præterea*, requiritur *intentio* recta, quæ malum fugiendum bonumve obtinendum unice vult, nam propter pravam intentionem bellum, aliunde legitimum, red-

1. Cf. **Benedictus XV**, an. 1917. — 2. **Fonsegrive**, *Elém. de phil.*, II, p. 492. — 3. **Combes de Lestrade**, *Op. cit.*, — 4. Cf. **Gaudeau**, *Théologie de la paix et de la guerre*, in *La foi catholique*, 25 fév. 1913 ; — **Henri Brun**, *Op. cit.*, I, p. 200-204. — 5. **Kant**, *Conjectures sur les commencements de l'histoire du genre humain.* — 6. **Sum. theol.**, II-II, q. 40, a. 1 ; — cf. **Ferretti**, *Op. cit.*, III, p. 427.

ditur illicitum. — *Denique* in *exercitio* belli, quædam observari debent, sive ante bellum, ut, v. g., publica hostilitatum denuntiatio ; sive in bello, ut refrænatio licentiæ militaris, nulla violatio justitiæ internationalis ; sive post bellum, ut moderatio erga victos : quæ jure gentium determinantur.

D. — *Interim* paci favet **armorum limitatio** quæ inducitur, tum *indirecte* declaratione publica [1] et etiam pacto non armis componendi conflictus quoscumque sed pacificis conferentiis [2], aut recurrendi primum variis mediis conciliationis et arbitrio Curiæ permanentis internationalis [3] ; tum *directe* determinando in pacto communi quantitatem et qualitatem armorum maritimorum, terrestrium et aeriformium pro omnibus et singulis populis [4]. — Hæc pacta utinam teneant populi !

141. Quænam sint MEDIA unionis gentium ?

Quatuor præsertim proposita fuerunt adversus belli frequentiam, sc. *principium nationalitatum, æquilibrium ex mutuo consensu, tribunal internationale, societas nationum.*

1. Juxta *quosdam*, destructo ordine politico præsenti, gentes in unum corpus politicum coalescere debent, quæ lingua, geographia, origine, moribus et religione conveniunt : unde **nationalitas.**

Sed nemo non videt hanc theoriam impossibilem vel injustam et maxime periculosam esse : — *impossibilem*, nam hæc elementa consociata raro inveniri possunt ; quæ enim religione uniuntur, lingua, origine vel distantia disjunguntur ; — *injustam*, nam violaretur independentia legitima plurium gentium, dum potentiores populi parvulas gentes sub prætextu, v. g., limitis naturalis, ad se traherent ; — ideo *periculosissimam*, quia si coalescerent populi unius ejusdemque labiæ, v. g., germanæ aut anglicæ, jam nasceretur natio præpotens et vicinis suis omnibus periculosa. Hinc principium nationalitatis nimis urgeri nequit, nam ex mutuo consensu et factis contingentibus pendet nationum formatio.

Pari ratione, *minoritates ethnicæ* non habent jus ad independentiam contra nationem in cujus sinu vivunt, modo aliqualis autonomismus et jura aliarum nationalitatum ipsis concedantur, in quantum possibile et æquum est [5].

2. Hinc *alii* volunt ut, statuta semel territorii partitione inter varias gentes, cunctæ se obligent ne in posterum **hujusce æquilibrii** ulla fiat immutatio, nisi ex consensu communi...

1. Ita pactum Versaliense, an. 1919. — 2. Ita pactum Kellog-Briand. — 3. Ita Gallia, Anglia, Germania, quibus adhæserunt ceteræ 34 gentes. — 4. *La vie intellectuelle*, 20 juin 1931. — 5. Cf. **Yves de la Brière**, in *Dict. prat.*, art. *International.*

Perbelle quidem ! quid autem, si orta dissensione subito rumpatur æquilibrium et scindatur ethnarchia in duas partes ? Et sane æquilibrium europæum suos habuit fructus, sed quotidie timendi locus est ne in vastissimum bellum corrumpatur : jamque bello 1914-1918 corruptum est !

3. Tunc *alii* proponunt supremum quoddam **tribunal internationale**, cujus Præses quasi natus esset S. Pontifex. Nemo enim tanta integritate, tantaque auctoritate morali gaudet (n. 146) ; cujus ideo decisiones, non violentia quidem impositæ, nam esset circulus vitiosus, sed pondere rationum et persuasione morali, magnam vim, ut plurimum, haberent. Ita etiam Protestantes ut Leibniz et recentius David Urquhart [1].

« Cette union, si désirable entre les nations, ne peut se faire que sur la base du retour au Christianisme comme règle des rapports internationaux. Nous avons dans le passé un idéal qui a été réalisé dans une certaine mesure, c'est celui de la *Chrétienté*... il indique les conditions morales dans lesquelles ce grand progrès souhaité ardemment par les peuples pourra se réaliser [2]. »

Adde quod non tantum ævo medio, sed nostris diebus, arbitratus ille, v. g., Leonis XIII, variis in adjunctis, optimos fructus attulit, — meliores adhuc quam ipsum *Concilium Pacis* in urbe « La Haye » sine S. Pontifice constitutum et quo non obstante, accensa est quam acerbissima bellorum conflagratio [3].

4. Utinam **Societas nationum**, recentius instituta, cum duplici tribunali, i. e., sive *arbitratus*, sive *justitiæ internationalis*, rursumque laicalis, vegetior sit ! Cujus finis est impedire bella et conflictus omnes pacifice secundum justitiæ regulas definire. Ast exsurgit duplex difficultas : invidia magnorum Statuum qui hunc *Superstatum* implicite recusant, imbecillitas hujusce Superstatus, donec exercitum internationalem, et quidem alii cuilibet superiorem, habeat.

Ideo jus gentium sanctione apparet destitutum. Interim manet jus internationale, manent media spiritualia, conventiones œconomicæ et politicæ cum justitia immanente, et hæc favorem, auxilium, benevolentiam assecurat omni genti quæ jura aliarum omnia servat.

1. *Appel d'un protestant au Pape*, 1870. — 2. **Claudio Jannet**, *Le socialisme d'Etat*, p. 578 ; — cf. **Ch. Périn**, *L'ordre international*. — 3. **Yves de la Brière**, *L'organisation internationale du monde contemporain et la papauté souveraine*, 1930 ; — cf. **Gemelli**, *La doctrine, cause de l'unité sociale au moyen âge*, in *Revue de philos.*, janv. 1925.

CAPUT QUARTUM

DE SOCIETATE RELIGIOSA [1]

Societatis religiosæ theologus investigat structuram ; philosophus *necessitatem in societate civili* et *cum ea relationes*.

ARTICULUS I

De Sociali Necessitate Religionis.

Quæri potest *an* societas humana debeat *esse religiosa*, an etiam *unicæ religionis*. Primum negat *atheismus legalis*, secundum *liberalismus religiosus*. Unde

142. Quænam sit in societate religionis NECESSITAS ?

Quæstio præsertim instituitur quoad societatem *civilem*, sed respicit etiam societatem *domesticam et internationalem*. Unde

THESIS

Societas omnis gravi religionis officio tenetur.

Prob. — thesis ex parte tum ipsius **societatis**, tum **civium**.

1° Nullum ens ordinationi rerum se subtrahere debet : sed ordo rerum postulat ut persona, quæcumque sit, Deo præstet honorem et famulatum ; ergo et *ipsa societas* quæ est persona moralis, cujus institutor et rector est Deus, per quem reges regnant et principes imperant (n. 117). — *Hi proinde, qua tales*, speciatim officio religionis urgentur, non tantum quia sunt pars principalis societatis, sed quia societas, nonnisi per eos qui ejus personam gerunt, actum vere socialem efficere potest. Sint ergo, ut debent esse, forma subditorum, nam

. . . . .Componitur orbis
Regis ad exemplum : nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus [2].

2° Id jure naturali præcipitur, sine quo societas consistere nequit ; porro sine religione societatem subsistere impossibile est ; ergo religio jure naturali præcipitur.

Constat *minor*. — *Imprimis* enim sine religione evanescit sincerus *amor patriæ* ; civis enim atheus seipsum *logice* ut finem ultimum habet, privatumque suum bonum bono com-

1. **Cavallera**, *Op. cit.*, p. 345-369 ; — cf. **Liberatore**, *Jus natur.*, art. ult., n.32-35. — 2. **Claudianus**, *IV Consulatus Honorii*, 295-298 ; — cf. **Eccli.**, X, 2.

muni ubique præfert. — *Hinc* nulla *fraternitas* : qui enim egoïsmo coarctatur, alios homines nonnisi ut hostes boni sui considerat, prout clamoribus Bolchevistarum luculenter nostris diebus probatur. — *Sed* et nulla *sincera virtus* : in praxi enim virtutem nemo perseverat, nisi vinculo ligetur superiori et inviolabili, quod a Deo tantum esse potest. — *Præsertim* vero nulla *obedientia* legibus : hæ scilicet non per se, sed a Deo vim habent obligativam. Quapropter, Deo sublato, contemptus legum animos omnium invadat necesse est...

Jamvero sine amore patriæ, sine fraternitate, sine virtute, sine obedientia legibus, nulla societas subsistere *per se* potest [1]. — *Dixi* : *per se* et *logice* seu formaliter loquendo, quia de *facto* omnem exuere religionem, et ideo virtutes naturæ, ut amorem patriæ, perrarum est.

Consonat post Platonem Plutarchus : « Facilius urbem condi sine solo esse puto, quam, opinione de diis sublata, civitatem coire aut constare [2]. » Idem confitetur J.-J. Rousseau [3].

Confirmatur necessitas cultus publici populorum consensione : viguit enim apud omnes gentes mos templa extruendi, et statutis diebus gratiarum actiones aut preces offerendi, ipsaque societas civilis ad hunc cultum publicum et solemnem, sumptibus suis, vel per legatos vel sacerdotum officio et mandatis principum concurrere voluit.

143. Utrum etiam UNITAS religionis societati sit necessaria ?

THESIS

Religio vera, tanquam unica religio Status, jure haberetur.

Prob. — Etenim Status procurare tenetur bonum commune societatis ; — ergo et unitatem in vera religione.

Probatur *consequentia*. Nam — 1. *unitas* in vera religione est bonum societatis, tum quia subditi et gubernatores non ad quamlibet, sed ad veram religionem tenentur, tum quia mentes civium componit in re maxima, quæ ordinarie occasio est pessimarum divisionum. — 2. Admissa *libertate cultuum*, una vel multiplex portio gentis ad verum suum bonum non ordinatur ; altera vero, in prosecutione sui boni, a pestilenti exemplorum et doctrinarum contagione non est immunis, et paulatim in indifferentismum adducitur. Unde falsum est « optimam societatis publicæ rationem requirere ut humana societas instituatur, nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine [1] ».

1. **S. Augustinus**, *Contra Faust.*, L. XIX, c. XI. — 2. *Adv. Coloten.* — 3. **Farges**, *La religion de J.-J. Rousseau*, p. 50 et seq.

Dicunt : Gubernator civilis veram religionem a falsis distinguere non potest : ergo eam ut unicam habere non debet.

Resp. — Non potest, imo non debet singula *dogmata* veræ religionis docere aut tueri, *conc.* ; — non potest *existentiam* veræ religionis cognoscere, *nego*. Hæc enim (cf. Theologiam) notis decretoriis unicuique manifestatur ; ergo a fortiori gubernatori civium.

144. Corollarium de atheismo sociali et de LIBERALISMO.

Auctoritas religiosa natura sua superior est auctoritate civili : unde in rebus religionis, quasi triplex est liberalismi gradus [2].

A. — **Primus**, qui dicitur *absolutus*, cum *atheismo* sociali confunditur, nam rejicit omnem auctoritatem supra legem humanam : « ni Dieu ni maître ! » Unde societas atheismum profiteri debet, nec ullam curam de Deo aut de religione etiam naturali habere, sive in legibus conficiendis, sive in educandis pueris, etc. — Impium illud systema in anarchiam aut in despotismum statolatriæ verti, nemo non videt (n. 131) [3].

B. — **Secundus** liberalismi gradus supernaturalem tantum rejicit religionem, seu jura et auctoritatem Ecclesiæ negat. Societas ergo neque atheistica aut irreligiosa, neque christiana esse debet, sed *neutra* inter varios cultus, seu in morali civili et laïca, ut aiunt, fundari. — Quasi societas non obligaretur ad colendum Deum, eo modo quo Deus vult honorari, scilicet christiano-catholico !

C. — **Tertius** denique et mitior liberalismi gradus admittit divinam auctoritatem Ecclesiæ, sed in vita privata tantum, non autem in vita sociali, — quasi homo jus haberet limitandi dominium Dei ad vitam privatam ! Hinc catholici liberales quatuor « magnas libertates » proclamant ut jura civium inconcussa : libertatem conscientiæ et cultuum, libertatem preli et associationum, tanquam a divino jure omnino immunes.

Merito igitur hæ sententiæ damnatæ fuerunt a Gregorio XVI [4], Pio IX [5] et Leone XIII [6], post ipsum Augustinum [7]. Revera nullum datur jus publicum contra jus naturale aut divinum ; et aliunde magnus error est asserere, concessa omnibus effrenata libertate, malum et falsum semper a bono et vero vinci ; nam e contra, quotidiana experientia constat facilius esse spargere errorem et vitia, quam veritatem et virtutem promovere.

Attamen non est negandum illas lugendas libertates — « definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent [8] » — *tolerari posse*, non ut « progressum » sed tanquam « minus malum [9] » propter malitiam hominum. Sunt enim homines,

1. **Pius IX**, Encycl. *Quanta cura*, 1864, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1688 ; — **Leo XIII**, *Ibid.*, n. 1880 ; — *Syllabus*, prop. 77, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1777. — 2. **Leo XIII**, Encycl. *Libertas*, 20 juin 1888 ; *Immortale Dei*, 1er nov. 1885, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1931, 1866. — 3. **Dupanloup**, *L'athéisme et le péril social*, 1866. — 4. Encycl. *Mirari vos*, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1613. — 5. *Syllabus*, p. 77-80, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1777-1780 ; — Encycl. *Quanta cura*, ap. **Denz.-Banw.**, n. 1688. — 6. *Ibid.*, n. 1880. — 7. Cf. **Barbedette**, *Hist. de la phil.*, n. 198. — 8. Encycl. *Libertas*, 1888. — 9. **Sum. theol.**, II-II, q. 10, a. 11.

in societatibus hodiernis, tam auctoritatis impatientes, tam libertatis etiam effrenatæ amatores, doctrinis et opinionibus tam divisi, ut tanta restrictio libertatis assuetæ nociva, imo impossibilis practice esset. Hæc est percelebris distinctio inter *thesim* et *hypothesim* sæpe a SS. Pontificibus definita : cave tamen ne *hypothesis* de facto, omissa thesi, sicut ipsa, protegatur et propugnetur, ut lugenda comprobat experientia !

ARTICULUS II

De Relatione Status ad Ecclesiam.

145. Quænam sit RELATIO NORMALIS inter Statum et Ecclesiam? Hic supponimus, quod in Theologia probatur, Ecclesiam catholicam, ex divina voluntate Christi, esse societatem perfectam a Statu omnino distinctam et independentem, eoque præstantiorem. Porro Status et Ecclesia in quadruplici relatione tantum concipiuntur, vel *oppositionis*, vel *dominationis Status*, vel *separationis*, vel denique mutuæ *unionis* [1].

Atqui 1ª seu **oppositio** *non est licita*, — contra liberales *radicales*, qui Ecclesiam catholicam e mundo eradicare volunt. Ecclesia enim suam habet missionem a Deo in perpetuum concessam : ergo et jus existendi et sese propagandi per universum mundum.

Nec 2ª seu **dominatio status**, — contra liberales *Cæsarismo* vel *Regalismo* addictos, qui Ecclesiam in Statu utilem reputant, sed Statui subjectam esse volunt. Quod repugnat ordini rerum : Ecclesia enim, et natura, et objecto, et fine suo Statui superior est. Hinc Ecclesia Borussica, Anglicana... in conditione servilitatis est, quæ suam expansionem impedit.

Nec 3ª seu **separatio** — contra liberales *mitigatos*, qui neutralitatem Status prædicant, juxta illud : « Ecclesia sit libera in Statu libero. » Quod est falsum : nam duæ societates quæ in eodem territorio constituuntur, easdem personas dirigunt, et sæpe in eadem materia, licet sub diverso respectu, leges ferunt, separari non debent nec possunt [2] : — *a*) non *debent*, sicut nec debent anima et corpus separari, quæ conjunctim vivere nata sunt ; — *b*) nec possunt, præsertim in rebus *mixtis* ; unde hæc separatio, teste experientia, in indifferentismum et sæpius in oppositionem Status vertitur.

Ergo **restat** 4ª *seu* **mutua unio** — nempe Status Ecclesiæ vere uniatur, ita tamen ut Status sit independens **in rebus** mere civilibus, item Ecclesia in rebus mere religiosis ; **in rebus** autem mixtis sit mutua utriusque concordia, alioquin judicium supremum esset penes nobiliorem auctoritatem, i. e., penes Ecclesiam.

1. Cf. **Mgr de Ségur**, *La révolution* ; *La liberté* ; *Les catholiques libéraux* ; — **Brugère**, *De Ecclesia*, 1878, p. 235 et 266 ; — **H. Brun**, *Op. cit.*, I, p. 187-199, II, p. 46-50. — 2. Encycl. *Longinqua* (ad Americ.), 1895.

Hinc revera non simpliciter *coordinari* petunt Ecclesia et Status, sed in multis Status veræ Ecclesiæ, sicut in composito humano corpus animæ, *indirecte subordinatur* [1].

146. Corollarium de UNIONE inter Statum et Ecclesiam, — quam ex dictis colliges *naturalem* esse et valde *desiderabilem*.

A. — **Naturalis est** ; ordinatio enim non destruit, sed facit unionem inter res inæquales, quæ aliter uniri non possunt nisi una alteri subordinetur. — Hinc est cur retinenda sint *Concordata* [2], quæ Ecclesiam inter et Statum harmoniam et unionem sanciunt ; quibus disruptis, in statu violento Ecclesia et Status sint oportet.

B. — Hanc unionem cedere **in bonum utriusque** evidens est... ; imo cujuslibet societatis, et præsertim universalis, quæ generis humani ultima perfectio videtur. Ecclesia enim catholica est societas *ethnarchica* seu catholica, quæ in omnes homines extenditur et habet auctoritatem : hæc odia inter gentes extinguere sola potest, spiritum infundendo universalis fraternitatis ; hæc tandem summam veritatum et gratiarum necessariam possidet, quæ possit homines impedire, ne pondere suæ naturæ, redeant ad barbariem. Sit ergo Ecclesia catholica nexus inter omnes populos orbis terrarum [3] !

1. Card. **Merry del Val**, in *Revue des Institutions et du Droit*, oct. 1913. — 2. **Leo XIII**, Encyc. *Immortale Dei*, 1885 ; — *Lettres* du 3 mai 1892 et du 16 février 1893 ; — **Pillet**, *Avantages et inconvénients du Concordat*, 1892. — 3. Cf. **Liberatore**, *Droit natur.*, dernier art., n. 32-35 ; — cf. **Gemelli**, *La doctrine, cause de l'unité sociale au moyen âge*, in *Revue de philos.* janv. 1925.

EXPLICIT PHILOSOPHIA MORALIS

NECNON TOTA PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

A. M. D. G.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

TOTIUS OPERIS

(Numerus *romanus* remittit ad tomum, — *arabicus* ad paginam.)

A

B

C

D

E

P

Q

R

INDEX RERUM

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA

AD MENTEM

SANCTI THOMÆ AQUINATIS

II

PHILOSOPHIA REALIS

II

METAPHYSICA

I

CRITICA

II

ONTOLOGIA

LIBER PRIMUS ONTOLOGIÆ

DE NATURA ENTIS

LIBER SECUNDUS ONTOLOGIÆ

DE ENTIS PROPRIETATIBUS

SECTIO Iª

DE PROPRIETATIBUS ENTIS TRANCENDENTALIBUS

SECTIO IIª

DE PROPRIETATIBUS ENTIUM UNIVERSALISSIMIS

LIBER TERTIUS ONTOLOGIÆ

DE ENTIUM CATEGORIIS

LIBER QUARTUS ONTOLOGIÆ

DE CAUSIS ENTIS

III

THEODICEA

SEU

THEOLOGIA NATURALIS

LIBER PRIMUS THEODICEÆ

DE EXISTENTIA DEI

LIBER SECUNDUS THEODICEÆ

DE NATURA DEI

LIBER TERTIUS THEODICEÆ

DE RELATIONIBUS DEI AD MUNDUM

III

ETHICA

SEU PHILOSOPHIA MORALIS

ETHICÆ PARS PRIOR

SEU

ETHICA GENERALIS

LIBER PRIMUS ETHICÆ GENERALIS

SEU

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM

LIBER SECUNDUS ETHICÆ GENERALIS

SEU DE PRINCIPIIS INTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM

ETHICÆ PARS POSTERIOR
SEU
ETHICA SPECIALIS

LIBER PRIMUS ETHICÆ SPECIALIS
SEU DE JURE INDIVIDUALI

LIBER SECUNDUS ETHICÆ SPECIALIS
SEU DE JURE SOCIALI

Etablissements André Brulliard, St-Dizier (Haute-Marne). — 1934.

Laus Deo